BIBLIOTHEEK S.J.
LEUVEN
84 X
1892 G 1

BIBLIOTHECA
COLLEGII THEOLOGICI S.I.
LOVANII

441. V. 5.

SOC. JESU.
LOVANII.

Digitized by Google

07

Digitized by Google

Digitized by Google

214

TRACTATUS CANONICUS

DE MATRIMONIO

Digitized by Google

Prochainement du même auteur :

TRACTATUS CANONICUS DE SACRA ORDINATIONE

Digitized by Google

TRACTATUS CANONICUS

DE

MATRIMONIO

AUCTORE

PETRO GASPARRI SACERD.

SS. D. N. Leonis PP. XIII cubiculario intimo,
in Instituto Catholico Parisiensi textus canonici professore,
olim Romae professore institutionum canonicarum in Collegio Urbano de Propaganda Fide,
et sacrae theologiae sacramentariae in scholis Pontificii Seminarii Romani ad S. Apollinarem.

Christus... totam (matrimoniorum) disciplinam Ecclesiae credidit.
(LEO XIII, Encycl. *Arcanum*, 10 *Febr.* 1880).

EDITIO ALTERA RECENTISSIMIS DECRETIS ACCOMMODATA

VOLUMEN PRIMUM

PARIS
DELHOMME ET BRIGUET, EDITORES

PARISIIS
Via dicta : Rue de l'Abbaye 13

LUGDUNI
Via dicta : Avenue de l'Archevéché 3

1892

Tous droits de propriété et de traduction réservés.

Digitized by Google

246190

Digitized by Google

Dilecto Filio Petro Gasparri a cubiculo Nostro intimo.

Parisios

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quod eisdem in rebus alii quidem atque alii scribere instituant, sic tamen ut quam quisque spectet in commune bonum rationem, ex sententia assequantur, haec sane praeclara est optimorum industria et laus ingeniorum. Quam tibi laudem, dilecte Fili, recte conciliavit, peperitque opus a te nuper binis voluminibus editum, *Tractatus canonicus de matrimonio*, quod ex isto, ubi sacris canonibus interpretandis obtines magisterium, Instituto Catholico, Nobis pro observantia et pietate tua dono exhibendum curasti.

In re enimvero versatus es non nova, sed gravi admodum et asperioris in dies negotii; ex qua eo magis doctrina tua et judicium elucet, eoque uberior consecutura utilitas est; quum praesertim non pauca attuleris congruenter temporibus locisque agitata et conclusa, multa praeterea et responsa doctorum et consulta decretaque Ecclesiae prudenti delectu subjeceris, unde iis etiam qui morum disciplinam tractent, bona petere liceat adjumenta. Laus porro accedit operi praestantissima, qua doctores scriptoresque catholici maxime honestantur, profecta nimirum ab obsequio et fide, quae in hujus Apostolicae Sedis auctoritatem quam religiose custodis, tam aperte et firmiter profiteris.

Itaque Nos tibi, dilecte Fili, eidemque Instituto ex animo gratulamur, atque Apostolicam Benedictionem, quae et omnibus paternam testetur caritatem Nostram, et tibi auspicium sit felix ad ampliora nitenda, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die IX Aprilis An. MDCCCXCII Pontificatus Nostri Quintodecimo.

LEO PP. XIII.

Digitized by Google

APPROBATIO

Cum ex relatione revisoris, post diligens examen, Nobis constet **Tractatum Canonicum de matrimonio**, auctore R. D. Gasparri, professore in Instituto catholico Parisiensi, eximium opus esse soliditate et perspicuitate doctrinae; necnon juri pontificio omnino consentaneum, ac proinde valde utile fore sive theologis sive jurisperitis pro enucleandis et solvendis difficultatibus in hac materia frequenter occurrentibus, licentiam concedimus ut typis mandetur et publicetur.

Parisiis, die 28 Aprilis 1891.

† Franciscus Cardinalis RICHARD
Archiepiscopus Parisiensis.

Digitized by Google

PROOEMIUM

Neminem latet matrimonialem Ecclesiæ legislationem primum sibi locum vindicare inter ea quae in jure canonico ecclesiasticis praesertim personis magis necessaria sint, majoresque simul involvant difficultates.

Cum enim ad quotidianam praxim spectet, necesse est eam a parochis prae manibus haberi, ne muneri suo desint, et in re tanti momenti in errores labantur, quos tristes quandoque exitus facile consequuntur. Quin imo parochus non modo jus matrimoniale ipse nosse, sed etiam in catechesibus habendis, sive in evangelio exponendo infra Missarum solemnia, catholicam de matrimonio doctrinam accurate debet prudenterque tradere: quod nonnullae synodi dioecesanae expresse etiam praecipiunt, et catechismus sacri Concilii Tridentini suadet. Hinc Rituale Romanum provide monet: « Noverit (parochus) quae sint canonica impedimenta matrimonii contrahendi, et quae contractum dirimant, et qui sint gradus consanguinitatis et affinitatis, et item cognationis spiritualis ex baptismi et confirmationis sacramento contractae ». Eadem de confessariis dicenda sunt, qui, nisi hanc partem canonicae scientiae bene perspectam habebunt, in ancipitibus nonnunquam haerebunt angustiis, et in discrimen adducentur perperam judicandi de gravioribus casibus matrimonialibus, qui aliquando a poenitentibus deferuntur. Ordinarii vero locorum hanc materiam callendi necessitatem prae caeteris

Digitized by Google

omnibus experiuntur, tum ut matrimoniales causas expediant, ac dispensandi facultatibus, quibus pollent, rite utantur, tum ut quaestionibus a parochis, a confessariis, aliisque propositis apte respondeant.

At vero matrimonialis Ecclesiae legislatio gravissimis scatet difficultatibus non solum propter cognoscendarum rerum copiam, sed etiam propter concursum juris positivi ecclesiastici cum jure divino seu naturali seu positivo, et interdum, pro temporum adjunctis, cum jure civili. Hinc fit ut pro nulla alia juris canonici parte tot in Romana et episcopalibus curiis quaestiones agitentur, tot a sacris Congregationibus Romanis prodeant decisiones, quot pro hac una agitari et in dies prodire videmus.

Quae cum ita sint, nemo mirari poterit numquam defuisse auctores, plures vero hac recentiori aetate inveniri, qui hanc Ecclesiae legislationem studiosius excoluerint, editis in lucem libris doctrina et ordine praestantibus. Cum vero decretalium Gregorii IX libros, quos inter quartus est de matrimonio, nos non semel in scholis explicavissemus, nostrasque praelectiones viri peritissimi non solum probaverint, verum etiam haud inutile censuerint easdem in publicum prodire, horum auctoritati cedendum, vel potius parendum putavimus. Faxit Deus ut res ex eorum sententia cedat! Tunc enim gratum nobis erit obolum vel minimum e nostra paupertate in gazophylacium Ecclesiae intulisse, simulque animus accedet ad alias etiam juris canonici partes typis committendas, quae jam pridem in discipulorum usum lithographice tantum excusae sunt.

Haec de inito hujus tractationis edendae consilio; superest ut brevissime indicemus qua methodo et ordine quibusque adhibitis praesidiis digesta fuerit.

Quaestiones sacrae theologiae et juris publici eccle-

Digitized by Google

siastici ad matrimonium spectantes summis, ut ajunt, labiis attingimus, de sacrorum potius canonum legibus solliciti. In exponendis autem canonibus ordinem *legalem* in scholis sequimur, idest ordinem decretalium Gregorii IX, vi ipsius indulti ab Apostolica Sede Facultati nostrae concessi, conferendi scilicet gradus academicos. Verum licet haec methodus, quia ipsos sacros canones ante oculos discipulorum ponit, ommino in scholis, magistro ipsius defectus supplente, probanda videatur, *logicum* tamen ordinem in praelectionibus praelo subjiciendis praetulimus, utpote qui, idearum claritati et nexui melius consulens, intelligentiam et memoriam magis juvet. Caeterum qui textum canonicum vel a limine salutaverit, facillime poterit quae hic logica methodo traduntur, suis in ordine legali titulis reddere, eo magis quod inter quinque libros decretalium Gregorii IX, quartus est ille qui ab ordine logico minus deflectit. Hujus igitur noster hic tractatus exhibet interpretationem rationali methodo expositam, excepto tantum titulo XIX, *De donationibus inter virum et uxorem, et de dote post divortium restituenda*, quem juri civili relinquimus.

Hic porro est ordo logicus quo procedimus. In cap. I agimus de sponsalibus, quae aliquando matrimonio praemittuntur, eique viam sternunt. In cap. II ea exponimus quae matrimonii celebrationem praecedere debent. Hac ratione jam ad matrimonium ventum est, cujus generales notiones damus in cap. III. Quoniam vero ad matrimonialem contractum rite celebrandum, necesse est et sufficit contrahentes esse habiles ad nuptias valide et licite ineundas, in easdem consentire, praescriptamque formam servare, hinc succedit cap. IV de personis habilibus ad contrahendum, idest de impedimentis matrimonialibus ;

Digitized by Google

deinde cap. V de consensu matrimoniali; et postea cap. VI de matrimonii forma. Quibus accedit cap. VII de tempore et loco celebrationis nuptiarum. Inito demum matrimonio, si validum fuit, consideranda est quae consequitur vitae consuetudo, de qua dicimus in cap. VIII; si vero invalidum, de illius revalidatione agendum est, et de causis matrimonialibus, de quibus loquimur in cap. IX. In appendice brevis sermo erit de civili contractu matrimoniali, et tandem documenta referentur, quae in praxi ad manum habenda sunt aut praecipuas doctrinas declarant.

Argumentum tot tantisque involutum difficultatibus explanantes, auctoritati sanctae Apostolicae Sedis, quoties praesto est, semper innitimur, eamque sequimur tamquam lucernam in caliginoso loco lucentem. Hinc responsa sacrarum Congregationum Romanarum undique conquisivimus; et volumina non pauca thesauri resolutionum sacrae Congregationis Concilii nocturna diurnaque manu indefessi versavimus. Multos canonici juris ac moralis theologiae tum antiquos tum recentiores auctores in notis citamus, eosque fere semper nostris oculis consulere non praetermisimus. Clarissimorum doctorum Francisci Santi et Philippi De Angelis nomina frequenter occurrent; quos immatura morte praereptos grati animi ergo hic nominatos volumus; eorum enim tam insigni ac benevolo magisterio in canonicis scientiis excolendis usi sumus, ut eorum memoriam nulla in nobis delere possit oblivio. Quae vero ad dogmaticam doctrinam, praesertim in cap. III et IV, pertinent, ex praelectionibus hausimus, quas in Pontificio Seminario Romano tradebat cl. vir Camillus Santori, ejus tunc temporis rector ac professor, paucos ante annos vita functus, dum archiepiscopali insignitus dignitate sacrae Congregationis Concilii Secretariam moderabatur; quem

Digitized by Google

nostrum in Christo patrem amantissimum numquam sine lacrimis recordari possumus.

Verum si quid falsi aut obscuri, non obstantibus curis atque adjumentis adhibitis, in hoc opere occurrat, illud benignus lector non malae voluntati auctoris adscribat, potius vero ingenii tenuitati et inconsiderantiae. Quidquid vero laude dignum videbitur, primum Beatissimae atque Immaculatae Virginis Mariae pio tribuat interventui, tum Beati Petri Apostolorum Principis, quos catholicum hoc nostrum Parisiense Institutum amantissimos patronos se habere gaudet et gloriatur. Illis proinde dicatum volumus opus hoc nostrum; quod ad eorum gloriam vergat, ad exaltationem Sedis Apostolicae, ad Instituti nostri decus et incrementum. Caeterum doctorum censurae illud subjicimus, imprimis vero ejusdem Sanctae Sedis supremo et infallibili judicio, sicut decet filium obsequentissimum : et si quid irrepserit ejus doctrinae ac menti contrarium aut utcumque minus conforme, illud nunc ipsum retractamus, rejicimus, improbamus, expunctumque omnino volumus.

Digitized by Google

Digitized by Google

ERRATA

Pag.	lin.		Corrige
3	23	*ductorum*	*ducturum.*
7	3	ingenu	ingenui.
10	35	tenetur, a lege	tenetur a lege.
13	26	678	777.
15	5	629	779.
49	2	honestalis	honestatis.
75	13	Clem. VIII	Clem. X.
87	29	in jungantur	injungantur.
99	8	infratriennium	infra triennum.
120	38	*canre.*	*carne.*
121	20	uubere	nubere.
122	12	contrahare	contrahere.
123	33	866	966.
131	23	Principium	Principum.
141	5	quit	quid.
146	27	siut	sint.
148	7	iisv erbis.	iis verbis.
149	20	depretentat.	deprehendat.
150	25	affirnitatis	affinitatis.
172 (1)	2	condionem	conditionem.
		circunstantiam	circumstantiam
179	29	*reg*	*neg.*
184	21	imperimento	impedimento.
214 (1)	34	ab alias ab loci	ad alias ad loci.
216	27	eadem.	eodem.
231 (4)	9	longinguis	longinquis.
272 (1)	7	inscriptis.	in scriptis.
284	20	926	1026.

Digitized by Google

Pag.	lin.		Corrige
284	23	928.	1028.
287	8	962.	1062.
300	4	ecclesiastius	ecclesiasticus.
339 (2)	3	idenditem.	identidem.
348	17	valore	valere.
376	28	opinonem	opinionem.
380	17	responso	responsio.
404	31	caracterem	characterem.
418	14	illi citum	illicitum.
431	27	774.	874.
435	21	civilii.	civili.
446	20	conjugiis	conjugis.
449	30	solutionemc onjugii .	solutionem conjugii.
475	34	dicunb	dicunt.
477	7	965.	1065.
591	12	ad	ab.
546	24	atendum	fatendum.
	35	juxta	justa.

Digitized by Google

TRACTATUS CANONICUS

DE

MATRIMONIO

CAPUT I

DE SPONSALIBUS

Articulus I

De sponsalium notione.

1. Sponsalia, si vim nominis spectes, dicuntur a *spondendo* seu *sponte promittendo*, ut monet Ulpianus, *l.* 2 *ff. De sponsalibus*. Nam mos fuit veteribus stipulari sibi futuram uxorem ab eis, sub quorum potestate erat v. g. parentibus, tutoribus.... qui eam spondebant, seu sponte promittebant. Hinc quae spondebatur *sponsa*, cui spondebatur *sponsus*, qui spondebat *sponsor*, dies quo spondebatur *sponsalis*, totus vero apparatus et contractus *sponsalia* appellabantur (1). Quoad rem vero sponsalia in jure praesertim canonico aliquando indicant matrimonium ratum non consummatum v. g. *cap.* 13. *De praesumptionibus*, *cap.* 2 *et ult. De sponsa duorum*, *cap.* 22, 31, *De sponsalibus*..... sed saepius et magis proprie significant contractum de ipso matrimonio postea ineundo, et optime definiuntur *mutua futuri matrimonii promissio* (2). Jura ad confusionem

(1) *L.* 2, 3 *ff. De sponsalibus*, *l.* 7 *ff. De V. S.*

(2) Schmalz. *IV*, *I*, *n.* 1 *sequ.* Pirhing *IV*, *I*, *n.* 1. Reiff. *IV*, *I*, *n.* 2. D'Annibale *III*, § 369. Ben. XIV *Inst. Ecc.* 46 *n.* 23. Instrutio Austriaca § 2. In *l.* 1 *ff. De sponsalibus* sponsalia definiuntur *mentio et repromissio futurarum nuptiarum*, et a Nicol. I in responso ad Bulgaros *can.* 3, *c.*

Digitized by Google

evitandam illa appellant *sponsalia de praesenti*, haec *sponsalia de futuro*. Vocabula *sponsalia*, *sponsus*, *sponsa* sine addito in jure intelligi debent de sponsalibus et sponsis de futuro, et in materia odiosa vel indifferenti non extenduntur ad *matrimonium*, *maritum*, *uxorem*, bene vero in materia favorabili, nisi aliud constet. Viceversa vocabula *matrimonium*, *maritus*, *uxor* in materia odiosa vel indifferenti non comprehendunt sponsalia et sponsos de futuro, bene vero in materia favorabili, nisi aliud constet (1). Nos in praesenti loquimur de sponsalibus proprie dictis, idest de sponsalibus de futuro.

2. In definitione dicitur *promissio*. Unde non sufficit simplex propositum, desiderium utcumque vivum et ardens, simplex tractatus seu negotiatio de futuro matrimonio, sed requiritur vera promissio futurarum nuptiarum. Promissio, inquam, *ab una parte facta alteri*, et *acceptata*, quia promissio non acceptata nil prodest. Haec promissio debet esse *mutua*, nempe requiritur promissio intuitu repromissionis, et repromissio ratione promissionis : secus non sponsalia, sed merus contractus promissionis habebitur, qui potest quidem promittentem obligare sub gravi, ut docet et illustrat Reiff. *IV, I, n.* 17 (2) sed non parit impedimentum publicae honestatis. Aliquando autem ii plures actus, quibus sponsalitius contractus coalescit, omnes simul implicite ponuntur ; e. g. si Titio dicenti : *Vis mecum sponsalia contrahere?* Sempronia respondeat : *Volo*, jam habes vera sponsalia. Exinde apparet sponsalia constituere contractum bilateralem, ex quo utraque pars aequa jura ac aequales obligationes habet.

3. Ex hac sponsalium definitione manifeste sequitur sponsalia non intelligi in sequentibus casibus.

1° Si una pars promittit matrimonium alteri, sed mediante tertia persona, quae sine mandato acceptat et repro-

30, *q.* 5 *futurarum nuptiarum promissio*. Sed definitio a nobis data cum communi magis completa est, et in illo *mutua* natura sponsalium maxime indicatur.

(1) Sanchez *I*, *In.* 2 *sequ.*

(2) Si « grave inde damnum sequatur et cum solemnitate sit facta ». Pirhing *IV, I, n.* 3.

Digitized by Google

mittit; vel promittit tertiae personae in favorem alterius partis. Hinc sponsalia non sunt si Titius e. g. dicit Maevio: *Promitto sorori tuae Cajae matrimonium*, et Maevius nomine Cajae sine mandato acceptat et repromittit. At Titius tenetur in conscientia Cajam ducere, et Maevius debet, quantum potest, curare ut contractus a Caja ratus habeatur, quia promissio facta nomine tertiae personae sine ejus mandato resolvitur in promissionem curandi ut eadem persona contractum ratum habeat (1). Haberentur autem sponsalia, si Caja deinde, consensu a Titio non revocato, ratam habeat acceptationem et repromissionem Maevii, simul significans Titio suam ratihabitionem. Haec autem sponsalia valerent non a momento initarum promissionum inter Titium et Maevium, sed a momento significatae ratihabitionis, quia tunc habetur partium in idem matrimonium futurum consensus seu contractus sponsalitius (2). Est unica exceptio, si tamen exceptio dici potest: nam sunt sponsalia, si Titius e. g. promittit Cajae matrimonium, et parentes sine mandato acceptant et repromittunt nomine filiae praesentis et tacentis, quia praesumitur filiam silentio suo approbare acceptationem et repromissionem parentum. Sed de hac re fusius n. 31. Pariter nec sunt sponsalia si Titius e. g. dicit Cajae: *Voveo me te ductorum*, et Caja acceptat et repromittit; vel dicit Cajae parentibus: *Promitto vobis me ducturum vestram filiam*, et ipsi una cum Caja acceptant et repromittunt. At Titius, urgente Caja, tenetur in conscientia nuptias inire, in primo exemplo ratione voti, in altero ratione promissionis parentibus factae.

4. 2° Si una pars promittit matrimonium personae incertae et indeterminatae e. g. si Titius dicit duabus sororibus: *Spondeo me ducturum unam ex vobis*, et illae acceptant et vicissim pollicentur, ut si quam ex ipsis elegerit, illa sit ipsi nuptura. Rursus in casu est simplex matrimonii

(1) Vecchiotti *III*, § 55 in fine. Sanchez I, *XXIV*. Glossa in *cap.* 10 *De sponsalibus*.... v. *Tam patres* « qui factum alienum promittit non obligatur, tamen hic factum suum potius promiserunt (patres contrahentes sponsalia nomine filiorum) ut procurarent bona fide ut filii contraherent...»

(2) Notum est contractum in genere esse duorum vel plurium in idem placitum et consensus, *l.* 1ª *ff. De pactis*.

Digitized by Google

promissio, qua Titius debet unam ex illis eligere, quae vicissim debet in matrimonium consentire, sed non sunt sponsalia. Hinc Bonif. VIII *cap. ult. De sponsalibus..... in* 6° tradit ex his promissionibus incertis et indeterminatis non oriri impedimentum publicae honestatis (1). Tantum si Titius rem habet cum una, plures probabilius censent sponsalia esse et valere cum illa, quia cum matrimonium sit impossibile cum alia, obstante impedimento affinitatis, Titius tenetur ex promissione ad illam ducendam, quae vicissim tenetur sola inter alias sorores Titio nubere, ideoque promissio et repromissio evasit certa et determinata (2). Cum vero graves AA. contrarium sentiant (3), sponsalia neque cum illa valere probabilis sententia est. Quod si Titius illis sororibus dicit : *Promitto matrimonium illi ex vobis quae certum obsequium mihi praestiterit* et illae repromittunt, sponsalia cum unaquaque sunt veluti conditionata. Conditio autem verificatur pro illa, quae prior obsequium illud praestitit, et si ambae simul, Titius potest eligere inter ipsas (4), sed in hoc casu sponsalia utpote incerta et indeterminata non producunt impedimentum publicae honestatis.

5. 3° Si una pars promittit matrimonium alteri quae non acceptat. Imo in hoc casu promittens nullatenus tenetur ad matrimonium ineundum, cum promissio non acceptata non obliget. Quid si altera pars tacet? Certe non sunt sponsalia (5), quia taciturnitas non secumfert repromissionem (n. sequ.). An importet acceptationem, ideoque promittens teneatur saltem promissione simplici (nisi in promittendo intenderit sponsalia) DD. inter se non conveniunt. Alii affirmant, quia « qui tacet consentire videtur » ex *reg.* 43 *juris in* 6° ; alii negant, quia in re tanti momenti « invitum accipere debemus non eum tantum qui contradicit,

(1) Vecchiotti *III*, § 48. Giovine *I*, § 182. Sanchez *I, XXVI, n.* 6. Schmalz. *IV, I, n.* 35.

(2) Schmalz. *l. c. n.* 36, aliique plures apud ipsum. Giovine. *l. c.*

(3) Sanchez *I, XXVI n.* 13. Barbosa in *cap.* 10, *De sponsalibus...* Glossa in *eod. cap.* v. *Quam filii sub juramento.*

(4) Schmalz. *n.* 39.

(5) Santi *IV, I, n.* 14. Reiff. *IV, I, n.* 42. Vecchiotti *III*, § 51. Giovine *I*, § 183. Lehmkuhl *II, n.* 657. Schmalz. *IV, I, n.* 40. Engel *IV, I, n.* 3, cum communi.

Digitized by Google

verum cum quoque qui consensisse non probatur » *l.* 8 *ff. De procurat.* Proinde haec simplex obligatio in casu, stante hac controversia, urgenda non foret. Sed haec vix practica sunt.

6. 4° Si una pars promittit matrimonium alteri, quae acceptat, sed non repromittit. Nonnulli quidem putant adesse in hoc casu vera sponsalia, quia acceptatio secumfert repromissionem (1). Id verum est, quoties pars acceptat *sponsalia :* insuper aliquando etiam acceptatio promissionis matrimonii posset ex circumstantiis significare repromissionem (2). At in genere et per se falsum est acceptationem promissionis matrimonii implicare repromissionem, quia jus (ex promissione acceptata) ad matrimonium stare utique potest sine obligatione (ex repromissione). Unde probabilius in casu proposito sponsalia nulla sunt, nisi ex circumstantiis probetur acceptans eo ipso repromississe (3). Si autem quaeras utrum in hoc casu promissio pariat in promittente obligationem, respondemus in foro interno rem pendere ab ejus intentione in actu promissionis. Si enim ipse sponsalia inire intendebat sua promissione, nulla est obligatio, quia ejus promissio implicitam habet conditionem : *si altera pars repromittat*, quae verificata non est. Si vero ipse promisit matrimonium ex parte sua mere gratuito non intendens sponsalia, promissio valet et obligat, sed impedimentum publicae honestatis non producit, quia sponsalia non adsunt. In foro externo praesumitur promittentem intendisse sponsalia, ideoque non datur actio sponsalium nec per se ulla alia actio (4). At illud verum est aliquando in foro externo praesumi repromissionem mulieris, ideoque ipsa sponsalia. Nempe si promissio viri, aut verba, vel signa dubia sponsalium contractorum concurrunt cum copula mulieris hones-

(1) Pontius *XII, IV, n.* 10. Bangen *I, pag.* 37-38.

(2) Schmalz. *n.* 45.

(3) Ita communissime DD. Schmalz. *n.* 41. Scavini *III, n.* 782. Giovine *I,* § 183. S. Alph. *VI, n.* 836. Sanchez *I, V, n.* 5. Reiff. *n.* 17. Santi *n.* 12. De Angelis *n.* 2. D'Annibale *III,* § 370. Vecchiotti *III,* § 50. Marc *n.* 1969. Pirhing *IV, I, n.* 3.

(4) Sanchez *I, V, n.* 1 *sequ.* Schmalz. *l. c., n.* 41 *sequ.* Giovine *I,* § 183. D'Annibale *III,* § 370. Santi *IV, I, n.* 12. Reiff. *IV, I, n.* 41. Marc *l. c.* Engel *IV, I, n.* 2.

Digitized by Google

tae, et praesertim virginis honestae, praesumuntur sponsalia inita fuisse. Nam mulier honesta et praesertim honesta virgo non censetur copulae consentire, nisi in veris sponsalibus, quibus tutior redditur de futuro matrimonio (1). Haec praesumptio cessat, si mulier non est honesta, quia haec potest consentire etiam extra sponsalia. « Hinc ob corruptos praesertim in aliquibus regionibus populi mores factum est ut in omnibus ferme controversiis in S. C. C. nostra aetate propositis causae de validitate sponsalium naufragium fecerint, licet copula carnalis interfuerit, et eam praecesserint amatoria verba et familiaris frequens conversatio ». Santi *l. c.* Praeterea est praesumptio juris tantum pro foro externo. Hinc in foro interno, si sponsalia revera inita non fuerunt, sponsalia nulla sunt, e. g. si vir promisit, mulier acceptavit et sui corporis copiam fecit, quin tamen de facto repromitteret; et etiam in foro externo, si id sufficienter probetur, e. g. si mulier sustinens sponsalia fatetur se non repromisisse (2). Huc usque de notione sponsalium.

7. Hic sponsalitius contractus praemittitur matrimonio, non quidem ut hoc valeat, cum matrimonium possit licite et valide contrahi, et non raro contrahatur etiam sine sponsalibus, sed ut certius moraliter sit: atque ita parentes inter sponsos honestas relationes, et amoris ac benevolentiae signa facilius et licite admittant. Sicuti aliquibus contractibus majoris momenti aliquando praemittitur contractus de ipso contractu ineundo, ita et matrimonio aliquando sponsalia praecedunt, frequentius praeteritis moribus, rarius nostris. Quoniam vero sponsalia aliquo modo matrimonii libertatem laedunt, quoties eorum existentia probabiliter dubia est, sive dubio juris, e. g. muliere non repromittente, viro rem habente cum una ex sororibus quibus matrimonium promiserat, sive dubio facti, e. g. an vir promiserit, an repromiserit mulier, semper pro libertate pronuntiandum est. Ad rem folium S. C. C. in *Romana* seu *Comensi sponsalium*

(1) Sanchez *I, XXII, n.* 6. Vecchiotti *III*, § 50. Santi *IV, I, n.* 22. Reiff. *IV, I, n.* 68 et S. C. C. pluries. At non omnes rem eodem modo explicant.

(2) Reiff. *l. c.*

Digitized by Google

24 *nov.* 1781 « ... est vulgata canonici juris censura, qua communiter receptum habetur sponsalia utpote quae maximum nativae ingenu hominis libertati vulnus inferunt adeo rigide adeoque perfecte locupletissimis undique probationibus esse evincenda, ut nullum ambigendi locum relinquant juxta Glossam ab omnibus receptam in *cap. Mulieri De jurejur.*..... ita ut in quolibet etiam dubietatis anfractu pro omnimoda sponsalium exclusione sit pronuntiandum, ut..... apposite docet Rota in *Ferrariensi sponsalium* 18 *Mart.* 1748, § 2 *coram Bussio*, et in *Pampilonensi sponsalium* 28 *Junii* 1754, § 3 et 25 *Nov. ejusd. anni* § 1 *coram Borul* ».

Articulus II

De requisitis pro sponsalium valore.

8. Haec facile deducuntur ex notione data, et analoga sunt in omnibus contractibus. Nempe pro validitate sponsalium tria requiruntur et sufficiunt ; 1° ut matrimonium futurum sit validum et licitum undequaque, 2° ut utraque pars habeat verum consensum, 3° ut exterius illum exprimat. De singulis breviter.

§ 1. — *De primo requisito nempe ut matrimonium futurum sit validum et licitum.*

9. Sane promissio de re impossibili, aut de re illicita viribus caret. Nonnulli quidem censent, si matrimonium foret validum sed illicitum, etiam sponsalia esse illicita sed valida, ac proinde producere impedimentum publicae honestatis. Immerito prorsus : nam ex *reg.* 69 *juris in* 6° aliisque similibus « in malis promissis fidem non expedit observari ». Vide etiam *cap. ult. De pactis*, *cap.* 1 et 28. *De jurejurando*, *reg.* 58 *juris in* 6°..... Unde sponsalia etiam jurata et sequuta copula de matrimonio illicito sunt prorsus nulla (1). Ut vero hoc primum requisitum melius deter-

(1) D'Annibale *III*, § 364, *n.* 4. Reiff. *IV*, *1*, n. 19. S. Alph. *IV*, *n.* 644,

Digitized by Google

minetur, consideremus varios casus qui dari possunt.

10. Aliquando matrimonium inter partes hic et nunc esset invalidum aut illicitum, ex causa tamen temporanea quae nempe certo tempore cessabit. Hoc in casu sponsalia valent, si partes intendunt matrimonium contrahendum post illius causae cessationem, quod intendisse praesumitur; non valent, si intendunt matrimonium contrahendum ante cessationem. Nam in genere promissio rei illicitae aut impossibilis valet, si res illa aliquando futura sit possibilis et licita, et promissio fiat nunc pro tunc. Hinc e. g. stant sponsalia de matrimonio ineundo post tempus vetitum; item inter duas personas ligatas voto simplici castitatis ad tempus, aut inter liberam et ligatam valide et licite promitti potest matrimonium tunc ineundum cum voti religio non amplius obligabit (1).

11. Aliquando causa quae matrimonio obest, non est proprie temporanea, seu certo tantum tempore duratura, sed tamen cessare per se potest citra ullam dispensationem, licet ignoretur utrum et quando. Hoc in casu valida sunt sponsalia inter partem catholicam et partem infidelem (2) vel hereticam cum clausula *post meam conversionem*, et pars acatholica tenetur vel baptismum recipere, vel ejurare haeresim: id enim promittens nuptias implicite promisit. Dubium est an valeant sponsalia inter raptorem et raptam sub illius potestate adhuc constitutam. Nonnulli negant, quia Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. VI, de ref. mat.* irritans matrimonium inter ipsos a fortiori irritavit sponsalia (3); alii affirmant, quia ante Conc. Trid. valida erant in casu matrimonium et sponsalia, Concilium autem *l. c.* loquitur de matrimonio ejusque verba utpote odiosa ad sponsalia extendi non debent, unde sponsalia adhuc valent. Haec sententia est probabilior, sed prima est vere ac certe apud

circa finem De Angelis *IV, I, n.* 2 in fine. Marc *cit. n.* 1950. Giovine *I,* § 179. Instructio Austriaca § 3. Pirhing *IV, I, n.* 9.

(1) Giovine *l. c.* Marc *l. c.* Schmalz. *n.* 13. De sponsalibus impuberum aut puberis et impuberis idem per se dicendum est; sed vide, *n.* 17.

(2) S. Thomas 3, *p.* 1. 90 *a.* 1, *ad.* 3.

(3) Sanchez *VII, XIII, n.* 17. Salm. *n.* 154 aliique plures apud. S. Alph. *VI, n.* 1107.

Digitized by Google

omnes probabilis. Parochus in casu consulat Ordinarium. Caeterum in foro externo mulier sub potestate raptoris adhuc constituta non praesumitur consentire in sponsalia, nisi aliud constet. Tandem sunt nulla sponsalia *a*) inter partem liberam et partem conjugatam, vel inter duas partes conjugatas de matrimonio ineundo post respectivorum conjugum mortem ; nam sunt contra bonos mores. *b*) Inita a filiis familias invitis ex rationabili causa parentibus, aut eorum alterutro, nam matrimonium illicitum est (n. 485 sequ.). Si sponsalia facta sunt, inconsultis parentibus, regulariter ex conjectura pietatis ea conditio tacite inesse intelligitur *si parentes consenserint*, de qua n. 752 (1). *c*) Si matrimonium fieri nequit sine consanguineorum odiis, rixis... quia tunc charitate prohibetur. Cum vero charitas non obliget cum gravi incommodo, sponsalia valent si pars praetermittere sine gravi incommodo matrimonium nequit (2). *d*) Si matrimonium vergit in dedecus familiae unius partis, quae notabiliter praestat genere (3). Ad rem tamen S. Alph. *VI n.* 851 « ..... non sufficit qualiscumque disparitas ad liberandum sponsum a matrimonio promisso, sed requiritur notabilis, puta si vir nobilis desponsaverit filiam artificis mechanici ». *e*) Si una pars notabiliter alii praestat divitiis. S. Doctor *VI n.* 851 sequentes conclusiones demonstrat ». Dicendum 1° sponsum qui antecellit divitiis in casu proposito non teneri ad matrimonium, nec non venialiter peccare ratione prodigalitatis, si illud contrahat. Dicendum 2° hoc procedere stando in terminis verae prodigalitatis : verumtamen cum culpa prodigalitatis non sit plus quam venialis, quaevis mediocris justa causa vitium prodigalitatis auferre potest. Hinc satis excusabitur sponsus foeminam disparem ducens, si noverit in ea aliquam specialem praerogativam nimirum providentiae, devotionis, magnae honestatis, vel etiam alicujus dotis naturalis propter quam putet sponsus cum illa quietam du-

(1) Ben. XIV *Inst. Ecc.* 46. D'Annibale *III*, § 372. De matrimonio filiorum familias sine consensu parentum vide cit. *n.* 485 *sequ.*

(2) S. Alph. *VI*, *n.* 851.

(3) S. Alph. *IV*, *n.* 644 circa finem. Sanchez *I*, *XIV*, *n.* 3. Reiff. *IV*, *II n.* 121.

Digitized by Google

cere vitam. Hinc infertur vix casum accidere posse quo sponsus eam ducere non teneatur, quia rarissime deerit aliqua ex his causis quae culpam prodigalitatis excusabit. Dicendum 3° quod casu, quo sponsus vi promissionis copulam extorserit a virgine, vel a foemina honesta, hic omnino tenetur eam ducere: quia proditio virginitatis aut bonae famae est res pretio inaestimabilis, quae praevalet aut saltem aequivalet excessui disparitatis sponsi: et ideo in eo casu promissio facta bene est valida, cum jam adfuerit aequalitas in contractu sine vitio prodigalitatis. Et hoc procederet (juxta id quod ait Lugo *De just. d.* 12 *n.* 34) non solum cum foemina famam amiserit, sed etiam cum se exposuerit periculo famae amittendae. Hoc tamen currit si disparitas sit tantum in divitiis: nam si sit in nobilitate, tunc etiamsi intercesserit defloratio, non tenetur vir ad matrimonium cum dedecore familiae, imo probabiliter nec etiam ad damnum illatum ». His addi potest valere sponsalia, si altera pars in praesens pauper sufficientes divitias in posterum habitura est, quia matrimonium dici nequit illicitum vitio prodigalitatis. *f*) Tandem sponsalia inter partem catholicam et partem infidelem vel haereticam sine clausula de qua supra, datis etiam omnibus cautionibus (1). De sponsalibus cum tertia persona obstantibus sponsalibus cum prima vide n. 67.

12. Aliquando causa, quae obstat matrimonio, est perpetua semper duratura, nisi dispensatione removeatur. In hoc casu, si haec dispensatio est impossibilis, sive quia in eo impedimento R. P. non potest, aut non solet dispensare, sive quia deest dispensationis causa, jam patet sponsalia nulla esse utpote de re impossibili aut illicita. Dubium igitur erit tantum si R. P. in eo impedimento dispensare potest et solet et justa adest dispensandi causa. Jam vero *a*) si utraque vel alterutra pars in contrahendis sponsalibus impedimentum ignorabat, quod postea cognoscit, sponsalia nulla sunt, et neutra tenetur dispensationem petere quia nemo tenetur, a lege se subtrahere per dispensationem, imo nec obligatur uti dispensatione forte impetrata ab aliis vel a

(1) Giovine *l. c.* Ben. XIV. *Quaest. Can.* 449. Bangen *I, pag.* 43.

Digitized by Google

parte conscia impedimenti, sed potest omnino discedere (1). *b*) Si utraque pars impedimentum cognoscebat, et sponsalia inita sunt sub expressa conditione *obtenta dispensatione*, seu *si superior dispensaverit*, n. 52 videbimus sponsalia verius valere. *c*) Idem dicas, si utraque pars impedimentum cognoscebat, et sponsalia facta sunt pure et simpliciter, et sponsi interne tantum eam conditionem intenderint « quia taciti et expressi eadem est vis, et conditio quae de jure necessaria est ad valorem actus promissi, semper subintelligitur in promissione... » ait De Lugo *l. c.* (2). At fatendum plures huic conclusioni obstare, nempe omnes illos (n. 51) qui et in casu praecedenti explicitae conditionis putant sponsalia esse nulla, et insuper nonnullos alios e. g. Sanchez *V, V, n.* 25, quia, non apposita ea conditione, manet illicitum id quod promittitur, quippe « jure, quod nunc viget, aestimari debet stipulatio » *l.* 3, 4, 137 *ff. De V. O.* et *l.* 14 *ff. De sponsalibus. d*) Si una vel utraque pars ante sponsalia votum voverat virginitatis, non nubendi, castitatis (perpetuae), Religionis ingrediendae, suscipiendorum Sacrorum Ordinum, sponsalia nulla sunt utpote de re illicita.

13. Tandem aliquando matrimonio nil obstat, ita ut per se foret prorsus validum ac licitum, sed partes conveniunt de illo ineundo sine praevia peccatorum confessione in sacramento poenitentiae, sine Ssmae Eucharistiae susceptione, aut absolutione a censuris, sine caeremoniis ab Ecclesia praescriptis..... paucis, modo illicito. Hoc in casu sponsalia irrita esse quisque videt, cum sint de matrimonio illicito licet per accidens (3).

§ 2. — *De altero requisito nempe ut partes verum consensum habeant.*

14. Nam sponsalia sunt contractus bilateralis, et sine consensu contractus non intelligitur. Atqui consensus sponsalitius est actus voluntatis quo una pars intendit promittere

(1) Lugo *De j. et j. XII, n.* 54. D'Annibale *III*, § 372. Bangen *I, pag.* 4.
(2) S. Alph. *IV, n.* 650. D'Annibale *l. c.*
(3) D'Annibale *III*, § 369, *not.* 2.

Digitized by Google

matrimonium alteri parti, et acceptare promissionem ab altera factam. Ergo ad validitatem sponsalium necessarius est in utraque parte hic actus voluntatis, quo pars intendit matrimonium alteri promittere et acceptare promissionem ab eadem factam. At non est necessarius duplex distinctus voluntatis actus, alter quo promittit, et alter quo promissionem sibi factam acceptat : nam aliquando unus actus alterum implicite continet (n° 2) idque satis est pro sponsalium valore.

15. Cum consensus sponsalitius sit actus voluntatis..... patet deficere posse sive quia deficit cognitio intellectus ignorantis vel non advertentis quid sit et importet pomissio quidve matrimonium, sive quia posita intellectus cognitione, voluntas non ponit actum consensus.

16. Hinc nulla sunt ex parte intellectus :

1° Sponsalia inita ex errore circa personam, vel circa qualitatem servilem, vel circa qualitatem, quae posita fuit tamquam conditio *sine qua non*, vel si error qualitatis redundat in errorem personae (1). Si enim isti errores matrimonium dirimunt, a fortiori sponsalia irritabunt. Praeter hos casus sponsalia contracta ex errore circa qualitatem valent, sive error sit mere concomitans, uti patet, sive dederit causam contractui, etsi ex dolo malo alterius partis provenerit (2). Equidem, cognita veritate, pars sponsalia non fecisset ; fecit tamen, et in humanis contractibus non consideratur, quid contrahens fecisset, sed quid fecerit. Utrum autem hic error reddat sponsalia rescindibilia, vide n° 87.

17. 2° Sponsalia eorum qui debita mentis discretione carent (3). Commune est inter DD. usum rationis qui adesse praesumitur septennio completo, satis esse pro validitate sponsalium (4) ex *cap*, 4, 5, *De desponsal. impub.* et

(1) Vide *cap. IV, art. I,* § 1, *II.*

(2) Reiff. *IV, I, n.* 12. Error est mere concomitans, si contractus, cognita veritate, initus nihilominus fuisset ; secus dedit causam contractui.

(3) Vide *cap. IV, art.* I, § 2, *II.*

(4) S. Thomas 4 *dist.* 27, *q.* 2, *a.* 2. Sanchez *I, XVI, n.* 2, *sequ.* Schamalz. *IV, II, n.* 1. Giovine *I,* § 180 cum communi oraculo DD. Et concordat jus civile *l.* 14 *ff. De sponsalibus* ubi Modestinus in fine dicit valitura sponsalia « si modo id fieri ab utraque persona intelligatur, idest si non sint minores quam septem annis ».

Digitized by Google

cap. un. ejusd. tit. in 6°, ubi deciditur sponsalia post septennium producere impedimentum publicae honestatis ; atqui sponsalia nulla ex defectu consensus hoc impedimentum nec jure Decretalium pariunt ex *cit. cap. un. in* 6° (n° 711). Idipsum tradit S. C. S. Officii in instructione ad Vic. Apost. Sūtchuensem *Febr.* 1779 « ... Sponsalia sive inter infantes contracta sive a majori cum infante pro infectis haberi adeo ut nec publicae honestatis impedimentum producant, jure praesertim canonico constitutum habemus. Ea vero quae inter impuberes celebrantur sponsalia, quamvis jure canonico cautum sit valere, atque obligationem inducere, eodem tamen jure statutum est propter imbecillitatem judicii, ut post pubertatem resilire liceat... » (1) Salva reverentia erga communem sententiam DD. et praesertim S. C. S. Officii, liceat animadvertere hanc doctrinam non leves pati difficultates. Nam pro validitate sponsalium ex ipso naturae jure requiritur ut utraque pars satis intelligat *quid sit matrimonium* praeter vim et naturam promissionis, secus consensus est prorsus impossibilis. Proinde ex ipso naturali jure ad ineundum sponsalitium contractum eadem mentis discretio sufficiens est et necessaria, quae ad ineundum contractum matrimonialem, cum utriusque contractus idem sit obiectum futurum in̄ illo, praesens in isto. Atqui mentis discretionem matrimonialem idest sufficientem et necessariam ad matrimonium valide contrahendum praesumitur ex communi DD. sententia (n. 678) advenire cum pubertate. Praeterea DD. communiter admittunt impuberes infantiae proximos (2) contractibus in genere *nec civiliter nec naturaliter obligari praecise ob defectum debitae mentis discretionis* (3). Eccurnam, quaeso, exceptio pro contractu sponsalitio? curnam pro hoc contractu intelligentia et consensus sufficiens

(1) Collet. *Paris, n.* 843.

(2) Puer post an 10 1/2 puella, post an. 9 1/2 sunt prope pubertatem, ante prope infantiam.

(3) Sanchez *IV, XXXVIII, n.* 24 qui innumeros citat. De Lugo *De j. et j. XXII, n.* 286 qui ait esse sententiam fere omnium. Salmat. *De contractibus, I, n.* 42 dicentes esse sententiam communem. Lessius *II, XVII VII, n.* 60. Quod si nonnulli AA. ajunt *infantes* esse contractuum incapaces naturâ, et *impuberes* jure civili, sciendum est cum Lessio *l. c.* etiam pueros infantiae proximos appellari *infantes*.

Digitized by Google

praesumitur post septennium, dum pro aliis contractibus praesumitur post aetatem infantiae proximam? Neque respondeas naturam nos citius edocere ea, quae matrimonium spectant; nam aliis observationibus, quae fieri possent praetermissis, tunc sequeretur post septennium praesumi mentis discretionem matrimonialem, quod ex communi DD. calculo falsum est. Tandem vix concipitur obligatio quae ante pubertatem nec debet nec potest impleri, et adveniente pubertate, arbitrio ipsius contrahentis prorsus remittitur. Caeterum argumentum pro communi sententia desumptum ex citatis juris textibus non est peremptorium, quia cum impedimentum publicae honestatis sit juris ecclesiastici, Ecclesia certe statuere potuit hoc impedimentum non produci a sponsalibus nullis ex alio quovis defectu consensus, bene vero a sponsalibus impuberum, licet et ipsa nulla sint ex defectu consensus. Pariter si impuberes ab initis sponsalibus resilire ante pubertatem nequeunt, id a lege positiva Ecclesiae repeti optime potest; et ab eadem esse repetendum vel ex eo apparere videtur, quod resilire nequeunt nec ex mutuo consensu. Neque jus canonicum alicubi cavet sponsalia ab impuberibus inita obligationem in conscientia parere, sed id potius canonistae affirmaverunt. Communis autem opinio ex eo orta videtur quod jure Romano et antiqua Ecclesiae disciplina integrum esset patri sponsalia valida pro filiis adeptis usum rationis inire (1), sed ab illa disciplina jamdiu et merito recessum est. Ob has rationes quis non immerito fortasse putaret pro sponsalium validitate ex ipso naturae jure revera requiri eamdem mentis discretionem, quae pro matrimonio, quaeque, ut diximus, praesumitur advenire cum pubertate; hinc sponsalia ante pubertatem esse nulla defectu debitae discretionis, nisi probetur prudentiam etiam sine potentia coeundi praevenisse aetatem, quod in proximis pubertati non difficile potest verificari, licet haec sponsalia post septennium producant, Ecclesia sic volente, impedimentum publicae honestatis nec sponsi ante pubertatem discedere valeant;

(1) D'Annibale *III*, § 332 *not.* 27, Berardi *tom. III, diss. II, cap. II.*

Digitized by Google

sponsalia autem post pubertatem esse valida, nisi evincatur prudentiam de facto defecisse. DD. videant an haec opinio in aliquo a veritate deficiat. De mentecaptis, surdis mutis caecis et ebriis, qui pariter carent mentis discretione, vide quae n. 629 sequ. dicimus in ordine ad matrimonium, et sponsalibus applica.

18. 3° Sponsalia non deliberata seu facta sine advertentia licet caeteroquin sponsi plenam habeant judicii maturitatem. Iam vero pro valore sponsalium ea deliberatio et advertentia necessaria est et sufficit, quae pro peccato mortali in aliis actibus (1). Utrum vero in casu adfuerit haec advertentia et deliberatio, desumet prudens vir ex circumstantiis, sed in dubio praesumitur, quia actus haberi debet serio positus, donec contrarium demonstretur. Proinde nulla sunt sponsalia quae fiunt motu primo-primo aut motu secundo-primo, ut theologi loquuntur, in quibus vel nulla advertentia habetur, vel insufficiens ad culpam lethalem. Ita juvenes, qui in amoris et libidinis aestu inter amplexus et oscula sibi invicem nuptias promittunt, sponsalia valida non ineunt, quia non advertunt ad id quod dicunt (2). Caeterum sponsalia inita in aliqua animi perturbatione e. g. ira, amore.... valida in genere sunt, quia in iis animi motibus agitur quidem sine consilio et prudentia, non tamen sine advertentia et deliberatione sufficienti ad culpam mortalem.

19. Ex parte autem voluntatis nulla sunt;

1° Sponsalia simulata seu ficta (3) scilicet, si pars externe quidem serio et rite promittit, sed internam promittendi intentionem non habet (n. 14.) Quod si deinde simulator consensum etiam mentaliter tantum ponat, sponsalia jam valere incipiunt, dummodo alia pars suum consensum interim non revocaverit. Facile patet simulatorem in genere peccare mortaliter sive quia mentitur decipiens alteram partem in re gravi, sive quia, si fodas parietem, invenies plerumque ad turpem finem hoc mendacium proferri. Ipse proprie non tenetur ad consensum supplendum, et deinde

(1) Sanchez *I, VIII, n°* 5 cum communi.
(2) Santi *IV, I, n.* 5.
(3) Vide *cap. IV, art. I,* § 2, *I.* Santi *IV, I, n.* 3. De Angelis *n.* 2.

Digitized by Google

ad matrimonium, sed debet reparare damna alteri parti injuste illata, et si ex promissione matrimonii rem ab altera parte obtinuit, debet quoque nuptias inire. Caeterum haec simulatio in foro externo numquam praesumitur ex *l.* 7 *ff. De suppell. leg.* et *l.* 13 *C. De non numer. pec.* (n. 797-798) et ideo non creditur affirmanti etiam cum juramento simulationem ex *cap.* 5 *De probationibus*, nisi simulatio plene probetur. Hinc si simulatio revera adfuit, erit oppositio inter forum internum et externum. Quid vero si pars dum externe serio et rite promittit, interne intendit quidem promittere, sed non vult hac promissione sese obligare, vel intendit quoque sese obligare, sed non vult obligationem implere? Si non vult implere tantummodo, sponsalia valent; si nec vult sese obligare, DD. inter se non conveniunt. Si pars scit obligationem oriri ex promissione, habuit intentionem contrahendi sponsalia obligantia in conscientia, sed promittens vim obligandi actu non advertit, sponsalia certe valent, quia implicite vult quoque sese obligare, dummodo in actu quem ponit virtualiter prior intentio permaneat. E contrario si plene ignorat ex illa promissione oriri obligationem, sponsalia sunt certe nulla, quia qui ignorat naturam et vim promissionis, non habet veram promittendi voluntatem. Tandem si probe noscens naturam et vim promissionis promittit nolens tamen in corde suo hac promissione ullatenus obligari ad matrimonium inundum, probabilius sponsalia nulla sunt; valida autem sunt sponsalia cum intentione sese obligandi tantum venialiter (1). Caeterum haec quaestio non est sponsalibus specialis, sed est generalis omnibus contractibus (n. 802).

20. 2° Sponsalia jocosa, quando scilicet pars joco tantum matrimonium alteri promittit. Fieri potest ut joco promittens nec ullum peccatum committat, quia jocus et alteri apparet. In foro externo jocus non praesumitur, sed probari debet; facilius autem est ex circumstantiis probare jocum, quam dolosam fictionem (2).

(1) Sanchez *I, IX, n.* 6. Schmalz. *IV, I, n.* 34.
(2) Reiff. *n.* 7 *sequ.*

Digitized by Google

21. 3° Tandem sponsalia vis metusve causa facta (1). Sponsalia inita sub vi physica esse prorsus nulla per se patet. Metus levis, si est mere concomitans, nec invalida nec rescindibilia reddit sponsalia juxta omnes : si dedit causam contractui, ea reddit rescindibilia per judicis sententiam in favorem partis metum passae, et nonnulli putant irritare quoque, quorum sententia probabilis est (2). Metus gravis supernaturalis, aut naturalis ex causa necessaria, aut etiam ex causa libera sed juste incussus, ea non reddit nec irrita nec rescindibilia ; injuste sed indirecte tantum incussus, rescindibilia, et juxta probabilem sententiam etiam irrita ; tandem injuste et directe incussus, probabilius irrita (3) : nam hic metus irritat matrimonium, ideoque et sponsalia, quia cum matrimonium in eo rerum statu sit nullum, pars metum passa nequit ad illud sese obligare. Nonnulli putant haec sponsalia esse tantum rescindibilia, quia in genere actus sub tali metu positus est tantum rescindibilis, nisi jus illum irritum declaraverit : quod de sponsalibus nusquam legitur (4). Sed responsio facile patet ex dictis : nempe jus explicite declarans matrimonium irritum sub tali metu, implicite declaravit irrita etiam sponsalia ob allatam rationem.

22. Quae cum ita sint, merito observat Marc *n.* 1951 in nota : « Saepe numero promissiones futuri matrimonii, quae inter adolescentes sese invicem adamantes fieri solent, non sunt vera sponsalia, cum propositi potius quam contractus onerosi conditiones prae se ferant, in illis praesertim regionibus, ubi est in more positum, ut sponsalia cum aliqua solemnitate ineantur ».

(1) Lege *cap. V, art. II*, § 2, *II*.

(2) S. Alph. *VI, n.* 844 cum plerisque putat *probabilius* esse sponsalia valere, sed simul citat plures graves AA. pro contraria sententia, quibus inter recentoires accedunt Ballerini-Gury *II, n.* 725; Lehmkuhl, *II, n.* 658. Imo si pars metum passa non tenetur in conscientia servare fidem datam, quod S. Alph. *l. c.* cum plerisque admittit, nonne exinde sequitur promissionem a se factam fuisse nullam, licet valida sit promissio alterius partis, ideoque non adesse mutuam promissionem seu sponsalia ?

(3) S. Alph. *l. c.* ; Sanchez *IV, IX*; D'Annibale *III*, § 371 ; Marc *n.* 1950; Lehmkuhl *l. c.* ; Ballerini-Gury *l. c.*

(4) De Angelis *IV, I, n.* 2 ; Santi *n.* 10 ; Pirhing *n.* 21.

Digitized by Google

§ 3. — *De tertio requisito nempe ut consensus exterius exprimatur.*

23. Nam « intentio mente retenta nihil in humanis contractibus operatur » *l.* 60 *ff. Locati*. Scilicet pro sponsalium valore necesse est ut promissio et acceptatio Titii significetur Semproniae ; et quidem directe etsi mediate, acceptatio et repromissio Semproniae significetur Titio, et quidem directe etsi mediate aut post aliquod temporis intervallum, dummodo Titius interim consensum suum non revocaverit, vel matrimonium evaserit invalidum aut illicitum ; et tunc tantum, cum utrinque mutua promissio non retractata nec illicita facta directe significata est, contractus sponsalitius perfectus est. Omnes autem hos actus aliquando una simul implicite poni diximus n. 2 (1).

Modo videamus quomodo consensus sponsalitius exprimi, seu manifestari debeat.

24. In primis consensus sponsalitius quocumque idoneo modo exprimi potest, ita ut nulla forma aut solemnitas pro sponsalium validitate requiratur e. g. scriptura, testes, praesentia parochi..... Hinc utique tutius est ut sponsalia scripturae publicae aut privatae coram testibus consignentur, sed non ideo sponsalia voce tenus solum peracta irrita sunt (2). Item sponsalia clandestina, idest sine praesentia parochi et testium, valida sunt, quod S. C. C. pluries declaravit (3) ; imo sponsalia coram parocho et testibus hodie in usu nullibi sunt. Sane Conc. Trid. substantialem formam pro matrimonio tantum induxit, sed sponsalia clandestina nec irritavit, nec prohibuit. At « non desunt DD. qui admodum exoptant ut, ad difficultates quae oriri possent, eliminandas, certa regula in contrahendis sponsalibus constituatur, terminusque determinetur, intra quem contractus sponsalitius, ni aperte ratus habeatur, dissolvi possit » Vecchiotti *III*, § 46 (4).

(1) Lege *cap V, art. I.*
(2) Ben. XIV *Inst. Ecc.* 46, *n.* 15; Lehmkuhl *II, n.* 660; Santi *IV, I, n.* 15; Engel *IV, I, n.* 6.
(3) Ben. XIV *l. c. n.* 12 ; Schmalz. *IV, I, n.* 73 *sequ.* aliique passim.
(4) De Angelis *IV, I, n.* 3.

Digitized by Google

25. R. P. et Generale Concilium possent quidem hanc formam et terminum constituere, non autem alii infra R. P. S. C. C. apud Ben. XIV, *De Syn. XII, V, n.* 1 censuit Archiepiscopum non posse declarare nulla sponsalia clandestina, Nec potest Episcopus sponsalia sine tali solemnitate declarare illicita, aut per suum decretum dissolubilia. Huc refertur responsio S. C. C. in *Ugentina sponsalium,* 23 *Mart.* 1878. In synodo illius dioecesis praescriptum fuerat prout sequitur : « Praeterea licet sponsalia, ut sint valida jure naturae nulla indigeant solemnitate, attamen ut licite fiant, contrahentes praecepto legis conformari debent. Qua de re ad vitanda mala ex sponsalibus clandestinis provenientia, sub gravi praecipimus non esse licitum in nostra dioecesi sponsalia contrahere nisi sub hisce conditionibus : 1° Ut fiant coram duobus testibus et publico notario, vel coram aliqua persona in dignitate constituta, puta parocho, sacerdote, magistratu. 2° Ut promissio et repromissio scripto tradatur, et sit subscripta a testibus et ab illo in cujus praesentia fiat. Contrahentes, qui huic mandato obtemperare recusant, subjicientur poenis interdicti ab ingressu ecclesiae et excommunicationis majoris ferendae sententiae. Imo si et quatenus ad bonum commune vel ad familiarum concordiam utile judicaverimus, hujusmodi sponsalia illicite contracta in poenam inobedientiae nostra auctoritate dissolvemus. Iis vero, qui sponsalia clandestina jam contraxerunt, praecipimus sub iisdem supradictis poenis, ut infra duos menses illa renovent in scriptis coram testibus et alia persona, ut supra. Quod si alteruter sponsorum jus jam acquisitum servare velit contra nolentem ratificare, debet infra praedictum duorum mensium spatium illud declarare coram nobis, vel Vicario nostro Generali, sive per se, sive per procuratorem, secus juri suo renuntiasse censebitur ». Cum igitur Pantaleo Cazzato in suis cum Gabriela Coletta sponsalibus de quibus quaestio erat, huic praescripto synodali non paruisset, Episcopus declaravit sponsalia non existere, et quatenus existerent, ea se dissolvere ad bonum commune et ad vitanda scandala..... Curia archiepiscopalis Hydruntina 31 *Julii* 1876 hanc sententiam approbandam, retinendam

Digitized by Google

et confirmandam judicavit, et quaestio transiit in rem judicatam. Sed cum Gabriela, non petita prius et obtenta restitutione in integrum, eam detulisset ad S. C. C., proposito dubio : « An et quomodo sententia curiae metropolitanae Hydruntinae sit confirmanda, vel infirmanda in casu », S. C. reposuit 23 *Martii* 1878 : « Attenta re judicata, non esse interloquendum, et ad mentem ». Mens fuit ut scriberetur episcopo non sustineri dispositionem synodalem quoad facultatem Ordinario tributam dissolvendi sponsalia sine solemnitatibus contracta. Ex dictis patet multo minus auctoritatem civilem similia statuta ferre posse, et forte lata viribus carere : quia sponsalia, utpote praeparatio ad matrimonium, subsunt potestati Ecclesiae.

26. At fieri potest ut aliqua solemnitas pro validitate sponsalium requiratur ob legitimam regionis consuetudinem, quae habet illam tanquam necessariam licet ab initio auctoritate civili praescriptam. Huc spectat responsio S. C. C. in *Placentina sponsalium*, 31 *Jan.* 1880. In Hispania Carolus III initio hujus saeculi praescriptit omnibus judicibus ac tribunalibus regni sui sive civilibus sive ecclesiasticis, ut tanquam nulla haberent sponsalia quae inita essent sine publico notarii instrumento. Carolinam dispositionem ecclesia Hispana, invita licet et aliquibus Episcopis contradicentibus, ab exordio tamen admisit constanter universaliterque eam observans : hinc consuetudinario jure canonicae disciplinae et sanctionis ecclesiasticae vim adepta est, et in praesentiarum vires suas exerit. Jam vero S. C. in citata *Placentina* hanc consuetudinem solemniter probavit. Nam propositis dubiis : « 1° An sponsalia quae in Hispania contrahuntur absque publica scriptura sint valida. Et quatenus negative ; 2° An publicam scripturam supplere queat instrumentum in curia conflatum pro dispensatione super aliquo impedimento »; respondit : « Ad 1um et 2um negative ». Porro ex folio S. C. satis apparet rationem decidendi fuisse consuetudinem ex Carolina dispositione introductam et ab Hispana ecclesia receptam, rationabilem et legitime praescriptam. Imo in recenti codice civili, qui in regno Hispaniae publicatus est, Carolina dispositio suppressa fuit ; nam in *art.* 49 statuitur

Digitized by Google

sponsalia (quaecumque etiam per publicam scripturam inita) nullam parere obligationem contrahendi matrimonium; nullumque tribunal posse actionem admittere, qua hujusmodi executio peteretur; et in *art.* 44 praescribitur, si promissio facta fuerit per actum publicum aut per scripturam privatam ab aetate majore aut a minore, accedente consensu earum personarum quarum necessaria est interventio ad celebrandum matrimonium, vel si jam publicata fuerint banna, partem quae absque legitima causa a matrimonio contrahendo recedit, teneri ad reficiendas expensas, quas altera pars matrimonii causa exsolverit, si haec actio infra annum a die denegati matrimonii proponatur. Quo posito, in *Compostellana sponsalium diei*, 11 *Apr.* 1891 dubitatum fuit: « An quae S. C. quoad sponsalium valorem in *Placentina diei* 31 *Januarii* 1880 declaravit, et sanxit, hodie post civilis Hispani codicis mutationem adhuc vigere censeantur in casu ». S. C. C. reposuit: « affirmative ». Sane sponsalia in Hispania publicam scripturam requirunt non praecise vi Carolinae dispositionis, sed vi consuetudinis subinde introductae; haec autem etiam post novum codicem perdurat, qui proinde nil immutavisse dicendus est.

27. Igitur praescindendo a casu legitimae consuetudinis particularis quae aliud exigat, jure communi ad validitatem sponsalium, dummodo sufficienter manifestetur vera promissio uni parti determinatae ab alia parte facta, parum interest an manifestetur *verbis*, *factis*, *signis*, *silentio ipso*, *per epistolam*, *per procuratorem*, *per interpretem*. In dubio autem de valore sponsalium ob ambiguitatem verborum, factorum... semper pro libertate standum est in utroque foro (1). Jam de singulis pauca.

28. *Verbis.* Si partes dicant: *Promitto*, *spondeo*, *fidem meam obligo*, *ego te recipiam in meum*, *et ego in meum*, est vera promissio ac sponsalia (2). *Contraham tecum matrimonium*, *ducam te*, *accipiam te*, indicant simplex propositum, non veram promissionem (3). *Cupio*, *nil magis opto*, *eris mea..*, exprimunt desiderium, non promissionem.

(1) Santi, *IV*, *I*, *n.* 17; De Angelis, n. 2.
(2) De ultimo exemplo agit expresse *cap.* 31, *De sponsalibus.*
(3) D'Annibale, *III*, § 370, *not.* 7.

Digitized by Google

Volo ducere te in matrimonium, est expressio dubia utrum significet matrimonium an sponsalia. *Promitto me non aliam ducturum nisi te*, proprie non est promissio ducendi illam. *Promitto me tecum contracturum sponsalia*, est promissio sponsalium, non matrimonii. *Voveo me te ducturum*, non sunt sponsalia (n. 3). Si quis contraheret per verba de praesenti intendens sponsalia, nec matrimonium habetur, quia deest consensus matrimonialis, nec sponsalia, quia deest promissio (1). Item si quis contraheret per verba de futuro intendens matrimonium. Caeterum ut sensus verborum determinetur pro foro externo « ad communem verbi intelligentiam recurratur, et cogatur uterque verba prolata in eo sensu retinere, quem solent recte intelligentibus generare » *cap.* 7, *De sponsalibus*. Item recurratur ad circumstantias in quibus verba prolata sunt, ad probatos AA. aut juris doctrinam. Ex quibus fieri potest, ut sensus obvius verborum corrigatur; e. g. licet verba *contraham tecum*, *ducam te*, *accipiam te* per se significent tantum propositum, tamen in communi loquendi usu videntur importare promissionem et sponsalia (2). In foro autem interno sensus verborum desumitur ex intentione contrahentis.

29. *Factis*: nam etiam nonnulla facta juxta populorum mores satis exprimunt consensum ita ut, illis positis, valida habeantur sponsalia. Talia esse solent e. g.: *a*) Immissio annuli, si praecesserit verbum de sponsalibus; tunc enim mulier, quæ annulum recipit, consentit ipso facto, etsi nil dixerit. Si autem parentes annulum mittant ad sponsam, non censetur filius contraxisse sponsalia, nisi annulus ex suo consensu missus fuerit. *b*) Arrharum et donorum datio et acceptatio. Si enim post tractatum de matrimonio contrahendo vel inter partes, vel inter tertiam personam et unam partem, haec misit arrhas, annulum, pecuniam nomine doni sponsalitii, et alia pars acceptavit, habetur satis expressus consensus, et valent sponsalia. *c*) Manuum porrectio. Si

(1) Ben. XIV, *Inst. Ecc.* 49, *n.* 23 doctrinam de validitate sponsalium in casu appellat *insaniam*, *falsamque doctrinam*.

(2) Schmalz., *IV, I, n.* 51; Sanchez, *I, XVIII, n.* 12 aliique communiter,

Digitized by Google

scilicet praecedente tractatu de matrimonio ineundo, utraque pars dexteram porrigat et alterius dexteram stringat, habentur sponsalia, quia dexterae porrectio et strictio indicare solet fidem datam et acceptatam (1).

30. *Signis.* Inn. III *cap.* 23, *De sponsalibus*, rescribit mutum et surdum posse matrimonium contrahere (ideoque et sponsalia) cum « quod verbis non potest, signis valeat declarare ». Quaenam signa satis exprimant consensum, pendet ex moribus populorum, aut circumstantiis. Ita e. g. si vir dicat mulieri : *Promitto tibi matrimonium, acceptasne et repromittis*? et mulier caput inclinat, habentur sponsalia, quia hoc signum nostris moribus indicat assensum, nisi aliud probetur.

31. *Silentio ipso* : In genere taciturnitatem ad oblatas sibi nuptias non sufficere pro valore sponsalium diximus n. 5 ; at valida sunt sponsalia, quae parentes iniverunt nomine filiorum *praesentium* et *tacentium* : praesumuntur enim consentire. Ita statuitur *cap. un., De desp. imp. in* 6° : « Porro ex sponsalibus, quae parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint vel tacite, ut si praesentes fuerint nec contradixerint, obligantur : et ex eis oritur justitia publicae honestatis ». Ex communissima sententia nomine parentum unice veniunt pater et mater, non autem tutor, curator, aut alius quivis consanguineus (2). Nec refert utrum filius sit legitimus, aut illegitimus, vel emancipatus. Haec quidem in foro externo ex juris praesumptione : nam si filius reipsa animo dissentit, aut etiam mere negative se habet, sponsalia in foro interno non valent, et nec in externo, si se non consensisse sufficienter probaverit per conjecturas aliasve praesumptiones et in dubio per juramentum suppletorium (3). Si filius

(1) AA. alia etiam facta recensent, sed nonnulla non videntur implicare vera sponsalia. E. g. Caja honesta puella repellit amores Titii dicens se abhorrere a vanis amoribus. Titius promittit serio matrimonium, et tunc Caja tacens admittit familiaritatem inter sponsos consuetam. Non putamus adesse sponsalia contra Lehmkuhl, *II*, *n.* 659 post Bangen, *I*, §1, quia Caja facto acceptavit promissionem, sed ubinam repromissio ?

(2) Sanchez, *I*, *XXXIII*, *n.* 7 ; S. Alph., *VI*, *n.* 839 ; Schmalz., *IV*, *I*, *n.* 67 ; Ballerini-Gury, *II*, *n.* 722 ; Lehmkuhl, *II*, *n.* 662.

(3) Ballerini, *l. c.* ; Schmalz., *n.* 63.

Digitized by Google

est absens, Bonif. VIII in *cit. cap. un.*, *De desp. imp. in* 6° post relata verba subdit: « Et est idem si filii tempore sponsaliorum absentes et etiam ignorantes, eadem sponsalia postscientes ratificaverunt tacite vel expresse : alias ex sponsalibus contractis a parentibus pro filiis, nec ipsi filii obligantur, nec publicae honestatis justitia inde exurgit ». Tacita ratihabitio pro foro externo ex praesumptione juris habetur, si filius sciens *non contradixerit* (1), quod quidem ex cit. decretali Bonif. VIII satis eruitur, e. g. si parentibus manifestantibus etiam per epistolam sponsalia, filii taceant. Sponsalia autem ratihabita valent a momento ratihabitionis.

32. *Per epistolam* inter absentes. Nam sicut alii contractus, non excluso matrimonio, per epistolam iniri possunt, ita etiam contractus sponsalitius. Ad rem Ulpianus *l. ult. ff. De sponsalibus* : « In sponsalibus constituendis parvi refert per se et coram, per internuntium, vel per epistolam, an per hoc factum est ». Ut vero per epistolam valida ineantur sponsalia, sicuti caeteri contractus onerosi et ipsum matrimonium (n. 832), necesse est ut Titius mittat epistolam ad Cajam, et epistola perveniat ad Cajam, haec acceptet et repromittat, quae tandem acceptatio et repromissio item innotescat Titio, nisi forte Titius in epistola dixisset se ex nunc acceptare Cajae repromissionem. Et si medio tempore Titius aut Caja consensum revocaverint, nihil est actum ; item si res ad eum casum devenerit, a quo initium habere non potuisset, e. g. si Titius factus sit eunuchus, aut ordines sacros susceperit..... Quod diximus de epistola, repeti debet de internuntio, qui epistolae fere locum tenet.

33. *Per procuratorem.* Sicut enim alii contractus iniri possunt per procuratorem, ita et sponsalia. Bonif. VIII in *cap. ult.*, *De procurat. in* 6° tradit et matrimonium per procuratorem iniri posse et assignat conditiones necessarias ; quae omnia nos exponimus n. 834 sequ., et applicantur quoque sponsalibus juxta communem interpretationem.

34. *Per interpretem* sicuti alii contractus et ipsum matrimonium (n. 836).

(1) Schmalz., *n.* 61 qui citat plures AA. ; Ballerini, *l. c.* ; Santi, *IV*, *I*, *n.* 25. Contra D'Annibale, *III*, § 370, *not.* 9.

Digitized by Google

Articulus III

De accidentalibus sponsalium.

35. Ea quae sponsalibus accedere possunt vel non, quaeque proinde merito appellabis sponsalium *accidentalia*, sunt : carnalis copula inter sponsos ; deinde conditio, modus, demonstratio, causa ; item arrha, poena ; postea dies seu tempus ; et tandem juramentum. Juramentum declaratione non indiget, vide tantum n. 65 ; de die seu tempore agitur n. 68 sequ.; de aliis modo in totidem paragraphis.

§ 1. — *De sponsalibus cum carnali copula.*

36. In primis ubi decretum Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. I de ref. mat.* non viget, si sponsi post inita valida sponsalia commiscentur, et in hoc congressu consensum habent matrimonialem, habetur matrimonium, quod jure decretalium appellabatur *praesumptum* (n. 237), quia innitebatur praesumptioni juris et de jure, ut infra explicamus.

37. Cum ex hypothesi adsit in utraque parte congrediente verus consensus matrimonialis internus, et non animus fornicarius, tota difficultas est in explicando, quomodonam hic consensus manifestetur per copulam carnalem in illis circumstantiis. Haec explicatio quae facilis non est, nec eadem apud omnes, ita exponi potest (1). Si post promissum mihi librum tu illum mihi porrigas nil dicens, et ego recipiam, donatio habetur perfecta, quia porrectio tua post factam promissionem satis exprimit intentionem donandi, et receptio mea satis indicat acceptationem donationis. Idem accidit in casu nostro. Quia scilicet Titius et Maria mutuo sibi promiserunt matrimonium, seu jus coeundi, copula carnalis, libere deinceps habita, satis exprimit Titium velle tradere promissum jus Mariae, quae acceptat, et viceversa ; seu satis exprimit consensum matrimonialem, et ita habetur matrimo-

(1) S. Thomas, 4 *dist.* 28, *q.* 1, *a.* 2.

Digitized by Google

nium, quod, ubi positiva forma ad ejus validitatem requisita non est, consistit in consensu matrimoniali sufficienter utrinque manifestato sive verbis, sive signis.

38. Ecclesia jure decretalium adeo firmiter praesumebat in casu esse revera matrimonium juxta ipsius facti significationem, ut non admitteret in foro externo probationes in contrarium, ac proinde haec praesumptio erat *juris et de jure*. Id tradit Greg. IX in *cap.* 30, *De sponsalibus*. Nam Titius sponsalia fecerat cum Maria, cum qua postea liberam habuit copulam carnalem. Deinde in facie Ecclesiae matrimonium cum alia contraxit, et consummavit. Greg. IX *l. c.*, rescribens episcopo Cenomanensi, tradit Titium ad Mariam redire debere « quia licet praesumptum primum matrimonium videatur, contra praesumptionem tamen hujusmodi non est probatio admittenda. Ex quo sequitur quod nec verum, nec aliquod censetur matrimonium, quod de facto est postmodum subsecutum ». Id etiam aperte docet Alex. III in *cap.* 15 *ejusdem tituli*, et huc quoque spectat *caput ultimum citati tituli*. Quamquam vero contra praesumptionem hujusmodi non esset probatio admittenda, tamen probatio indirecta in utroque foro admittebatur, idest sponsalia inita non fuisse, aut non fuisse valida, aut fuisse soluta quando copula accessit, aut copulam positam non fuisse, aut non fuisse idoneam ; tantum probatio directa, nempe animum in copula non fuisse maritalem, excludebatur, et quidem pro solo foro externo. Imo sacrorum canonum interpretes animadvertebant, sicuti contra alias, ita contra istam praesumptionem juris et de jure admitti etiam pro foro externo probationem directam *evidentem*. Deinde vero quaenam probatio talis censeretur, et admitteretur pro foro externo, doctores non conveniebant, nec juvat eorum opiniones expendere ; at certe non sufficiebat confessio etiam jurata unius vel utriusque partis, praesertim si libertatem desiderabant.

39. Ex hac legislatione graves conflictus inter forum internum et forum externum oriri facile poterant ; quos vide in instructione S. C. de Propaganda Fide *diei 14 Jan.* 1821, quam damus in Alleg. II, cum in hanc aliasque canonicas materias magnam lucem effundat. Sed his non obstantibus, haec legislatio, rejiciens probationem directam pro foro externo,

Digitized by Google

sapiens et justa erat. Nam fideles sciebant matrimonium contrahi, copula sponsalibus accedente cum affectu maritali, et, bonis moribus imbuti, hunc affectum de facto plerumque habebant. Quo posito, admissa probatione directa pro foro externo, lata porta aperta fuisset polygamiae, polyandriae etc., quia judex, una parte affirmante animum suum in copula carnali fuisse fornicarium, stare debuisset pro libertate, aliasque nuptias permittere. Incommoda vero non levia quae habebantur, si revera animus fuerat fornicarius, sponsi, hanc legislationem ut plurimum cognoscentes, sibimet imputare debebant.

40. Decursu temporum fideles ignorare coeperunt hanc Ecclesiae legislationem, et depravati moribus copulam non affectu maritali, sed potius animo fornicario habuerunt, ita ut ex hac legislatione haberentur omnia incommoda, quin ullis obviaretur malis. Hinc sapienter Leo XIII per S. C. Inquis. *die* 15 *Febr.* 1892 sequens tulit decretum :

« Consensus mutuus, unde matrimonia justa nascuntur, non verbis dumtaxat sed aliis quoque signis exterioribus patefieri ac declarari potest. Quamobrem Alexander III (1), Innocentius III (2) et Gregorius IX (3), decessores Nostri, merito decreverunt ut carnalis copula, si sponsalia de futuro certa ac valida praecessissent, cum in judicio, tum extra judicium pro vero conjugio haberetur, nisi impedimentum canonicum obstitisset. Et in hac juris praesumptione tantum roboris inesse voluerunt, ut firmum ipsa statueret sanciretque jus nec probationem contrariam ullam admitteret. Deinde vero matrimonia clandestina, id est non praesente parocho et duobus tribusve testibus inita, quum Concilium Tridentinum (4) irrita infectaque esse jussisset, jus illud priscum, ut erat necesse, valere desiit ubicumque promulgata vel moribus usuque recepta Tridentina lex. Quibus autem illa locis non viget, in iis semper Apostolicae Sedis judicium fuit, canones, quos indicavimus, ratos atque firmos permansisse. Sed aetatum decursu, ex conscientia et cognitione christia-

(1) Cap. *Veniens*, de Sponsal.
(2) Cap. *Tua nos*, eodem tit.
(3) Cap. *Is qui fidem*, eodem tit.
(4) Sess. XXIV. Cap. 1, de Reform. matrim.

Digitized by Google

norum sensim effluxere. Plures enim Episcopi ex iis regionibus, in quibus matrimonia clandestina contra fas quidem inita, sed tamen valida judicantur, haud ita pridem rogati quid populus ea de re sentire videretur, plane retulerunt, canonicam de conjugiis praesumptis disciplinam passim exolevisse desuetudine atque oblivione deletam : propterea vix aut ne vix quidem contingere ut copula inter sponsos affectu maritali nec fornicario habeatur : eamque non matrimonii legitimi usum sed fornicationis peccatum communi hominum opinione existimari : imo vix persuaderi populo posse, sponsalia de futuro per conjunctionem carnalem in matrimonium transire.

« His igitur rebus et causis, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in rebus fidei Inquisitorum generalium, supra memoratos canones et alias quascumque juris canonici ea de re dispositiones, etiam speciali mentione dignas, per hoc Decretum Nostrum abrogamus et abolemus, et pro abolitis et abrogatis, ac si numquam prodiissent, haberi volumus.

« Simul per has litteras Nostras decernimus ac mandamus ut deinceps illis in locis in quibus conjugia clandestina pro validis habentur, a quibusvis judicibus ecclesiasticis, in quorum foro causas ejusmodi matrimoniales agitari et judicari contigerit, copula carnalis sponsalibus superveniens non amplius ex juris praesumptione conjugalis contractus censeatur, nec pro legitimo matrimonio agnoscatur seu declaretur. Hujus tamen auctoritate Decreti induci nolumus necessitatem formae Tridentinae servandae ad matrimonii validitatem ubi illa forma modo non viget ».

41. Hoc decreto haec species praesumpti matrimonii cessavit, abrogata praesumptione juris et de jure, idest prohibitione recipiendi directam probationem contra matrimonium. Si copula sponsalibus accessit ante datam hujus decreti, antiqua legislatio applicanda est ; deinceps res est sub jure tantum naturali. Si igitur utraque pars copulam ponens affectum habuit maritalem, matrimonium adest (dummodo ea, quae n. sequ. exponimus, verificentur), secus non adest ; et, una parte affirmante se animo fornicario copulam posuisse, tum confessarius tum judex utrique parti alias

Digitized by Google

nuptias permittere debet; imo ipso facto pars ad alias nuptias transiens illud satis affirmare tacite videtur. Quid vero si pars affectum maritalem reipsa habuit? Alterum matrimonium foret nullum, et ideo foret conflictus inter forum internum quod staret pro primo matrimonio inito in copula carnali sponsalibus accedente, et forum externum quod staret pro altero matrimonio, rejecta accusatione contra primam affirmationem expressam vel saltem tacitam. Sed de facto hodie hic conflictus numquam verificabitur, quia, ut dictum est, numquam accidet, quod utraque pars consensum maritalem in copula post sponsalia foveat.

42. Porro ex dictis n. 36 satis apparet, etsi in utraque parte copulam ponente adsit consensus matrimonialis, tamen matrimonium in casu ob defectum expressionis hujus consensus non haberi nisi:

1° Inter Titium et Mariam vera et valida fuerint sponsalia. *Vera sponsalia*; nam licet Greg. IX *l. c.* dicat: « Is qui fidem dedit Mariae mulieri etc. » et Alex. III *l. c.*: « Cui (mulieri) fidem coram pluribus praestitit... post fidem praestitam » quae indicare videntur simplicem unius partis promissionem, tamen omnes haec verba intellexerunt de veris sponsalibus. Revera sine praevia mutua promissione matrimonii copula non satis indicat internum matrimonialem consensum. *Valida*, quod pariter doctores communiter tradebant de matrimonio praesumpto, et adhuc verum esse putamus, excepta praesumptione juris et de jure. Hinc e. g. si Titius valida inivit sponsalia cum Sempronia, et deinde, primis sponsalibus non solutis, alia cum Maria contrahit, eamque cognoscit affectu maritali, matrimonium non adest, quia sponsalia erant nulla. Hinc etiam cum sponsalia sub conditione de futuro contingente, revera, pendente conditione, nondum existant, si copula carnalis interim accedit etiam animo maritali, matrimonium non habetur.

43. 2° Sponsalia praecesserint, et copula subsecuta sit. Id patet ex *cit. cap.* 15 ubi Alex. III respondet virum debere cum prima muliere remanere, si eam *post fidem praestitam* cognoverit; secus cum secunda. Praeterea id intelligitur etiam ex ratione decidendi supra allata.

44. 3° Copula sit libera, vera, et in vase debito peracta,

Digitized by Google

licet per accidens ad generationem inepta, prouti expresse etiam declaravit S. C. de Prop. Fide, *die* 5 *Martii* 1816.

Nisum ad copulam non sufficere tradit *cap.* 32, *De sponsalibus*...

45. Igitur si haec verificentur, et insuper (quod numquam aut fere numquam accidit) ambo sponsi habeant in copula maritalem affectum, matrimonium contractum est in locis ubi non viget citatum decretum Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. I de ref. mat.*; nam si hoc decretum publicatum est, et urget, patet manifeste matrimonium in casu nullum esse.

46. At etsi ex copula sponsalibus accedente matrimonium ob quamcumque rationem non habeatur, tamen praeter sponsalitiam obligationem et actionem possunt ex hac copula speciales obligationes et actiones exoriri, quae a sponsalibus minime pendent. Scilicet si vir rem obtinuit formali matrimonii promissione, ad hoc tenetur vi contractus innominati qui intercessit, *do ut des*, *facio ut facias*, quem contractum mulier ex parte sua adimplevit suum corpus praebens, ideoque et vir implere debet ipsam ducens. Quod si vir vi physica vel morali a sponsa rem extorsit, sponsa ejusque parentes habent contra illum actionem tum criminalem ad injuriam vindicandam, tum civilem ad damnum reparandum, si nempe mulier exinde aut nullas, aut nonnisi inferiores nuptias invenire posset. Hoc damnum sponsus reparare debet matrimonio, et non liberatur assignatione dotis, quia ipse nuptias ex sponsalibus debet, et « aliud pro alio invito creditori solvi non potest » *l.* 2 *ff. De rebus creditis*; et si e contrario ipse paratus est matrimonium contrahere, sponsa nequit dotem potius exigere, quia ipse debet nuptias, et aliud pro alio ab invito debitore exigi nequit. Haec fusius declarare nostri in praesentiarum non est.

§ 2. — *De sponsalibus sub conditione, modo, demonstratione, causa* (1).

47. *Conditio*, ut ab ea incipiamus, in re nostra optime

(1) Vide quae fuse disputamus de matrimonio sub conditione, *cap. V, art. VI.*

Digitized by Google

definitur : *circumstantia actui* (sponsalibus) *adjecta ex qua consensus pendet,* idest suspenditur, vel revocatur (1). Exprimi solet per particulas *si*, *dummodo*, *modo*, et interdum *ablativo absoluto*, « sed hoc non est perpetuum : nam si eo exprimuntur quae actui tacite insunt, verius non conditio intelligitur, sed magis monitio quaedam, quae nihil mutat, quippe eadem est vis taciti et expressi » D'Annibale *l. c.* Alia est de eventu *futuro* vel *necessario*, vel *impossibili*, vel *contingenti,* haecque ultima vel *resolutiva* actus, vel *suspensiva*, simulque vel *honesta*, vel *turpis*, vel *contra ipsam substantiam* ; alia de eventu *praeterito*, vel *de praesenti* item *possibilis*, vel *impossibilis*, *honesta* vel *turpis*. Quoniam vero natura verae conditionis exigit ut consensum suspendat aut revocet, hinc vera conditio est tantum de futuro contingenti ; aliae enim consensum revera nec suspendunt, nec revocant.

48. Jam vero sponsalia sub conditione de futuro *necessario,* e. g. : *Promitto matrimonium si crastina die sol orietur*, statim valent ex *l.* 9 *ff. De notat.* (n. 843). At facile probabis ex circumstantiis fuisse jocosa. Sub conditione de futuro *impossibili,* e. g. : *Si digito caelum tetigeris*, sunt nulla ex § 11 *Inst. De inut. stipul.* (n. 844), nisi probetur sponsalia fuisse serio inita, et conditionem joco appositam. Contra est in matrimonio et testamento propter favorem juris (cit. n. 844), sed sponsalia favore juris non gaudent (2). Sub conditione de futuro *contingenti*, non est eadem responsio pro omnibus speciebus conditionum. Si haec conditio est *resolutiva* (3), e. g. : *Promitto matrimonium, sed*

(1) D'Annibale *I*, § 41.

(2) Schmalz. *IV, V, n.* 76 ; Reiff. *IV, V, n.* 58 ; Pontius *II, X, n.* 5 ; Giovine *I*, § 186 aliique contra Sanchez *V, XVII* aliosque non paucos. Sanchez *l. c.* citat pro se sententiam concordem omnium DD. et receptissimam, sed ex. cit. AA. jam patet hanc sententiam post Sanchesium non fuisse adeo concordem et receptissimam.

(3) Notum est conditionem *resolutivam* esse illam, quae actum positum resolvit, verificato eventu : *suspensivam*, quae actum suspendit usque ad eventum. « Utra vero sit, pendet ab intentione volentis ; nam regula est *voluntas regit conditiones*. Itaque si is velit actum valere, postquam conditio extiterit, haec suspensiva est ; sin protinus quoad extiterit conditio, haec est resolutiva ». D'Annibale *I*, § 41. In dubio intelligitur suspensiva. Reiff. *IV, V, n.* 9.

Digitized by Google

si sententia judicis erit mihi contraria, liber ero, sponsalia statim valent, sed, verificata conditione, eo ipso nulla sunt. Si est *suspensiva honesta*, e. g. : *Promitto matrimonium si sententia judicis erit mihi favorabilis*, sponsalia in suspenso sunt. Utraque pars tenetur expectare, imo et curare verificationem conditionis, ita ut sine justa causa recedens aut impediens verificationem conditionis, peccet, et si alia sponsalia init cum tertia persona, haec nulla sint (1). At interim non urget obligatio, nec impedimentum publicae honestatis ortum est (n. 717). Non verificata conditione, sponsalia evanescunt, nisi una pars culpabiliter verificationem impedierit, ex *l.* 161 *ff. De R. I.* (cit. n. 845), vel nisi conditio ipsa fuerit revocata expresse vel tacite e. g. copula carnali, ex *cap.* 6, *De condit. appos.* Verificata conditione, ipso jure evadunt pura et absoluta, quin necesse sit consensum renovare, et statim incipit urgere obligatio, et enascitur impedimentum publicae honestatis (2), nisi forte ante verificationem alterutra pars consensum, etiam illicite, revocaverit (3). Si conditio est *suspensiva turpis*, e. g. : *Si mecum concubueris*, sponsalia interim in suspenso sunt, sed neutra pars tenetur expectare, et multo minus curare verificationem, et ideo jure resilit et contrahit cum tertia persona ; verificata autem conditione, statim valent, quia jam pura sunt. In matrimonio et testamento propter favorem juris haec conditio habetur pro non adjecta (n. 853), sed id ad sponsalia immerito extenderes (4). Tandem si conditio est *suspensiva contra substantiam*, sponsalia nulla sunt, sive conditio sit contra substantiam promissionis, e. g. : *Dummodo mihi liceat quotiescumque voluero recedere*, sive contra substantiam matrimonii, e. g. : *Si sumis venena sterilitatis.*

49. Sponsalia sub conditione de praeterito vel praesenti

(1) Sanchez *V, V, n.* 36.

(2) Schmalz. *IV, V, n.* 34 ; Sanchez *V, VIII, n.* 1, sequ. aliique apud ipsos. Vide cit. n. 717.

(3) Schmalz. *l. c. n.* 33; Sanchez *V, VIII, n.* 1; Reiff. *IV, V, n.* 59; Pirhing *IV, V. n.* 33; D'Annibale *III*, § 372, *n.* 21 ; contra Lehmkuhl *II, n.* 661 innixum Lugoni *De j. et j. XXII, n.* 384.

(4) Reiff. *IV, V, n.* 58 ; Schmalz. *n.* 100 ; Pontius *II, X, n.* 5; Perez *II, III, n.* 4; Giovine *l. c.* contra Sanchez *V, XVII.*

Digitized by Google

impossibili, e. g. *Promitto matrimonium si montem aureum pro dote habes*, sunt nulla (n. praec.) ; sub conditione de praeterito vel praesenti *turpi*, e. g. *Si fratrem tuum occidisti, si sumpsisti venena sterilitatis*, valent usque ab initio, si conditio existit, sunt nulla usque ab initio, si conditio non existit (n. 766) (1). Certe factum in conditione enuntiatum est illicitum, sed matrimonium non est illicitum quia a malo faciendo non pendet, ideoque nec promissio est de re illicita. Eadem dicas de sponsalibus sub conditione de praeterito vel praesenti *honesta*, e. g. *Si sententia judicis fuit mihi favorabilis...* (n. 767). Proinde obligatio sponsalitia et impedimentum publicae honestatis jam revera existit, vel non, licet partes ignorent an existat necne ; quare tenentur expectare et investigare, nec sine justa causa resilire possunt, et invalide cum aliis sponsalia ante investigationem contraherent utpote illicita.

50. Modo ad examen revocemus celebrem quaestionem an valeant sponsalia inter personas impeditas sub conditione: *Si superior e. g. R. P. dispensaverit.* Si superior nequit, aut non solet in eo impedimento dispensare, aut deest in casu justa dispensationis causa, certum est sponsalia utpote de re impossibili nulla esse (2). Sed etiam in casu quo superior potest et solet dispensare, et adest justa causa dispensationis, sponsalia ante obtentam dispensationem nondum urgent, et si interim una vel alterutra pars consensum tacite vel expresse revocavit, obtenta dispensatio nullum robur sponsalibus tribuit (n. 48). Item omnes admittunt valere sponsalia si post obtentam dispensationem consensus fuit renovatus expresse vel tacite e. g. procedendo ad publicationes (3). Igitur quaestio haec esse debet, an haec sponsalia sint usque ab initio radicaliter nulla, ita ut etiam obtenta dispensatione, licet consensus revocatus non sit, in sua nullitate persistant, nisi consensus fuerit renovatus ; vel e contrario interim sint valida sicut alia omnia sponsalia conditionata, et accedente dispensatione, pura evadant.

(1) Reiff. *IV, V, n.* 60.
(2) Sanchez *V. V, n.* 2.
(3) Giovine *I*, § 179. Sanchez *V, V, n.* 3. Schmalz. *IV, V, n.* 78.

Digitized by Google

51. Nonnulli (1) putant esse nulla, quia conditio habenda est jure impossibilis, et res quae promittitur in praesenti est illicita. Ad rem Acta S. Sedis *l. c.* « Si enim sponsalia licet sub conditione celebrata valerent, tunc inciperet obligatio cum haec contrahuntur. Apposita enim conditio nihil aliud adjungit, quam temporis determinationem ab eventu dispensationis dependentem : qua adveniente, quis alterum cogere posset ad nuptias ineundas, si reluctaverit, et hoc non ex vi dispensationis obtentae, sed ex vi promissionis antea factae. Radix itaque totius obligationis repetenda esset ex tempore quo sponsalia, licet conditionata, inita sunt. Atqui tempore quo contrahentes sponsalia inierunt, erant inhabiles et inidonei ob impedimentum ad contrahendum..... Accedit et altera gravis ratio ex jure publico petita. Quod enim pendet a Principis potestate, ignominiosum videtur illud in pactum deducere. Quamvis enim Princeps immutationem aliquam publici juris per dispensationem justis de causis indulgeat, hujusmodi juris immutatio est semper aliquid extraordinarium, quod ferit publicum jus, secundum quod societas regitur, ideoque hujusmodi juris immutatio, sive Principis actus, quo in particulari casu subditi a regula eximuntur, si veluti conditio in contractum adjiciatur, conditioni impossibili merito aequiparatur..... ». Accedit auctoritas S. C. C. quae pluries declaravit sponsalia in casu irrita esse, e. g. in *Brugnat. sponsalium* 26 *Jan.* 1709, *Januen. sponsalium* 12 *Dec.* 1733, *Sypontina resol. spons.* 2 *Maji* 1857, *Benev. sponsalium* 27 *Nov.* 1858..... Praeterea die 2 *Oct.* 1857 lata fuit sequens declaratio. « Ad 4um decernit talia sponsalia *nulla esse omnino*, etsi agatur de consanguinea violata, cui etiam sit facta promissio dispensationis obtinendae, et ideo, obtenta dispensatione, necessarium esse novum consensum et interim utrique contrahenti liberum esse alia inire sponsalia, etsi non sit secundum honestatem

(1) Ita veteres canonistae, et moralistae plerique : inter recentiores Santi *IV, V, n.* 32. Acta S. Sedis *I, pag.* 121 *sequ.* Lehmkuhl *II, n.* 660. Bangen *I, pag.* 4. Giovine *l. c.* quorum nonnulli admittunt exinde oriri obligationem moralem, sed non sponsalitiam petendi et expectandi dispensationem.

Digitized by Google

promissis deficere » (1). Et in folio S. C. C. quando de his causis agitur, semper indubitanter affirmatur hanc esse sententiam et praxim S. C.

52. Alii censent esse valida in sensu exposito (2): nam haec conditio est possibilis, cum ex hypothesi superior possit et soleat dispensare, et justa sit dispensationis causa; est in se licita, quia profecto licitum est ex justa causa petere et concedere dispensationem; est de re licita, quia matrimonium promittitur obtenta dispensatione. Neque obstat auctoritas S. C. C.; nam in illis causis dispensatio nondum fulminata fuerat, et quoniam consensus ab una parte fuerat revocatus, prouti ipsa sponsalium causa satis superque ostendit, sponsalia etiam obtenta dispensatione nulla remanebant, non renovato consensu (n° 50). Patroni primae sententiae ut aliquid evincerent, deberent citare causam, qua initis sub hac conditione sponsalibus et fulminata dispensatione, quin consensus revocatus a neutra parte ullatenus esset, postea, una parte renuente, S. C. declaraverit illa sponsalia nulla prorsus fuisse, sed hujusmodi causa et responsio non citatur; imo graves AA. affirmant tribunalia Romana in hac hypothesi potius contrarium declaravisse (3). Remanet cit. responsio diei 2 *Oct.* 1857, sed cum nos lateat dubium, nequit dignosci verus responsionis sensus. Haec altera sententia est probabilior, sed et primam vera ac certa probabilitate saltem extrinseca gaudere putamus. Huc usque de conditione (4).

53. Affinis conditioni est *modus* qui definiri solet *adjectio indicans onus aliquod, quod post contractum perfec-*

(1) Apud Giovine *l. c.* in fine, qui tamen non dicit cujusnam Congr. sit haec declaratio.

(2) Inter recentiores plerique. De Angelis *IV, V, n.* 4. D'Annibale *III,* § 372. Vecchiotti *III,* § 57. Ballerini-Gury *II, n.* 225. Marc *n.* 1951. Inter veteres non pauci. Reiff. *IV, V, n.* 23. Schmalz. *n.* 78. Sanchez *V, V.* S. Alph. *VI, n.* 829, et fusius *III, n.* 650. Pontius *XII, VIII.* Lugo *De j. et j. XII, n.* 53.

(3) Pal. tract. *XXVIII disp. II, p. XI, I,* 2, *n.* 5, et Gobat *tract. XV, n.* 155 apud. Schmalz. *IV, V, n.* 86.

(4) Non raro sponsalibus filiorum familias erit conditio expressa vel tacita (n. 11), *si parentes consenserint*: de qua vide quae dicimus (n. 852) et sponsalibus applica.

Digitized by Google

tum obligare volumus contrahentem, ita ut contrahens sub modo veluti dicat: *Ego nunc contraho tecum, tu vero deinde hoc facies*, et alter contrahens tenetur ad hoc faciendum, si modus est licitus, illumque acceptavit. Exprimi solet per particulam *ut* e. g. *Promitto matrimonium ut tu mihi munus procures*; sed « interdum iisdem verbis, quibus conditio, interdum ipso conditionis nomine significatur, sed in eo a conditione distat, quod haec dationem suspendit, modus regulariter non item » D'Annibale *I*, § 321. Ex circumstantiis prudens judex in foro externo videbit utrum in casu conditio sit, an modus « ... Attendendum est, ait Schmalz. *IV*, *V*, *n.* 140, utrum contrahens voluerit statim esse actum validum, an vero ut esset validus primum quando conditio est impleta. Si statim voluit esse validum, sed alterum contrahentem obligare solum voluit ad aliquid post faciendum, censeri debet contractum esse sub modo factum: si vero voluit, ut tunc primum valeret, quando conditio est impleta, praesumi debet contractum esse initum sub conditione proprie dicta et suspensive ». In dubio magis modus praesumitur quam conditio (1). In foro autem interno quisque suipsius judex est. Cum igitur modus non suspendat aut revocet consensum, sed veluti accedat contractui perfecto, sequitur sponsalia sub modo sicuti caeteros contractus semper per se valida esse (2), sive modus sit impossibilis, e. g. *Ut caelum digito tangas*, nisi constet sponsalia fuisse jocosa; sive turpis, e. g. *Ut fratrem tuum interficias*, in quo casu patet nullam esse obligationem implendi modum; sive contra substantiam, ut videtur, e. g. *Promitto matrimonium tu vero deinde generationem prolis evitabis.*

54. *Causa* tunc contractui apponi dicitur, quando denotatur motivum contrahendi, e. g. *Promitto matrimonium, quia dives es.* Non verificatio causae nil officit validitati contractus, in casu nostro sponsalium, nisi forte sit error irritans.

55. Tandem *demonstratio* fit quando exprimitur aliqua qualitas, qua determinatur vel demonstratur persona cum

(1) D'Annibale *l. c.*
(2) Schmalz. *n.* 139.

Digitized by Google

qua contrahitur, e. g. *Promitto nuptias tibi, quae es filia regis.* Per se haec sponsalia valent independenter a demonstratione ipsa nisi adsit error irritans. Aliquando etiam causa, et demonstratio sunt verae conditiones, quod ex circumstantiis judicandum est.

§ 3. — *De arrhis et poenis sponsalibus appositis.*

56. Sicuti aliis contractibus, ita et sponsalibus arrhas addi posse jus Romanum *l.* 3 *et* 5 *ff. De sponsalibus* et jus canonicum *can.* 3 *et* 7, c. 30, q. 5... admittunt, et aliquando juxta locorum consuetudines de facto adduntur. Est autem arrha res quaedam alteri parti quasi pignus data in securitatem promissi matrimonii. Nil refert cujus generis, quantitatis, aut pretii res sit.

57. Jam vero, sequuto matrimonio, arrha sicut pignus in aliis contractibus, restituitur ei qui illam tradidit. At multarum gentium moribus receptum est ut arrhae, sequuto conjugio, non restituantur ita ut considerentur veluti sponsalitiae donationes (1). Si vero matrimonium non sequatur distinguendum est. Vel id evenit ex mutuo consensu, aut neutrius culpabili facto e. g. quia vir ingreditur religionem, aut moritur....., et tunc arrhae restituendae mutuo sunt, quia ea mente traditae fuerant, ut amittantur ab injuste resiliente; atqui in casu pars non resilit injuste: stipulatio autem, ut etiam juste resiliens arrhas amittat, viribus caret; vel id evenit ex facto culpabili utriusque, e. g. quia sponsus cum alia muliere, sponsa cum alio viro fornicata est, et tunc pariter arrhae sunt mutuo restituendae; vel tandem id evenit ex facto culpabili unius, e. g. quia sponsus detrectat fidem servare, aut sponsa cum alio viro fornicata est, et tunc culpabilis restituet, et innocens retinere potest acceptas. Imo reus jure Romano restituere debebat arrhas acceptas duplicatas, idest acceptum et tantumdem, ex *l.* 3 et 5 *C. De sponsalibus.* Jus Romanum exceptionem ponebat, nempe minor XXV annis, licet sine justa causa

(1) Reiff. *IV, I, n.* 180. Pirhing *n.* 25. Schmalz. *n.* 126.

Digitized by Google

a sponsalibus recederet, tenebatur tantum receptas arrhas restituere et suas, si quas dederat, non amittebat ex cit. *l.* 5 *C. De sponsalibus.* Utrum haec lex Romana de duplicatis arrhis solvendis etiam jure canonico servanda sit, non convenitur inter DD ; unde haec obligatio imponenda non est. Quod si parentes sponsalia pro filio absenti contraxerunt et arrhis confirmaverunt, si deinde filius resilit, seu ea ratahabere recusat, arrhas datas non amittunt, dummodo curaverint sponsalia a filio acceptari et impleri, quia jam obligationem suam impleverunt, sed debent restituere receptas, quia alia pars innocens est.

58. Quaesitum est utrum valeret stipulatio sponsalibus addita de arrhis in duplum, triplum... solvendis a parte injuste resiliente. Haec stipulatio habet rationem poenae. Atqui DD. concordes minime sunt utrum jure canonico in sponsalibus addi possit poena, ideoque stante controversia, poena apposita urgenda non est (n. 61). Idem ergo dicendum de arrharum stipulatione in duplum, triplum... Quod si eae arrhae poenales solvendae sint a tertia persona, non videtur dubium stipulationem servandam esse (1).

59. *Poena* additur sponsalibus, si convenitur injuste resilientem talem pecuniae summam solvere debere, e. g. promitto matrimonium, et si fidem non servavero, solvam M aureos. Quaeritur utrum haec poena addi sponsalibus queat et semel addita a resiliente solvi in conscientia debeat ?

60. Omnes admittunt poenam non esse solvendam a juste resiliente, quia poena non potest esse nisi pro delicto, et juste resiliens nullum delictum commisit. Confirmatur ex *cap.* 29 *De sponsalibus*... cujus haec est species. Inita fuere sponsalia inter T. puellam, et P. puerum infra septennium, conventa quoque poena solvenda a resiliente. Deinde T contraxit matrimonium cum C. et B. de Alferio pater P. appositam in stipulatione poenam nitebatur extorquere a Gemma matre T. vel ab ipsa T. Greg. IX respondet patrem P. compellendum esse etiam per censuras ut ab extorsione praedictae poenae desistat. Sane sponsalia inita in infantia

(1) De Angelis *IV, I,* n. 4. Gonzales in *comm. cap.* 29 *De sponsalibus.*

Digitized by Google

nulla erant, aut certe T. ab eis juste resiliebat (n. 75). Juste resiliens nullam debet poenam, etsi conventum expresse fuerit quoque sub juramento poenam solvendam etiam a juste resiliente, quae poenae stipulatio esset prorsus irrita (1), licet sponsalia valerent. Igitur quaestio est tantum de poena ab injuste resiliente luenda. Haec poena valebat et solvi debebat ex jure Romano *l.* 5 *C. De sponsalibus*, *l.* 134 *ff. D. V. O.*; an etiam jure canonico sustineatur, non convenitur inter DD.

61. Nonnulli negant (2), quia Greg. IX in *cit. cap.* 29 *De sponsalibus* improbat quamcumque poenae stipulationem in sponsalibus « Cum itaque libera matrimonia esse debeant, et ideo talis stipulatio propter poenae interpositionem sit merito improbanda, mandamus..... » Et revera stipulata poena minuit libertatem futuri conjugii, quod fortasse initur ad vitandam poenam; et minuit magis quam arrhae, cum magis displicere soleat solvere aliquid in poenam, quam amittere solutum. Hinc *cit. l.* 134 De *V. O.* ait « inhonestum est vinculo poenae matrimonia obstringi seu contrahenda seu jam contracta ». Multi, qui hanc sustinent sententiam, admittunt tamen valere stipulationem poenae solvendae ab extraneo, utpote quae non videtur in libertatem matrimonii influere (3). Alii affirmant « quippe inter arrhas et poenam hoc unum distat, quod illae dantur, haec promittitur » D'Annibale *III*, § 373 (4). Et solvunt etiam argumenta prioris sententiae; primum, quia in specie *cit. cap.* 29 *De sponsalibus*... sponsalia nulla erant, aut certe T. juste resiliebat (n. 75), aliunde relata verba in parte doctrinali decretalis jus non constituunt: alterum, quia haec differentia inter arrham et poenam est imaginaria, praesertim cum arrha possit esse pretiosior poena: tertium, quia

(1) Sanchez *I*, *XXX*, *n.* 3. Schmalz. *IV*, *I*, *n.* 138.

(2) De Angelis *IV*, *I*, *n.* 4. Santi *IV*, *I*, *n.* 28 sequ. Sanchez *I*, *XXX* *n.* 2. Pirhing *n.* 23. Instructio Austriaca § 109: « Omnis pactio de poena conventionali, si a sponsalibus resiliretur, persolvenda, non tantum illicita sed etiam invalida est ».

(3) Santi *l. c. n.* 32. De Angelis *l. c.*

(4) Lehmkuhl *II*, *n.* 665. Schmalz. *IV*, *I*, *n.* 140. Reiff. *n.* 588. Pontius *XII*, *XIX*, *n.* 8. Marc *n.* 1955. S. Alph. *Homo Apost.*, *XVIII*, *n.* 11. Engel *IV*, *I*, *n.* 7.

Digitized by Google

verba cit. legis nimis probant, et divortiis liberas habenas laxant. Haec posterior sententia nobis verior est. At hac extante quaestione obligatio solvendi poenam etiam juramento firmata ex principio reflexo urgenda non est (1).

Articulus IV.

De effectu sponsalium.

62. Sponsalia valida duplicem habent effectum, nempe producunt impedimentum publicae honestatis et obligationem ac jus ad matrimonium. Primus effectus est juris ecclesiastici, alter juris naturalis; ille semel ortus perpetuus est, hic non item: de illo ex professo *cap. IV, sect. II, art. II,* § 10, *n.* 705 *sequ.*, modo de altero.

63. In sponsalibus vir serio promittit matrimonium mulieri quae acceptat et viceversa. Atqui ex promissione serio facta et acceptata ipso naturae jure acquiritur promissario jus ad rem promissam habendam, et promittenti oritur obligatio ad illam praestandam; ergo sponsalia ipso naturali jure producunt utrique et jus et obligationem ad nuptias (2). At deinde post inita sponsalia hoc jus et obligatio possunt utique separari: nam quaelibet pars habet jus relativum obligationi alterius, et habet obligationem relativam juri alterius. Quid e. g. si una pars renuntiet juri suo? non habet amplius jus, ideoque nec alia pars obligationem, sed habet obligationem, et alia jus. Idem dicatur si resiliat ex justa causa: jam non habet obligationem, nec alia jus, sed habet jus, et alia obligationem. Quia nempe in sponsalibus adest mutua promissio facta et acceptata.

64. Jus est ad *matrimonium ineundum*; ideoque jus *ad*

(1) Schmalz. *l. c.*

(2) Jure Romano licet initio sponsalia per stipulationem contraherentur ideoque parerent actionem civilem ex stipulato, tamen deinde, mutatis in pejus moribus, parti licuit sponsalibus renuntiare ex *l.* 1 *C. De sponsalibus*, quod significat sponsalitium jus et officium non amplius recognitum fuisse. (Voet, *Comm. ad Pand. XXIII, I, n.* 12.) Nec jure Gallico obligatio sponsalitia cum relativo jure recognoscitur, et ideo fortasse multi fideles sponsalia parvi faciunt.

Digitized by Google

rem in corpus alterius, non *in re*. Unde sequitur, quae solutis non licent, nec sponsis licere, e. g. oscula, amplexus..... nisi forte ex more patrio, remoto quovis pollutionis et delectationis venereae periculo. Ita S. Alph. *VI*, *n.* 854 cum probabiliori doctrina et in praxi omnino sequenda, quidquid in contrarium dicant Sanchez *IX*, *XLVI* *n.* 37, Salm. *XV*, *n.* 91 aliique. Exinde patet quam periculosa sit cohabitatio, aut nimia ac diuturna familiaritas inter sponsos : unde expedit omnino ut soli non maneant, sed semper habeant propinquos vel alios praesentes ; quae res uti gravissimi momenti habenda est (1).

65. Obligatio gravis est, prouti DD. docent communiter, quia materia est gravis, et in foro externo contrahentes praesumuntur velle sese obligare juxta naturam rei. Confirmatur manifeste *ex cap.* 10 et 17 *De sponsalibus...*, quibus patet judicem ecclesiasticum per se hanc obligationem censuris quoque urgere posse, quod supponit gravem esse. Hinc resiliens absque legitima causa lethale peccatum perpetrat, et insuper tenetur ad resarciendum alteri damnum quod exinde eidem infertur. « Nulli dubium est... quod in foro conscientiae nolens implere sponsalia sine justa causa graviter peccaret ». S. Alph. *VI*, *n.* 840. Quod si sponsalia fuerint jurata, tunc obligant sub gravi etiam virtute religionis ita ut injuste resiliens duplex peccatum grave committat idest contra justitiam ob violatam fidem sponsalitiam, et contra religionem ob non servatum juramentum.

66. Cum pars teneatur sub gravi tradere corpus suum alteri per matrimonium, sequitur committere peccatum specie distinctum contra justitiam (praeter peccatum contra castitatem), si cum tertia persona se commiscuerit, quia rem alteri debitam reddit deteriorem. Id nonnulli grave in utroque, alii leve in utroque, alii grave in foemina, leve in viro habent. Imo nonnulli speciale hoc peccatum penitus excludunt, quod S. Alph. *l. c.*, *n.* 847 satis probabile est. Qua stante controversia, onus confitendi hanc circumstantiam non adest (2).

(1) Scavini *III*, *n.* 800.
(2) Lehmkuhl *II*, *n.* 664.

Digitized by Google

67. Praeterea cum ipsa teneatur ad matrimonium cum altera parte, manifestum est, perdurante hac obligatione, matrimonium cum tertia persona esse illicitum, licet contractum foret validum. Unde sponsalia constituunt impedimentum impediens matrimonium cum qualibet alia tertia persona. Hoc impedimentum dici solet *Nihil transeat.* Sponsalia autem cum tertia persona inita forent illicita et nulla, utpote de re illicita, etsi ipsis accesserit juramentum, aut copula, aut utrumque (1) ; nec verius valere incipiunt, prioribus solutis (2).

68. Porro si nullum tempus appositum fuit nullaque conditio, obligatio sponsalitia impleri debet quam primum arbitrio boni viri, idest Ordinarii in foro externo, parochi vel confessarii in interno. Qui in mora notabili est, *si noluit* matrimonium contrahere, liberat aliam partem ab obligatione, quia censetur renuntiavisse juri suo, sed ipse adhuc tenetur ; si *non potuit*, alii putant a jure suo decidere, alii contra sentiunt. Videtur relinquenda res arbitrio boni viri, et si brevi nuptias offerat, repelli non debet, si diu post, non debet admitti (3). Caeterum aliquando judex ecclesiasticus adimplendis sponsalibus terminum constituit, quo elapso, ille per quem non stetit, liber est (4). S. C. de Prop. Fide rescribens ad Patriarcham Babylon. et Chald. *die* 13 *Apr.* 1807 haec habet « Curent Episcopi et parochi ne matrimonia diutius quam ad annum post inita sponsalia protrahantur ». Et S. C. C. *an.* 1713 « censuit moneri posse partes ad contrahenda sponsalia sub certo tempore, quo elapso, permitti posse contrahere cum aliis bene visis, non tamen cogi posse partes ad contrahenda sponsalia certo tempore : et quatenus sponsalia fuerint contracta indefinite abs-

(1) D'Annibale *III*, § 376. Ben. XIV. *Inst. Ecc.* 46, *n.* 9. Lehmkuhl *II*, *n.* 665.

(2) Sanchez *III*, *L*, *n.* 6. Pontius *XII*, *XII*, *n.* 2.

(3) D'Annibale *III*, *n.* 376. Santi *IV*, *I*, *n.* 37.

(4) Vide Schmalz. *IV*, *I n.* 201 sequ. ubi expendit casum unius partis discedentis in alias regiones. Jure Romano, si causa absentiae erat necessaria, pars expectare debebat quatriennium vel diutius arbitrio judicis *l.* 17 *ff. De sponsalibus* ; secus, si intra provinciam absens morabatur, per biennium *l.* 2 *C. eod,* si extra, per triennium *l.* 2 *C. De repudiis.* Haec jure canonico recepta non sunt.

Digitized by Google

que tempore limitato, posse superiorem ob legitimam causam praesertim probabilis fornicationis, tempus celebrandi matrimonii sponsis praefigere, eoque elapso, facultatem concedere cum aliis contrahendi » Quum Vicar. Apost. Scopiensis graves abusus ex nimium protracto matrimonio post inita sponsalia exposuisset, S. C. de Prop. Fide 26 *sept.* 1840 ad illum misit relatum decretum S. C. C., quod applicans illis abusibus occurreret.

69. Si vero aliqua dies seu tempus sponsalibus additum fuit, plures casus distingui debent. Nam 1° si tempus additum fuit ad *finiendam obligationem*, ante illud obligatio urget, eo transacto, si per utramque partem stetit, quominus nuptiae celebrarentur, quaelibet extinguitur obligatio ; si per unam tantum culpabiliter, ipsa quidem adhuc tenetur, sed alia libera est. Id communiter tradunt AA. (1) et satis colligitur ex *cap.* 22 *De sponsalibus*. Excipe si tempus ita statutum fuit, ut si ultra illud ex quacumque causa nuptiae celebratae non fuerint, utraque pars liberetur. 2° Si tempus additum fuit *ad urgendam obligationem*, eo transacto, quaelibet pars adhuc tenetur. Si autem quaeras quomodo distinguatur an tempus adjectum sit ad finiendam vel potius urgendam obligationem, respondemus in foro interno rem ex mente contrahentis definiendam esse ; pro foro externo Schmalz. *IV, I, n.* 196 docet: « Id colligendum ex verbis contrahentium. Si verba sunt ambigua Coninck *D.* 23, *dub.* 6, *n.* 42, et ex hoc Palao *tract.* 28, *dist.* 1, *p.* 23, *n.* 3 docent recurrendum esse ad causas et motiva ob quae terminus fuit assignatus. Nam si utraque pars vel saltem illa quae cupit diem adjici, apprehendit sibi omnino expedire, ut brevi sive cum hac, sive cum alia persona matrimonium contrahat, quia vel difficile ipsi est diutius a nuptiis abstinere, vel alia offeruntur matrimonia commoda quae postea frustra desiderabuntur, censebitur tempus adjectum obligationi finiendae. At si adjiciatur tempus non quia partibus per se incommodum est diutius abstinere a nuptiis, sed quia nuptias has apprehendunt ut sibi commodas, ideoque ra-

(1) Schmalz *IV, I, n.* 195. Sanchez *I, LIII, n.* 6.

Digitized by Google

tione postea impediantur, censebitur adjectum tempus obligationi intra illud tempus implendae..... ». 3° Si tempus additum fuit tamquam terminus *a quo* incipit obligatio, e. g. *Promitto tibi matrimonium post annum*, idest quod post annum tantum celebrabitur, ante hoc tempus sponsalia quidem valida sunt, sed obligatio non urget ; post hoc tempus jam urgere incipit. 4° Tandem si additum fuit tamquam terminus in *quo* urget affixa obligatio, e. g. *Promitto tibi matrimonium die XV Aprilis hujus anni*, nulla est obligatio pro tempore praecedenti, sed pro die praefinito. Quo inutiliter transacto, videndum an dies appositus fuerit ad finiendam obligationem, vel tantum ad urgendam, et solutiones supra datae applicandae sunt.

70. Quid vero si una pars injuste renuat fidem datam adimplere ? judex ecclesiasticus potestne aut debet eam censuris cogere? Jura inter se dissentire videntur. Nam *cap.* 10 *De sponsalibus*... Alex. III rescribit Pictaviensi Episcopo, ut S. qui sponsalia juramento firmaverat, moneat « et si non acquieverit monitis, ecclesiastica censura compellas ut ipsam, nisi rationabilis causa obstiterit, in uxorem recipiat, et maritali affectione pertractet ». Contra in *cap.* 17 *ejusd. tit.* Lucius III interrogatus a Rapalensi Episcopo, qua censura mulier compelli debeat, quae jurisjurandi religione neglecta nubere renuit, cui se nupturam interposito juramento firmaverat, respondit «... cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere ». Omissis variis canonistarum sententiis, haec oppositio facile conciliatur si dicas judicem ecclesiasticum monere potius quam cogere debere sponsum resilientem, si difficiles exitus ex hac coactione timeantur, qui profecto de regula generali timeri debent ; si vero in casu aliquo particulari, ii difficiles exitus ex coactione nullatenus praevideantur, tunc tantum locum esse posse applicationi censurarum. Unde *cap.* 17 dat regulam generalem sequendam, praesertim si sponsalia non sunt jurata, *cap.* 10 assignat raram exceptionem. Haec confirmantur ex praxi S.C.C. Nam propositis dubiis « 1° An constet de sponsalibus in casu? et quatenus affirmative.

Digitized by Google

2° An sit locus coactioni in casu ? » Data responsione affirmativa ad 1um, fere semper S. C. negative respondet ad 2um imposita aliquando compensatione damnorum (1). At non desunt exempla, quibus S.C. respondit locum esse coactioni.

71. Haec quidem si sponsalia certe inita et valida sunt. Nam si sponsalia sunt dubia dubio vel facti vel juris, ita ut sententia probabilis est eadem non valere, licet sententia probabilior sit pro eorum validitate, omnes admittunt obligationem sponsalitiam non urgere, quia obligationes non sunt imponendae, nisi demonstrentur (n. 7). Utrum vero impedimentum publicae honestatis ex his sponsalibus dubiis oriatur vide n. 716.

Articulus V

De solutione sponsalium.

72. Sponsalia solvi possunt, seu obligatio sponsalitia ac relativum jus cessare multiplici ex causa sive in alterutra, sive in utraque parte. Et magnum discrimen est inter sponsalia ab initio nulla, ac sponsalia ab initio valida et postea soluta : nam in illis obligatio et impedimentum publicae honestatis numquam adfuit, in istis obligatio adfuit et cessavit vel in una vel in utraque parte, sed impedimentum publicae honestatis adfuit et perseverat etiam post solutionem. Hinc solutis legitime sponsalibus etiam in utraque parte, quaestio de eorum validitate potest esse magni momenti.

73. Sub hoc articulo recensemus causas quibus sponsalitium vinculum legitime solvitur. Antea vero sequentia animadvertimus. *a*) Nil impedit quominus plures causae simul unitae reperiantur quibus sponsalia solvuntur ; e. g. sponsa fornicante cum consanguineo sponsi, sponsalia solvuntur pro sponso quia sponsa contra fidem desponsationis egit, vilior facta est, et enatum est impedimentum dirimens. *b*) Si pars quae ex justa causa discedere poterat, causa cognita, non discedit, sed potius sponsalia confirmat verbis

(1) De Angelis *IV, I, n.* 5.

Digitized by Google

vel factis, non potest amplius resilire, quia renuntiavit juri suo, e. g. si sponsus post compertam sponsae fornicationem cum alio viro, eam cognoscit, munera eidem offert...., sponsalibus tenetur, nisi forte ea jam penitus cessaverint, ut puta Ordine Sacro. *c*) Causae legitimae solvunt sponsalia sive simplicia, sive juramento firmata, quia juramentum utpote accessorium « naturam sequi congruit principalis » *reg.* 42 *juris in* 6°, et etiam sequuta copula. *d*) At soluto etiam sponsalium vinculo, sponsus teneri potest ad damnorum reparationem, e. g. quia sponsam oppressit, vel quia rem obtinuit formali matrimonii promissione, vel quia non sine ejus culpa sponsalium vinculum solutum est, et ex impeditis nuptiis grave damnum sponsae advenit. Ad rem instructio Austriaca § 9 : « A sponsalibus absque legitima causa resiliens, nec non qui legitimam resiliendi causam vel celaverit, vel sua culpa adduxerit tenetur ad resarciendum alteri pro personarum et rerum adjunctis damnum, quod resiliendo ipsi infertur ». *e*) In dubio juris si sententia est vere ac certe probabilis quod pars in illis circumstantiis non amplius teneatur fide data, stare debemus pro libertate (1). « In omnibus vero, quoties in ambiguo est utrum liceat a sponsalibus recedere, magis est ut liceat, ne coacta matrimonia fiant » ait D'Annibale *III*, § 377. In dubio facti aliquando ipsa probabilis suspicio impedimenti matrimonialis sufficit ut matrimonium impediatur, ideoque sponsalia evanescant: aliae causae generatim certae esse debent, sed ipsa causae certa probabilitas aliquando est causa sufficiens, de qua re infra. *f*) Quomodo sponsalia cessent transacto tempore apposito, diximus n. 69 : modo aliae causae quibus sponsalia solvuntur, recensendae sunt, et sequentes enumerantur.

§ 1 . — *Mutuus consensus.*

74. Nam « omnis res per quascumque causas nascitur per easdem et dissolvitur » *reg.* 1ª juris. Ita Inn. III vel potius Alex. III in *cap.* 2 *De sponsalibus*... Quod si una tantum

(1) Sanchez *I, LXIX, n.* 9.

Digitized by Google

pars renuntiat, haec amittit jus, sed non liberatur ob obligatione, ac proinde alia conservat jus sine obligatione. Mutuo consensu etiam sponsalia jurata solvuntur (n. praec.). Ad rem instructio Austriaca § 3 : « Sponsalia licet juramento firmata sint, mutuo tamen consensu dissolvi possunt ». Id certum omnibus est si juramentum emissum fuit principaliter in confirmationem fidei datae favore alterius partis. Sed idem probabilius repetendum est etiam in casu quo juramentum principaliter emissum fuit in honorem Dei, prouti esset si quis puellae pauperi intuitu et amore Dei juret se eam in matrimonium ducturum ; nam Deus non videtur illud acceptare nisi in utilitatem puellae, quae proinde potest promissionem factam remittere. Neque obstat S. Thomas 2. 2. *q.* 89, *a.* 9, *ad* 12 (1).

75. Haec patiuntur exceptionem in sponsalibus impuberum, si tamen exceptio dici potest. Licet enim velis admittere sponsalia impuberum esse nulla, nisi matrimonialis discretio aetatem praevenerit (n. 17), a quibus proinde per se loquendo sponsi possent libere discedere, tamen Ecclesia positiva lege, eaque prudentissima id prohibuit, ne impuberes propter aetatis fragilem inconstantiam saepe contrahant sponsalia, totiesque a contractis discedant. Nimirum si agatur de sponsalibus inter *puberem* et *impuberem*, ante hujus pubertatem nec pubes de consensu impuberis, nec impubes de consensu puberis resilire potest. Primam partem tradit Alex. III *cap.* 7 *De desp. impub.* § *Mulier* « Mulier autem quae postquam annos nubiles attingit, ei qui nondum ad annos aptos matrimoniis venerat, nupsit, cum in eum semel consenserit, amplius non poterit dissentire, nisi ipse cui nupsit, postquam ad legitimam aetatem pervenerit, in eam suum negaverit praestare consensum » ubi illud *nupsit* significat *sponsalia contraxit* ut notat Glossa *l. c.* v. *nupsit.* Alteram partem idem Pontifex tradit *l. c.* § *De illis* prohibens sponsis impuberibus recessum antequam ad nubilem aetatem pervenerint. Igitur expectanda est pubertas impuberis : et tunc si hic sponsalia positive ratahabet verbo vel

(1) Vecchiotti *III*, § 60. Schmalz. *IV, I, n°* 158. Sanchez *I, LII, n.* 6 sequ. Santi *IV, I, n.* 44. Engel *IV, I, III, n.* 2.

Digitized by Google

etiam facto e. g. cohabitatione, osculis, muneribus, appellans alium sponsum (1)... dummodo nullitatem sponsalium et suum discedendi jus dignoverit (2), sponsalia jam valent pro utraque parte : e contrario si ipse sponsalia ratahabere positive recusaverit verbo vel facto, utraque pars jam libera erit. Quid si nil dixerit aut fecerit neque pro neque contra ? Plerique censent, si post adeptam pubertatem impubes statim idest ad summum post triduum non reclamat contra sponsalia, eo ipso praesumi in foro externo eadem ratahabere, nisi forte ante pubertatem jam dissensum manifestaverit. Ita Schmalz. *IV*, *I*, *n*. 31. Sanchez *I*, *LI*, *n*. 14. Pirhing *IV*, *I*, *n*. 7 contra alios qui putant facultatem discedendi superesse quousque priora sponsalia verbis aut factis confirmata non fuerint, vel alterutra pars implementum sponsalium non petierit. Si agatur de sponsalibus inter *duos impuberes*, neuter potest nec de alterius consensu ante adeptam pubertatem discedere: « De illis, ait Alex. III *l. c.*, qui intra annos aptos matrimoniis sponsalia contrahunt, sive uterque, sive alter reclamet antequam ad annos matrimoniis aptos pervenerit, et postulent separari, non sunt ullatenus audiendi » (3). Sed postquam una pars pubertatem adepta est, potest, si vult, discedere etiam sine alia ratione, etsi altera adhuc impubes sit et contradicat. Id tradit idem Alex. III *l. c.* § *si vero* juxta meliorem interpretationem (4). « Si vero alteruter istorum ad annos pubertatis pervenerit, intra eosdem annos altero existente cum sponsalia contrahuntur, si is qui minoris aetatis est, cum ad annos illos pervenerit, reclamaverit, nec in alterum voluerit consentire, judicio Ecclesiae poterunt ab invicem separari ». Proinde si pars pubes facta discedere voluerit, sponsalia evanescunt ; e contrario si sponsalia positive ratahabuerit verbis vel factis, jam discedere amplius non poterit, sed debebit expectare alterius pubertatem, ut supra ; tandem si sponsalia positive nec confirmaverit, nec reprobaverit, repete quae supra diximus. At

(1) *Cap. un. de desp. imp.* in-6°. Sanchez *I, XVI, n.* 8.
(2) Sanchez *l. c. n.* 9.
(3) Schmalz. *IV, I, n.* 627. Sanchez *I, LI, n.* 13. Pirhing *n.* 6. Reiff. *n.* 14.
(4) Sanchez *l. c. n.* 9.

Digitized by Google

vero etsi impubes discedat, impedimentum publicae honestalis quod ex illis infantilibus sponsalibus, Ecclesia sic volente, productum est, perseverat.

76. Quod diximus impuberibus, adveniente pubertate, fas esse pro libito a sponsalibus discedere, fallit juxta nonnullos (1), si ante pubertatem copula carnalis inter hos sponsos habita fuit ex *cap.* 8 *De desp. impub.* Sed hoc caput agit de matrimonio ante nubiles annos inito, quidquid dicat Glossa *l. c. v. matrimonii*, quod valet si « carnalis commixtio ante intervenerit, cum interdum illa tempus anticipare soleat pubertatis » seu si malitia supplet aetatem (n° 496). Pariter juxta plures (2) fallit, si sponsalia fuerunt juramento firmata praesertim in aetate proxima pubertati ex *cap.* 10. *De sponsalibus....* ubi Alex. III agit de sponsalibus juratis inter filios et filias *impubescentes*, et mandat Pictaviensi Episcopo ut G. reluctantem moneat, et si non acquieverit monitis, censura compellat suam sponsam ducere et maritali affectione pertractare. At id merito aliis displicet (3), quia in genere ex causa legitima quis aeque discedere potest a sponsalibus seu juratis, seu non juralis (n° 73) ; eo vel magis quod sponsalia in casu, nisi matrimonialis discretio aetatem praecesserit non immerito fortasse quis dicet nulla defectu consensus (n° 17). Ad argumentum ex *cap.* 10 *De sponsalibus....* deductum melius respondetur dicendo sponsalia inita cum juramento fuisse circa pubertatis tempus, prout indicat illud *impubescentes*, et insuper tempore datae decretalis sponsos jam non leviter pubertatem excessisse vel ex eo deducitur quod Alex. III jubet sponsum reluctantem esse censuris compellendum. Igitur supponi jure potest sponsalia fuisse post pubertatem ratahabita, et tunc corruit difficultas juxta ea quae n. praec. diximus.

(1) Vecchiotti *III*, § 57.
(2) Schmalz. *n.* 42 *sequ.* Reiff. *n.* 16 *sequ.* Pontius *XII, IX, n.* 8.
(3) Apud Vecchiotti *l. c.*

Digitized by Google

§ 2ª. — *Violatio fidei sponsalitiae.*

77. Nam « frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se praestitam servare recusat » *reg.* 75 *juris in* 6°. Ad rem *Inn. III in cap.* 25 *De jurejurando...* « Si quis juraverit se ducturum aliquam in uxorem, non potest ei fornicationem opponere praecedentem sed subsequentem, ut illam non ducat in conjugem, quia in illo juramento talis debet conditio subintelligi : *si videlicet illa contra regulam desponsationis non venerit.* Alioquin si post hujusmodi juramentum publica meretrix fieret, teneretur eam ducere in uxorem, quod est prorsus absurdum. Nam si post contractum conjugium vir propter fornicationem licite potest uxorem a sua cohabitatione dimittere, longe fortius ante conjugium celebratum propter eamdem causam sponsus licite potest in suam cohabitationem non admittere sponsam, quia *turpius ejicitur quam non admittitur hospes.* Non obstante in alterutro casu vinculo juramenti, quod quidem propter subintelligendam conditionem est tale ut is qui juravit, ad utrumque sine transgressione se possit habere ». Pars quae fidem violavit, amittit jus, salvo tamen jure alterius.

78. Haec violatio fidei sponsalitiae verificatur : 1° si una pars matrimonium non contrahit tempore statuto ad urgendam obligationem, aut matrimonii contrahendi nimiam moram facit (n. 68 sequ.) ; 2° si cum tertia persona init sponsalia, aut ei matrimonium simpliciter promittit, aut cum ea matrimonium contrahit. In hoc casu posteriora sponsalia, aut simplex matrimonii promissio viribus caret ; pars quae fidem sponsalitiam violare attentavit, primis sponsalibus tenetur, dum alia pars libera est ; matrimonium autem initum valet, sed utrum obligatio sponsalitia matrimonio extinguatur etiam in parte conjugata, vel tantum suspendatur, vide n. 104 ; 3° si impedimentum matrimonio contrahendo mala fide induxit (n. 103) ; 4° si rem habet cum tertia persona, quia revera rem alteri debitam reddit deteriorem. In hoc ultimo casu nonnihil insistendum est.

Digitized by Google

79. Si sponsa tantum fornicetur cum alio viro, sponsalia solvuntur ex parte sponsi, idest sponsa tenetur obligatione sine jure, ideoque sponsus conservat jus sine obligatione; tum quia sponsa vilior facta est, de qua re infra, tum quia contra regulam desponsationis venit. Quod si sponsa vi physica et morali cognita fuit, ex altero capite nempe ex violata fide sponsalia non solvuntur, quia fidem sponsalitiam invita violare non potuit, sed solvuntur pro sponso ex primo capite, scilicet quia vilior sponsa facta est. Idem dicas, si sponsa sciens volens passa est ab alio viro turpiter tangi (1).

80. Si sponsus tantum fornicetur cum alia muliere, sponsalia solvuntur ex parte sponsae, quia et ipse contra fidem desponsationis venit; siquidem quoad fidem datam pari jure sponsus et sponsa fruuntur. Neque obiicias cit. *Cap.* 25 *De jurejur.* loqui tantum de muliere fornicante: nam Pontifex *l. c.* juxta communem interpretationem tradit theoriam generalem; et revera ratio allata aeque valet in casu fornicationis sponsi (2). Si sponsus aliam mulierem turpiter contrectaverit, putamus proprie non venire contra fidem desponsationis; imo cum vilior exinde per se non fiat, sponsalia nullo modo solvuntur, de qua re infra.

81. Tandem si uterque fornicetur, DD. inter se non conveniunt. Nonnulli putant sponsalia pro neutra parte solvi, quia « paria delicta mutua compensatione tolluntur » *cap.* 6 *De adulteriis...* (3). Alii censent solvi pro utraque, quia utraque fidem datam violavit, ideoque frustra sibi fidem postulat ab alia servari ex *cit. reg.* 75 *juris in* 6° (4). Alii tandem opinantur solvi pro viro tantum, quia in hoc non daretur aequa compensatio, cum longe turpior sit fornicatio sponsae quam sponsi (5). Haec ultima sententia dicitur a S. Alph. *l. c.* probabilior et communis, sed melius dicere-

(1) Marc *n.* 1960. S. Alph. *VI, n.* 860-862.

(2) Sanchez *I, LV, n.* 4. Layman *l. V, t. X, n. I, p. I, cap. II, n.* 10. Schmalz. *IV, I, n.* 163. Santi *IV, I, n.* 54. De Angelis *IV, I, n.* 6.

(3) Perez *De matr. IX, XVI, n.* 2. Bonacina *De mat. I, VIII, n.* 8, aliique plures.

(4) Schmatz *IV, I, n.* 167, aliique apud ipsum. D'Annibale *III,* § 378.

(5) S. Alph. *VI, n.* 862. Sanchez *I, LV, n.* 9. Pontius *VII, XVII, n.* 3. Pirhing *IV, I, n.* 62. Lehmkuhl *II, n.* 670.

Digitized by Google

tur magis recepta. Veram putamus alteram, nam ratio allata rem evincit. Equidem in hoc non datur aequa compensatio, quia muliere fornicante sponsalia solvuntur ex duplici capite, quia vilior facta est, et quia fidem datam violavit; viro fornicante, sponsalia solvuntur ex uno tantum, idest ex altero, sed tamen solvuntur. Ad rem D'Annibale *l. c. not.* 5 «... quid si vir prior fornicatus fuerit? Utique mulier exinde a viro soluta est: atqui postea et ipsa fornicante, in potestatem ejus non recidit, quippe nullam fornicando ei fecit injuriam ».

§ 3ª. — *Casus superveniens aut ignotus innotescens quo sponsalia inita non fuissent.*

82. Haec est causa frequentior qua sponsalia solvuntur. Ut eam rite exponamus, animadvertimus fieri posse ut in sponsalibus iucundis nullus error intervenerit, res enim erant sicuti apparebant, sed postea mutatio facta est; vel fieri posse ut ab initio error fuerit, res enim non erant, prout apparebant, sed postea error detectus est. De utroque casu singillatim.

83. Ad *primum* quod attinet, non est dubium sponsalia etiam jurata aliquando ex superveniente notabili mutatione dissolvi, quod expresse etiam tradit Alex. III *in cit. cap.* 25 *De jurejur.* « Quod si post hujusmodi juramentum (sponsalia jurata) mulier fieret non solum leprosa, sed etiam paralytica, vel oculos vel nasum amitteret, seu quidpiam ei turpius evenerit, numquid vir tenetur eam ducere in uxorem? Profecto ductam non posset dimittere, sed numquid non ductam admittere teneretur? Quamvis (quia) interdum contractum non dirimat, quod impedit contrahendum ». Hinc ineuntes sponsalia obligari censentur cum clausula, *rebus in eodem statu permanentibus*, quod Ballerini-Gury *II n.* 731 advertit etiam in aliis promissionibus verificari. In genere pars mutationem passa amittit jus, salvo jure alterius, licet per hanc steterit quominus matrimonium fieret ante mutationem. Igitur tota difficultas est quaenam mutatio ita notabilis sit, ut sufficiat ad solvenda sponsalia.

Digitized by Google

84. Regula haec est : sponsalia solvuntur si ea mutatione ab initio cognita, contracta non fuissent (1) : tunc scilicet sponsalia valida fuerunt, sed pars, quae mutationem passa non est, potest resilire. An vero, mutatione ab initio cognita, sponsalia contracta fuissent necne, in foro interno quisque videat ex propria conscientia, in externo debet esse in aestimatione boni viri. Et « asserenti se minime promissurum, si a principio talis causa adesset, adhibenda est fides in utroque foro, si judicio prudentis viri, consideratis negotii circumstantiis, verosimile sit, nequaquam promissurum, si illam praecogitasset » Sanchez *l. c. n.* 6. Huc quoque spectat regula, quam his verbis tradit instructio Austriaca § 10. « Obligatio standi promissis per contractum sponsalitium datis tunc quoque cessat, quando, omnibus perpensis circumstantiis, supponendum merito sit matrimonium a sponsis contrahendum infaustum fore. Quodsi autem circumstantiae quibus suppositio ista innititur, culpa unius partis exortae sint, haec alteri damnum, quod ipsi frustratis justis ejus expectationibus illatum est, pro viribus resarcire tenetur ».

85. Si has regulas prae oculis habeas, difficile non erit judicium ferre in casibus particularibus ; nihilominus DD. recensere solent plures mutationes, quae in foro externo praesumuntur sufficientes (2). Ita e. g., si una pars jam matrimonium contrahere nequeat sine incommodo gravi, prouti esset dedecus familiae, vel odia et inimicitiae consanguineorum, vel si parentes grave ferant, licet antea consenserint, aut pater vel avus paratus sit eam exhaeredare... Item si una pars in longinquum locum transferat domicilium ex *cap.* 5 *De sponsalibus.* Item si in una parte mutatio notabilis evenerit, sive *corporis*, sive *animi*, sive *fortunarum*. *Corporis*, e. g. si alter incidat in paralysim aut alium gravem morbum permanentem, aut graviter mutiletur amittens pedem, manum, oculum, nasum... aut deformetur, praesertim sponsa, aut reddatur ineptus ad opifi-

(1) S. Alph. *VI, n.* 865. Sanchez *I, LXII,* Instructio Austriaca § 6 cum communi.

(2) Vide prae caeteris Schmalz. *IV, I, n.* 185.

Digitized by Google

cium exercendum, vel acquirendum officium pro familiae sustentatione necessarium ; item si mulier ab alio cognita fuerit etiam vi, vel sciens volens passa sit ab alio viro turpiter tangi ; non item si vir aliam vel metu coactus cognoverit, vel turpiter contrectaverit, quia non eadem foeditas est, nisi exinde colligi queat sponsum magis hanc amare et uxori fidem non esse servaturum (1). *Animi*, e. g. si vir pravos mores induerit, ebrietati, ludo... indulgens, morum asperitatem ac saevitiam praetulerit, blasphemiae vitium contraxerit, religionis exercitium dereliquerit, crimen famosum admiserit, in haeresim, schisma, apostasiam lapsus fuerit..... *Fortunarum*, e. g. si uterque pauperior notabiliter factus sit, quia minus apti sunt ad onera matrimonii sustinenda ; si autem unus tantum, tunc ipse quidem nuptias urgere nequit, sed nec alter, nisi solus possit matrimonii onera sustinere, e. g. si parentes nolint aut nequeant sponsae dotem dare. Si uterque ditior evaserit, sponsalia utique valent ; si unus tantum, communior sententia est sponsalia non solvi ex parte ejus, sed contraria est quoque probabilis, quia revera si id praevidisset tempore sponsalium, ea non contraxisset (2). Idem dicas si una pars fuit nobilitate aut dignitate aucta, aut si ditiorem invenerit : de qua re agit S. Alph. *VI*, *n*. 876.

86. Imo aliquando non est necessaria certitudo mutationis, sed ipsa prudens suspicio est causa legitima recessus, quia scilicet cum ea suspicione sponsalia ab initio contracta non fuissent. Ita e. g. satis est rationabilis timor exhaeredationis (3) ; item si unus testis fide dignus dicat sponsam fornicatam esse (4) ; item si seria dubitandi ratio sit sponsum aut sponsam magna debita post inita sponsalia contraxisse, et res in aperto poni non possit.

87. Ad *alterum* casum quod spectat, omnes admittunt errorem qualitatis, quum e. g. vir putabat mulierem divitem, quae pauper est, si dedit causam contractui, non irri-

(1) D'Annibale *III*, § 378.
(2) Ballerini ad Gury *II*, *n*. 731 refert 30 *AA*. qui huic sententiae adhaerent, aut probabilem habent. His accedit De Angelis *IV*, *I*, *n*. 6.
(3) Schmalz. *l*. *c*. *n*. 191.
(4) S. Alph. *VI*, *n*. 878.

Digitized by Google

tare quidem ab initio sponsalia (n. 15), sed erranti esse legitimam causam, veritate perspecta, a sponsalibus resiliendi (1): dum e contrario si error est mere concomitans, sponsalia nec sunt rescindibilia. Hinc sponsalia ineuntes censentur obligari cum clausula, *si res sunt prouti apparent.* In genere pars errans amittit obligationem sed conservat jus. Tota difficultas est an in casu error dicendus sit dedisse causam contractui sponsalitio, seu an quis cognita ab initio veritate sponsalia fuisset contracturus necne.

88. Jam vero prouti de mutatione diximus (n. 84), pro foro interno quisque videat ex sua conscientia; pro externo id debet prudentiae judicis relinqui, qui credere debet asserenti se, cognita ab initio veritate, minime fuisse sponsalia initurum, si id, omnibus perpensis circumstantiis, probabile appareat. S. Alph. *l. c.* cum communi ponit hoc principium: *Pro causis ignotis anterioribus ad sponsalia illa sufficit, quae si superveniret, jam esset sufficiens ad illa rescindenda.* Praeterea heic quoque applicandum principium n. 84 datum ex instructione Austriaca, nempe cessare obligationem sponsalitiam, si merito praevideatur in hoc rerum statu matrimonium fore infaustum.

89. DD. recensere solent nonnullos errores, qui in foro externo praesumuntur dedisse causam contractui. Ita si vir putabat sponsam virginem, quae est corrupta etiam vi, error plerumque dedit causam contractui, ideoque vir resilire potest, quia non praesumitur vir voluisse ducere mulierem ab alio cognitam. Contra si vir fornicatus fuit ante sponsalia, error in muliere communiter habetur uti mere concomitans et ideo ei non permittitur recedere, nisi vir filios ex alia muliere habuerit, vel alia quasi concubina usus fuerit, vel vir scortator sit, quia tunc foemina praesertim honesta non praesumitur voluisse ei nubere (2). Si vir e. g. putavit mulierem virginem, quae est vidua, vel ipse quoque viduus est, et tunc error censetur mere concomitans ideoque stare debet promissis; vel ipse non est viduus, et tunc error cen-

(1) S. Alph. *VI, n.* 865. Sanchez *I, LXIII.* Pontius *XII, XVIII.* Instructio Austriaca § 6, cum communi.
(2) De Angelis *IV, I, n.* 6.

Digitized by Google

setur dedisse causam contractui et proinde ipse resilire poterit. Si sponsus e. g. putavit sponsam divitem aut nobilem, quae est pauper aut vulgaris, videtur in genere error dedisse causam contractui, quidquid nonnulli dicant, nisi ex circumstantiis in aperto sit, sponsum eam ducturum fuisse etiam pauperem ac vulgarem. Si una pars putavit aliam religiosam, quae est irreligiosa, vel ipsa est religiosa, et tunc error censetur dans causam contractui, quia non praesumitur partem religiosam velle irreligiosae uniri ; vel nec ipsa est religiosa, et tunc res pendet ex circumstantiis, nam saepe videmus viros irreligiosos velle in uxore religionem. Si una pars putavit aliam mitem, frugi... quae est aspera atque prodiga, error dedit causam contractui et potest illam derelinquere. Equidem in *cap.* 5 *Qui cler. vel vov.* R. P. jubet imponendam esse poenitentiam salutarem ob mentitam fidem mulieri, quae post sponsalia inita plura audiens de sponsi severitate noluit ei copulari ; sed DD. communiter id explicant, quia mulier non certo, sed incerto solum rumore illud cognoverat et crediderat nimis leviter. Si appareat nimia ingeniorum discrepantia, utrique discedere licet, quia matrimonium merito praevidetur infaustum.

90. Saepe nec certitudo erroris requiritur, sed sufficit probabilis suspicio, ut cesset obligatio. E. g. sufficit probabilis suspicio quod sponsa fornicata sit ante sponsalia (1) ; vel quod alteruter loco fortunae habeat magna debita, si res non possit verificari ; vel quod sit religionis expers, aut malae indolis, aut aliquo gravi morbo e. g. phthisi laboret...

91. Moralistae quaerere solent an pars laborans defectu occulto sufficienti ad sponsalia solvenda, debeat in conscientia illum manifestare ante sponsalia, vel eis initis ante matrimonium. Respondet S. Alph. *VI*, *n.* 864 « Distinguendum cum communi : si defectus redderet nuptias perniciosas ut esset infamia, lepra, morbus gallicus aut alius contagiosus, tenetur manifestare, vel a nuptiis desistere nisi altera pars eodem defectu laboret..... Ratio quia sicut peccat contra justitiam, qui alteri vendit merces noxias cre-

(1) S. Alph. *VI*, *n.* 191.

Digitized by Google

denti bonas, ita a fortiori qui cum pernicioso defectu vult matrimonium contrahere. Si vero defectus non redderet nuptias noxias, sed tantum minus appetibiles, nempe si sponsa esset pauper quae reputatur dives, ignobilis quae nobilis, deformis quae pulchra, corrupta quae virgo, tunc esto ipsa non possit virum decipere fingendo se immunem a tali defectu, tamen non tenetur defectum manifestare, sed potest etiam interrogata dissimulare aequivoce respondendo, tunc enim non fingit, sed occultat vitium occultum..... Ratio tum quia ex consuetudine jam receptum, ut non sit obligatio tales defectus manifestandi, tum quia nemo tenetur propalare suum defectum cum propria infamia, si non laedat jus alterius : licet enim sponsus, cognito defectu, habeat jus resiliendi a sponsalibus opponendo exceptionem propter talem defectum, tamen usquedum ipse exceptionem non opponit, potest cogi a sponsa ad matrimonium, sicut adultera, usquedum vir non opponit exceptionem propter cognitum adulterium, potest ab eo debitum petere. Unde dicunt praefati AA. quod sponsa ab alio corrupta, etiamsi interrogetur a sponso an fuerit ab alio cognita, poterit dissimulare et negare per restrictionem non pure mentalem respondendo non esse corruptam subintelligens : *in communi aestimatione*, aut *ad aperiendum tibi* : additque Diana posse illam sine peccato, aut saltem sine mortali uti aliquo artificio quo impediat ne vir deprehendat esse corruptam. Excipiunt tamen 1° Sporer..... si sponsa ex concubitu habito cum alio sit praegnans, quia tunc adest periculum damni sponsi, nempe quod deberet alere prolem alienam. Excipiunt 2° Sanchez... si, non manifestato defectu, prudenter timeatur, ne ille propaletur post nuptias initas et graves inde discordiae sint proventurae, tunc enim dicunt teneri sponsam vel suam violationem passam propalare, vel a matrimonio desistere, quia tenetur ex charitate erga sponsum et etiam erga seipsam talia damna praecavere. Sed huic obiici posset, quod charitas non videatur obligare cum tanto incommodo, nimirum vel se infamandi, vel remanendi semper innupta ».

Digitized by Google

§ 4ª. — *Susceptio perfectioris status.*

92. Nam ineuntes sponsalia obligari censentur cum clausula, *nisi perfectiorem statum elegerim* (1). Unde unaquaeque pars e. g. sponsus, non obstantibus sponsalibus, potest tuta conscientia perfectiorem statum eligere, nec sponsa eum impedire potest ac cogere ad nuptias, nisi forte rem habuerit cum ea sub nuptiarum formali promissione, aut damnum reparare debeat quod solo matrimonio reparari possit (2). Sponsus hoc ipso renuntiat juri suo et ita sponsa libera est pure et simpliciter a momento, quo sponsus ei suam resolutionem manifestat amplectendi perfectiorem statum loco status matrimonialis. Sponsus vero cum liberetur tantum ratione perfectioris status, si a voluntate illum sequendi recedit, jam a sponsa obligari poterit : eo suscepto, si quidem est perpetuus, et ipse liber erit in perpetuum, nec deinde obligatio reviviscit, etsi R. P. a suscepto perfectiori statu dispensaverit ; si est temporaneus, et ipse liber erit ad tempus, quo transacto, si eidem statui renuntiaverit, poterit obligari. Modo videamus quandonam in concreto haec causa verificetur.

93. 1° Status perfectior et quidem perpetuus est certe status religiosus in Ordinibus Religiosis cum votis solemnibus, aut etiam in Congregationibus Religiosis cum votis simplicibus perpetuis. Unde si sponsus pandat sponsae suam voluntatem hunc statum religiosum amplectendi, e. g. dicit serio sponsae : *Ego nolo amplius matrimonium inire, sed potius volo in Ordinem Cappucinorum me recipere*, sponsa statim libera est pure ac simpliciter, quia sponsus manifeste renuntiavit juri suo ; sponsus autem, si a sancto proposito recedat, urgeri a sponsa poterit (3). Multo magis sponsa libera erit *ingressu* et *novitiatu* sponsi : tum quia hic « ingrediendo religionem censetur cessisse juri suo, tum quia ex parte ejus tunc accedit notabilis mutatio, cum dedecori

(1) S. Alph. *VI, n.* 870 *sequ.* De Angelis *IV, I, n.* 6.
(2) S. Alph. *VI, n.* 869, *IV, n.* 649 cum communi.
(3) Marc *n.* 1957.

Digitized by Google

extimetur nubere cum eo qui religionem deseruit » S. Alph. *VI, n.* 870. Sponsus vero, si ad saeculum redeat, rursus poterit a sponsa obligari, quia nulla ratione jam excusatur (1). Tandem, sequuta professione sponsi, sponsalia penitus solvuntur pro utraque parte in perpetuum, etsi R. P. a professione facta postea dispensaverit. Professione religiosa solemni solvi sponsalia habetur etiam *ex cap.* 2 *et* 7 *De convers. conjug.* et professione religiosa simplici in S. I. ex Const. *Ascendente Domino* 8 *Kal.* Jun. 1584 Greg. XIII (2).

94. 2° Status religiosus in Congregationibus Religiosis cum votis simplicibus temporaneis, est quidem status perfectior prae matrimoniali, sed temporaneus. Unde si sponsa nolit amplius nuptias inire, sed fieri velit e. g. soror charitatis, sponsus est liber pure ac simpliciter a momento hujus manifestatae voluntatis, et multo magis ingressu, novitiatu ac professione : sponsa autem interim nullo modo astringitur, sed si redeat ad desideria saecularia, obligari potest (3). Idem prorsus repetas de professione simplici triennali, quae juxta praesentem disciplinam in Ordinibus virorum praecedere debet solemnem.

95. 3° Status clericalis in Ordine Sacro est profecto status perfectior prae matrimoniali ac perpetuus. Proinde si sponsus dicit sponsae se velle potius ad Sacros Ordines ascendere, sponsa statim libera evadit ; sponsus autem tenebitur obligatione sponsalitia, si pium propositum non servaverit (4). Adhuc magis sponsa libera est, si vir suscipit Primam Tonsuram aut Ordines Minores quia illam intentionem facto ostendit, et notabilem mutationem passus est, sed rediens ad saeculum, tenebitur : susceptione autem Ordinis Sacri sponsalia prorsus solvuntur pro utraque parte ex *Extrav. Antiquae De voto...* inter communes, et in perpetuum, etsi R. P. postea a caelibatu dispensaverit (5). Equidem non convenitur inter DD. utrum et quomodo susceptione

(1) S. Alph. *l. c.* cum communiori. Pontius *XXII, X, n.* 4. Vecchiotti *III,* § 65. Santi *IV, I, n.* 46. Engel *IV, I, III, n.* 8.
(2) Schmalz. *IV, I, n.* 152.
(3) Marc *l. c.*
(4) Marc *l. c.*
(5) Sanchez *I, XLVII, n.* 1. Pontius *I, XI, n.* 2.

Digitized by Google

Primae Tonsurae aut Ordinum Minorum solvantur sponsalia. Communior sententia est sponsalia nullatenus solvi (1), quam S. Alph. *VI*, *n.* 872 veriorem dicit, quia status Ordinum Minorum et Primae Tonsurae per se non est incompatibilis cum matrimonio, cum quis bene possit fieri clericus conjugatus ex *cap.* 1 *De Cler. conjug.* At vero cum Prima Tonsura et Ordines Minores in praesenti disciplina habeantur ceu via ad Ordines Sacros ad instar cujusdam novitiatus, merito praesumitur sponsus renuntiavisse juri suo, et praeterea notabilis mutatio in eo facta est. Unde diximus sponsalia prorsus cessare pro sponsa : sponsum vero, si non amplius velit ad Sacros Ordines pergere, et ad vota saecularia redeat, posse obligari (2).

96. 4° Status castitatis perpetuae ex voto est pariter status perfectior prae matrimoniali ac perpetuus. Hinc quando sponsus e. g. sponsae significat se nuptiis valedicere et votum vovere perpetuae castitatis in saeculo, sponsa statim libera evadit, sponsus autem, si ab ea voluntate recedat, poterit obligari. Emisso autem *bona fide* voto, probabilius sponsalia cessant etiam pro vovente in perpetuum, licet deinde R. P. dispenset, quia revera eligit statum perfectiorem perpetuum (3) : *bona fide*, quia si votum vovit ad solvenda sponsalia, ut deinde obtenta dispensatione a voto possit aliam ducere, nullatenus liberatur. Adest quoque decisio S. C. C. apud Pitonium *De matr. n.* 2513 *diei* 5 *Mart.* 1701, ubi dictum fuit votum castitatis aut suscipiendi Ordines Sacros per electionem melioris status irritare sponsalia etiam jurata. Tum qui negant hoc votum irritare sponsalia pro vovente, tum qui affirmant, innituntur *cap.* 5 *Qui Cler. vel vov.* Nam illi ajunt Alex. III *l. c.* jubere congruam satisfactionem esse imponendam pro *mentita fide* : ergo haec urgebat et votum erat irritum. Isti respondent Alex. III *l. c.* jubere congruam satisfactionem pro *violato voto* : hoc igi-

(1) Sanchez *I*, *XLVII*, *n.* 3. Pontius *XII*, *XI*, *n.* 1. Salmat. *n.* 25 contra Ronc. *p.* 138, *q.* 5, *r.* 1. Spor. *n.* 256 *aliosque*.

(2) Santi *l. c.* De Angelis *IV*, *I*, *n.* 6.

(3) Pontius *XII*, *XI*, *n.* 3 et *XII*, *XII*, *n.* 4. Salmat. *n.* 22. Sanchez *I*, *XLVI*, *n.* 7. S. Thomas supplem. *q.* 53, *a.* 1, ad 1*um* « Propter votum simplex sunt sponsalia dirimenda ».

Digitized by Google

tur obligabat, et sponsalia erant nulla. Revera cit. caput neque pro illis aliquid probat, neque pro istis; agere enim videtur de voto mala fide emisso, quod tamen validum erat respectu ad nuptias cum alio contrahendas quas mulier intentabat, et ideo Pontifex ipsam declaravit ream de voto violato.

97. 5° Eadem repetas de voto *profitendi Religionem cum votis solemnibus*, aut *Congregationem Religiosam cum votis simplicibus perpetuis*, aut *suscipiendi Ordines sacros*. In *cap.* 16 *De sponsalibus*... agitur de illo qui matrimonium cum juramento promiserat, et deinde statum melioris vitae in religione inire suspirabat. Alex. III respondet « tutius est ei, religione juramenti servata, prius contrahere, et postea si elegerit, ad religionem migrare ». Exinde nonnulli deducunt, si sponsalia jurata sunt, sponsum, qui statum religiosum amplecti desiderat, debere ante ingressum nuptias inire, ac deinde non consummato matrimonio ad claustra convolare (1). Haec doctrina nec communior, nec verior est, imo est ridicula. Sponsus ille de quo Alex. III *l. c.* non erat determinatus ad amplectendum religiosum statum, sed tantum aspirabat, quae velleitas non solvit sponsalia praesertim jurata. Cum igitur haec urgerent infra biennium, Alex. III dixit tutius esse eum interim nuptias contrahere, ne transacto biennio reus perjurii fieret, ac deinde si sese determinaturus esset pro statu religioso, ei potestatem fore ante consummationem ad religionem migrandi. Ita DD. communius interpretantur cit. caput, quod difficile est et obscurum (2).

98. 6° Voto *ingrediendi Religionem cum votis solemnibus*, aut *Congregationem cum votis simplicibus perpetuis vel temporaneis*, pars non vovens libera prorsus evadit; pars vovens interim non tenetur sponsalia servare et debet votum implere, sed si deinde redeat ad saeculum, potest obligari. Eadem valent etiam pro voto *suscipiendi Primam Tonsuram*, aut *Ordines Minores*.

(1) De Angelis *IV, I, n.* 6 aliique apud Pontium, et Sanchez locis infra citandis.

(2) Gonzalez in *hoc cap.* Pontius *XII; X, n.* 13. Sanchez *I, XLIII, n.* 3 S. Alph. *VI, n.* 870.

Digitized by Google

99. Concludimus hac observatione : eum qui ait se resilire a sponsalibus ob emissum votum religionis etc. judex merito compellit ut, aut fidem sponsalitiam servet, aut religionem ingrediatur ; secus ad sese eximendum ab incommoda sponsalium obligatione facile posset haec vota simulare : eum vero qui allegat votum castitatis in saeculo, merito pariter compellere solet, ut vel matrimonium cum sponsa contrahat, vel in aliquam religionem sese recipiat (1).

§ 5°. — *Impossibilitas ineundi nuptias.*

100. Quum enim « nemo possit ad impossibile obligari » *reg.* 6 *juris in* 6° aut *ad illicitum*, cessat obligatio sponsalitia, si nuptiae jam evaserunt impossibiles aut illicitae. Id verificari solet, quando supervenit impedimentum sive dirimens sive impediens. « Sufficit vero ad solvenda sponsalia sola fama hujus impedimenti, ut bene advertit Viva *q.* 2, *a.* 7, *n.* 4, *ex cap.* 27 *De sponsalibus et cap.* 2 *De consanguin.* ibi : *si non est manifestum, fama tamen loci hoc habet.* Ad hoc tamen requiritur fama, non sufficit rumor. Fama est, quando adest opinio impedimenti apud majorem partem viciniae, rumor apud minorem ». S. Alph. *VI, n.* 857. Ut id declaretur, varii casus considerandi sunt.

101. Fieri potest ut impedimentum enascatur ob factum alterutrius vel utriusque sponsi, sed sine ulla culpa et mala fide, e. g. sponsus tenet in confirmatione filium sponsae viduae ignorans impedimentum cognationis spiritualis. In hoc casu sponsalia cessant pro utraque parte ; nec sponsus tenetur petere dispensationem, aut eâdem uti a sponsa forte impetrata. Excipe si sponsus rem a sponsa obtinuerat promissione matrimonii, aut alias damnum injuste illatum reparare debeat per matrimonium : tunc enim deberet dispensationem petere etiam cum magna expensa, sed non tanta ut cogatur e suo statu decidere (2). Item si matrimonium independenter omnino a sponsis jam fieri nequeat sine dedecore familiae, aut sine odiis consanguineorum...., spon-

(1) Ballerini ad Gury *II, n.* 231.
(2) S. Alph. *VI, n.* 858.

Digitized by Google

salia solvuntur sive ob mutationem notabilem superventam (n. 84), sive quia matrimonium est illicitum.

102. Ulterius fieri potest ut impedimentum enascatur ex facto culpabili utriusque, e. g. sponsa cum consanguineo sponsi, hic cum consanguinea sponsae rem habet sciens volens. Etiam in hoc casu sponsalia solvuntur pro utraque parte, tum quia utraque contra fidem desponsationis venit (n. 79), tum quia matrimonium jam celebrari nequit ob duplex impedimentum affinitatis. Neutra pars tenetur petere dispensationem, aut impetratam a comparte acceptare, nisi forte vir copulam promissione matrimonii obtinuerit, aut damnum matrimonio reparare debeat.

103. Tandem fieri potest, ut impedimentum enascatur ex facto culpabili unius tantum, e. g. si sponsus scienter rem habet cum consanguinea sponsae. Sponsus tenetur adhuc sponsalibus ne commodum ex sua iniquitate reportet, et debet petere dispensationem etiam cum incommodo gravi et cum expensa et mora huic incommodo proportionata, non tamen excessiva (1), nisi copulam obtinens a sua sponsa promiserit matrimonium, aut hoc tantum medio damnum reparare queat. Idem repetas si factum partis est quidem licitum in se, sed mala fide positum ut exinde impedimentum oriatur et ita matrimonium non fiat, e. g. sponsus hac intentione tenet in confirmatione filium sponsae viduae, et ignorantis impedimentum inde enasci : nam nemini dolus ac fraus patrocinari debet.

104. Haec aliquod dubium praeseferunt in casu matrimonii ab una parte contracti cum tertia persona. Certum est ipsam amittere jus suum ex pluribus capitibus, ideoque aliam liberam esse ; certum item est, durante matrimonio, hanc non posse urgere sponsalitiam obligationem, cum matrimonium illicitum quidem, sed validum fuerit, ideoque matrimonium cum sponsa sit prorsus impossibile. Sed soluto matrimonio e. g. morte conjugis, aut professione religiosa solemni potestne sponsalitia obligatio rursus urgeri, supposito quod pars soluta a conjugio, libera ab eadem ex

(1) S. Alph. *VI, n.* 868. D'Annibale *III,* § 378.

Digitized by Google

alio capite non evaserit? Nonnulli negant (1), quia obligatio matrimonio etsi illicite inito extincta est, obligatio autem semel extincta numquam ipsa reviviscit. Plerique affirmant (2), quia obligatio matrimonio non fuit extincta, sed tantum suspensa, ideoque remoto obstaculo, urgeri potest, S. Alph. *l. c.* hanc sententiam dicit absolute probabiliorem, praesertim si matrimonium mala fide initum fuit. Igitur prima sententia est certe ac vere probabilis, si matrimonium initum fuit bona fide, e. g. quia vir credidit sponsam suam mortuam esse. Sed est quoque probabilis, ni fallimur, etsi matrimonium initum fuerit mala fide, quia AA. qui eam tenent graves sunt, nec ratio spernenda.

105. Supponamus nunc unam partem e. g. sponsum contraxisse matrimonium tantum civile, ut ajunt, cum tertia persona, et modo petere ut ad matrimonium religiosum cum eadem admittatur. Certe sponsa libera est, quia sponsus contra fidem sponsalitiam venit. At videri posset matrimonium verum inter sponsum et sponsam esse modo impossibile, ideoque obligationem sponsalitiam in sponso suspendi, ita ut permitti possit quoque matrimonium religiosum. Hanc doctrinam S. C. C. numquam admisit, praesertim si matrimonium civile mala fide initum fuit, et in casibus particularibus matrimonium religiosum non permittit, nisi praevia R. P. dispensatione a vinculo sponsalium. Ita e. g. in *Ostunensi sponsalium* diei 10 *Sept.* 1887. Nam Joseph R. sponsalia inivit cum Carolina C. et ex ea filium habuit. Deinde promisit matrimonium Cosimae C. eam cognovit, et cum ea contraxit civile foedus. Cum vero Carolina C. opposuisset impedimentum *nihil transeat* ad matrimonium religiosum, proposito dubio « An sit locus remotioni impedimenti *nihil transeat* in casu ? » S. C. reposuit « Affirmative, praevia dispensatione, facto verbo cum SSmo, monito viro, ut pro posse aequam compensationem arbitrio Archiepiscopi determinandam tribuat Carolinae C. et proli ab ea sus-

(1) D'Annibale *III*, § 378. Sanchez *I, XLVIII, n.* 3. Instructio Austriaca, § 8.

(2) S. Alph. *VI, n.* 875 qui plures alios citat. Santi *IV, I, n.* 50. De Angelis *IV, I, n.* 6.

Digitized by Google

ceptae ». Imo si fides est De Angelis (cujus verba habes n. 108) nostris diebus hic est potior casus, quo S. Sedes dispensationem a sponsalitia obligatione concedit. Ex dictis sequitur sponsum sine ullo dubio teneri ante dispensationem ad matrimonium cum sponsa, remoto obstaculo matrimonii civilis.

§ 6ª. — *Dispensatio Romani Pontificis.*

106. Tandem si sponsalia valida ab initio fuerunt, nec obligatio sponsalitia per ullam ex expositis causis cessavit, R. P. adhuc potest ab eadem dispensare ex justa causa. Probatur : 1° quia de facto dispensare solet et quando agitur de R. P. personam publicam gerente, a facto ad jus valet illatio ; 2° quia si potest dispensare a matrimonio rato non consummato, a fortiori poterit a sponsalibus ex *reg.* 53 *juris in* 6° : « cui licet quod est plus, licet utique quod est minus » 3° quia equidem ex sponsalibus validis jus parti acquiritur, sed R. P. potest jus acquisitum ex justa causa auferre.

107. Haec potestas non competit Episcopis aliisque praelatis infra Pontificem. Ita communiter DD. apud Schmalz. *IV*, *IV*, *n.* 53. Revera « dispensatio super sponsalium vinculo fit impertiendo uni favorem et alteri auferendo jus juste acquisitum. Atqui jus alteri quocumque justo titulo acquisitum nemo auferre potest qui summo principe ac proinde Summo Pontifice inferior est. Ergo solius Pontificis est in tali impedimento dispensare » Giovine *III*, § 188. Hinc Ordinarius potest utique in causis sponsalium judicare sponsalia non fuisse valida aut cessavisse in una vel utraque parte, sed nequit subsistens vinculum sponsalium ullo pacto solvere.

108. Diximus R. P. id posse *ex justa causa* : nam ut habet Glossa *in can.* 1, *dist.* 22, *in Decret.* v. *injustitiam* « nec Papam debere uni detrahere ut det alteri, nisi subsit causa ». Quaenam causa justa sit pro hac dispensatione remittitur prudentiae R. P. ; in genere dici potest causam esse justam, si, omnibus perpensis, majora bona ex dispensatione,

Digitized by Google

quam ex adimplemento fidei sponsalitiae praevidentur. R.P. hanc dispensationem concedere non solet nisi ex consulto S. C. C. post monita, aut etiam minas inutiles, ut obligatio sponsalitia adimpleatur. « Nostris... temporibus non omnino infrequentia sunt haec rescripta ob infaustam promulgationem legis sic dictae matrimonii civilis. Aliquando enim evenit, ut quis spreta fide sponsalium matrimonium civile cum altera contrahat, et ex ea filios suscipiat, deinde vero petat cum hac matrimonium in facie ecclesiae celebrare. Obstante parocho huic matrimonio propter impedimentum sponsalium, et sponsa nolente juri suo renuntiare, S.P. rogatur, ut stante impossibilitate morali contrahendi nuptias cum sponsa, quas lex civilis, etsi per injuriam, legitimas non haberet, ad consulendum tamen bono filiorum et praesertim conscientiae oratorum, S. P. hanc dispensationem concedat per medium supradictae S. C. » De Angelis *IV*, *I*, *n.* 6.

109. Huc usque de variis causis, quibus obligatio sponsalitia cessat. Exinde patet quam facile pars resiliens excusetur a peccato, vix enim non erit aliqua justa resiliendi causa; ideoque quam raro judex et confessarius obligationem sponsalitiam urgere debeant, remanente tamen impedimento publicae honestatis.

SCHOLION I.

DE PRACTICA AGENDI RATIONE CIRCA SPONSALIA.

110. In primis si sponsalia inita non fuerunt, sed vir copulam a muliere extorsit promissione matrimonii, aut eam vi cognovit, aliudve damnum injuste eidem intulit, et mulier contra eumdem suam actionem exercere velit atque interim matrimonium viri cum tertia persona impedire, parochus ei dicat has causas agi penes tribunal laicale. Id non impedit quominus ex charitate, si id opportunum judicaverit, virum moneat de sua obligatione. Porro si mulier revera actionem proponit coram tribunali laicali, ut plurimum melius erit matrimonium viri cum alia muliere suspendere

Digitized by Google

usque ad exitum judicii ; si vero mulier ad laicale tribunal non recurrit, celebrari poterit.

111. Sed veniamus ad sponsalia. Triplex casus fingi potest : 1° Utraque pars admittit sponsalia contracta non fuisse, aut fuisse nulla, aut deinde fuisse soluta, dum alii e. g. parentes sustinent sponsalium existentiam. 2° Utraque pars fatetur sponsalia valida contracta fuisse, nec esse soluta, sed una pars e. g. sponsus non stat promissis. 3° Una pars e. g. sponsa contendit sponsalia valida inita fuisse, nullamque esse justam recessus causam, et sponsus negat.

112. In *primo* casu, parentes audiendi non sunt quoad obligationem sponsalitiam, et neutra pars ullatenus obliganda de sponsalibus initis et non servatis. Quod si agatur de existentia et validitate illorum sponsalium quoad impedimentum publicae honestatis, Ordinarius videbit num affirmatio partium, attentis circumstantiis, sit suspecta et periculum sit collusionis : in dubio ad cautelam petenda erit dispensatio ab impedimento.

113. In *altero*, si sponsa tacet, aut, quod idem est, non conqueritur penes parochum aut Ordinarium, censetur renuntiare juri suo, et ideo sponsus non est inquietandus. Contra si sponsa exigit fidem sibi datam impleri, tunc vel sponsus ultra modum retardat promissum matrimonium, vel vult potius nuptias inire cum alia muliere. Si primum parochus monere sponsum poterit et debebit de sua obligatione : imo si ex hujusmodi mora aliquod scandalum sit vel aliquod periculum, Parochus, etiam neutra parte urgente, curare debet ut matrimonium quantocius celebretur. Tandem si haec non sufficiunt, Parochus sponsam instantem remittet ad Ordinarium ; hic vero sponsum monebit, praefiget tempus, quo inutiliter praeterlapso, sponsa libera erit (n. 68) ; sed nostris praesertim temporibus sponsum censuris numquam coget ad matrimonium. Quod si sponsa insuper alleget copulam promissione matrimonii aut vi extortam aut damnum reparandum, Ordinarius post inutiliter tentatam compositionem respondebit haec pertinere ad tribunal laicale. Si alterum vero contingat, sponsa opponente impedimentum *Nihil transeat*, parochus assistere nequit

Digitized by Google

matrimonio viri cum alia muliere. Et quoniam ex hypothesi obligatio sponsi in confesso est, curabit ut sponsus redeat ad sponsam; aut, si commode potest, suadeat sponsae ut renuntiet juri suo, praesertim si vir cum illa muliere matrimonium, ut ajunt, civile jam inivit, ex ea filium habet, eam vehementer amat..... et simul suadeat sponso, ut damnum compenset, si quod debet (1). Omnibus in irritum cedentibus, parochus rem remittet ad Ordinarium, significans matrimonio hoc impedimentum impediens obstare. Ordinarius post inutiles monitiones viro factas, aut suasiones factas utrique ut supra, ac inutiliter tentatam compositionem non potest permittere matrimonium, quia non potest dispensare ab obligatione sponsalitia (n. 107). Plerumque tamen, viro in sua obstinatione perdurante, petet dispensationem a S. Sede quae pro bono animarum ipsam concedit, imposita forte compensatione damni alias illati, aut salutari poenitentia. Quod si sponsa a tribunali laicali quod juxta regionis civilem legislationem sponsalia recognoscit, compensationem damnorum ob non servatam sponsalitiam fidem postulet, jam nulla amplius habebitur ratio ejus oppositionis ad matrimonium viri cum alia muliere (2): non enim potest simul exigere et matrimonium et damnorum compensationem.

114. In *tertio*; sponsus non dubitans de sua libertate potest in conscientia discedere etiam propria auctoritate, quin necessaria sit praevia sententia Ordinarii declarantis sponsalia fuisse nulla, aut fuisse soluta, nisi forte haec declaratio requiratur ratione scandali (3). Proinde discessus ex propria auctoritate licitus est, dummodo causa nullitatis aut dissolutionis sponsalium sit certa tum in jure tum in facto. Jam vero sponso discedente, si sponsa tacet, seu, quod idem est, de violata fide sponsalitia non conqueritur penes parochum aut Ordinarium, censetur et ipsa recognoscere nullitatem aut solutionem sponsalium, vel renuntiare

(1) Feje *n.* 556.
(2) Instructio Austriaca § 111.
(3) Sanchez *I, LXIX, n.* 3. S. Alph. *VI, n.* 878. Pontius *XII, XVIII* in fine. Bangen *I, pag.* 61 cum communi.

Digitized by Google

juri suo, ideoque sponsus non est inquietandus. Contra si sponsa instat pro sponsalium implemento, negante viro suam obligationem, parochus tentabit concordiam, et tandem, cum ipse non sit judex in foro externo, sponsam mittet ad Ordinarium, nec potest ultra procedere ad proclamationes, dummodo impedimentum *Nihil transeat* probabile aliquo modo sit (1). Ordinarius, si rem amice componere nequit, partibus intimabit causam esse judicialiter pertractandam.

SCHOLION II

DE SPONSALIBUS IN GALLIIS.

115. Nonnulli Gallici AA. aut viri docti passim affirmant vera sponsalia in Galliis non esse, quia mutua futuri matrimonii promissio fieri non solet, et, si fit, nulla ei adnectitur vis obligandi, ac proinde in Galliis non est nisi simplex tractatus de matrimonio futuro. Hinc, uti fertur, nulla unquam in praxi habetur ratio sponsalium, aut impedimenti publicae honestatis exinde enascentis. Hanc opinionem breviter ad examen revocamus.

116. Duplex fieri debet quaestio: 1° in Galliis fitne quandoque haec mutua promissio futuri matrimonii cum debitis requisitis? Et quatenus affirmative; 2° producitne sponsalium effectus, gravem nempe obligationem in conscientia cum impedimento publicae honestatis? Prima est potius facti, altera juris. Utrique responsionem affirmativam dandam esse putamus.

117. In primis haec mutua matrimonii promissio adeo obvia est ac naturalis, ut a priori incredibile prorsus videatur in Galliis numquam locum habere. Insuper, quidquid nonnulli dicant, de facto constat mutuam promissionem utique non semper, sed aliquando praecedere matrimonium. Et sicut in aliis nationibus, ita et in Galliis haec promissio variis modis fieri solet. Nam aliquando fit privatim inter ipsos nupturientes, aliquando coram parentibus habito quoque

(1) Bangen *I*, *pag.* 61-62. Feje *n.* 556.

Digitized by Google

deinde solemni prandio, quod sponsalium dicitur, aliquando coram parocho quem una cum parentibus adeunt, si scilicet coram ipso matrimonium sibi mutuo promittunt. Imo in publicationibus matrimonialibus parochus in Galliis dicere solet *existit promissio matrimonii*, quod non probamus, nisi constet promissionem sponsalitiam de facto praecessisse. Tandem fere nemo hodie negat hoc factum revera aliquando contingere, sed tamen censent hanc mutuam matrimonii promissionem carere requisitis ad valorem sponsalium, nominatim quia partes nullam ei adnectunt vim obligandi.

118. Jam vero ultro fatemur sponsalia simulata esse nulla, si nempe pars non habet in corde suo animum promittendi. At id non praesumitur et probandum est in casibus particularibus: aliquando accidet in Galliis, sed non semper. Ulterius admittimus sponsalia esse nulla, si pars ignorat prorsus ex sua promissione oriri aliquam obligationem, aut si id noscens non vult ullatenus obligari (n. 19). At rursus id non praesumitur et probandum est in casibus particularibus; quandoque ita erit in Galliis, prouti in aliis nationibus, sed nemo dicet semper ita esse. Nam a priori incredibile prorsus est personas etiam honestas et excultas promittentes serio matrimonium nescire ex hac promissione serio facta et acceptata oriri ipso naturae jure aliquam obligationem, aut id scientes numquam velle eam assumere. Praeterea de facto personae honestae cum serio sibimet mutuo promittunt matrimonium, intelligunt aliquam utique contrahere obligationem. Equidem putant hanc obligationem cessare posse, se non posse cogi in foro externo ad matrimonium, se non esse indissolubiliter ligatos etc. Sed haec opinio rejiciens impossibilitatem solutionis sponsalium non officit eorum validitati, et verissima est, quia revera quam facile liceat a data fide sponsalitia recedere, patet ex dictis. At si vir e. g. sine justa causa ex mero suo beneplacito recedit, mulier conqueritur, ejusque actionem habet indignam et inhonestam, praesertim si promissione matrimonii a virgine honesta rem obtinuerat. Haec omnia manifeste indicant etiam in Galliis huic promissioni adnecti ideam alicujus moralis obligationis, licet deinde causa resiliendi facillime

Digitized by Google

admittatur. Hinc recedens de facto semper allegat rationem (sufficientem vel non sufficientem, haec est alia quaestio), et numquam dicit: recedo, quia promissio in casu nihil est, et me nullatenus ligat. Subtilior vero investigatio de natura obligationis sponsalitiae, de impedimento impedienti et dirimenti quod ex hac promissione oritur, explicita intentio sese obligandi etc. non est necessaria, et sponsi nec in Galliis nec alibi ad haec attendere solent. Igitur in Galliis fieri absque dubio quandoque solent mutuae matrimonii promissiones cum omnibus requisitis pro validitate sponsalium.

119. Ad alteram quaestionem accedentes quaerimus, si vera sponsalia sunt in Galliis, curnam non producent sponsalium effectus? Dices: sententia contraria saltem probabilis est, ideoque obligatio sponsalitia et impedimentum publicae honestatis saltem ex principio reflexo urgenda non sunt. Respondemus illam opinionem non esse probabilem, quia innititur duplici errori facti, nempe quod in Galliis numquam fiat mutua matrimonii promissio, aut quod, si fit, numquam ei adnectatur vis obligandi. Neque consuetudo contraria abrogavit impedimentum publicae honestatis ex sponsalibus in Galliis: nam haec consuetudo, si existeret, foret illegitima non uno ex capite.

120. Igitur praeferenda est sententia aliorum virorum doctorum: nempe fideles in Galliis hac in re eodem jure regi ac fideles in aliis nationibus. Singuli casus examinandi sunt in particulari, utrum mutua matrimonii promissio forte facta habeat omnia requisita necessaria pro validitate sponsalium. Si negative, sponsalia non sunt; si affirmative, adsunt vera sponsalia, et ratio habenda erit tum obligationis moralis, nisi haec ex justa causa cessaverit, tum praesertim impedimenti publicae honestatis, quod enatum semper perseverat. Duobus abhinc annis in curia archiepiscopali Parisiensi puella quaedam proposuit impedimentum *nihil transeat* contra matrimonium a suo sponso contrahendum cum tertia persona. Curia jussit revera matrimonium suspendi, causam examinatura, nisi puella renuntiavisset juri suo. Igitur curia archiepiscopalis Parisiensis, cujus auctoritas apud omnes magna esse debet, admittit hanc doctrinam.

Digitized by Google

CAPUT II

DE HIS QUAE MATRIMONII CELEBRATIONI PRAEIRE DEBENT.

Articulus I

Baptisma et confirmatio.

121. Et in primis baptisma validum utriusque partis est profecto necessarium, ut sponsi ad sacramentum matrimonii in facie ecclesiae admitti possint, nisi forte agatur de matrimonio inter partem baptizatam et partem non baptizatam, obtenta dispensatione ab impedimento dirimente disparitatis cultus. Nam infideles possunt utique matrimonium legitimum inter se inire, sed nil de ipso ad Ecclesiam. Confirmatio baptizatorum proprie non est necessaria pro matrimonio; hinc baptizatus nondum confirmatus potest utique matrimonium contrahere cum baptizata, etsi non confirmata. At id est valde absonum: et ideo, consuetudine vel lege dioecesana, etiam confirmatio praevia requiri solet, ut matrimonium fidelibus permittatur; a qua consuetudine vel lege Episcopus dispensat, si in peculiaribus rerum adjunctis confirmatio commode praemitti nequeat. Igitur fideles, qui petunt matrimonio jungi ab Ecclesia, ante omnia probent necesse est, se fuisse baptizatos et confirmatos.

122. Susceptio baptismatis et confirmationis probatur testimonio parochi et libro baptizatorum et confirmatorum, qui libri apud ipsum sunt; proinde hoc testimonium ante omnia praesto esse debet. Nec alia probatio baptismatis, aut confirmationis pro matrimonio admittitur, si hoc parochi testimonium haberi commode potest: tum quia hoc testimonium est naturalis probatio recepti baptismatis et confirmationis, tum quia ex eo apparet aetas contrahentis,

Digitized by Google

religio, consanguinitas et affinitas. *Si haberi commode potest*: nam, si libri parochiales non amplius existunt, quia e. g. igne perierunt, aut tempus urget, nupturiens probare potest alio legitimo modo se baptizatum et confirmatum fuisse, e. g. unico etiam teste fide digno, praesertim commatris, vel compatris spiritualis, testimonio authentico primae communionis, testimonio confirmationis. Hinc S.C.C. in *Nullius Orbetelli* 6 *Jun.* 1662 resolvit fidem baptismi non esse simpliciter necessariam pro matrimonio contrahendo. Sed in his casibus Ordinarius videat quid agendum. In articulo mortis parocho, ut assistat matrimonio, satis erit affirmatio ipsorum nupturientium de recepto baptismate, etsi forte non sint confirmati, quia consuetudo aut dioecesanum statutum praescribens praeviam confirmationem non obligant cum tanto incommodo.

123. Formula hujus testimonii notissima est et apud omnes parochos prostat. Pro eo dando parochus id exigere potest, quod fert usus vel statutum dioecesis, et si solitum est dari gratis, gratis et ipse dabit (n. 1052). Hoc testimonium, si mittendum est ad aliam dioecesim, debet esse recognitum a curia loci baptismatis et confirmationis, et alicubi praescribitur a curia esse recognoscendum etsi mitti debeat ad aliam parochiam ejusdem dioecesis. Ordinarius autem potest illud etsi non recognitum a curia sufficiens habere. Quod si Ordinarius loci baptismatis ac confirmationis testari debeat etiam de statu libero, tunc eadem formula testimonii quod edit, omnia continere solet, fidem status liberi, baptismatis et confirmationis.

124. In locis, in quibus non viget lex de examine testium, si contrahens baptizatus est et confirmatus in parochia in qua matrimonium contrahitur, parochus hoc testimonio non indiget, uti per se patet, quia in libris baptizatorum et confirmatorum potest videre illius baptismum et confirmationem. Jure communi in locis, in quibus citata lex viget, adhuc esset necessarium, quia Ordinarius non dat licentiam procedendi ad publicationes matrimoniales, nisi postquam hoc testimonium recepèrit. Praeterea si parocho in illis locis, Ordinario in istis certo moraliter constat de partium baptis-

Digitized by Google

mate et confirmatione, possunt testimonium ejusmodi aliamve probationem non exigere pro sua prudentia, praesertim si tempus urget; nam jus exigit quidem praevium baptisma et confirmationem, sed deinde non praecipit nominatim exhibendum esse testimonium recepti utriusque illius sacramenti, aut aequivalentem probationem. Tandem animadvertimus etiam in matrimonio mixto necessarium esse testimonium baptismatis partis acatholicae, ne matrimonium forte ineatur inter partem baptizatam et partem non baptizatam.

125. Praeter testimonium baptismatis et confirmationis nupturiens, qui jam matrimonio copulatus, ad alia vota transire desiderat, praesto habeat pro diversis casibus aut testimonium obitus sui conjugis, aut documentum authenticum dispensationis a suo matrimonio rato et non consummato, quam a S. Sede obtinuit, aut declarationis nullitatis praecedentis matrimonii pronuntiatae a S.C.C. vel a S.C.S. Officii, aut tandem solemnis professionis religiosae una cum declaratione judicis ecclesiastici de matrimoni non consummatione.

Articulus II

Processus pro libero sponsorum statu comprobando.

126. Liber nupturientium status heic est carentia cujuslibet impedimenti praesertim dirimentis, ac nominatim impedimenti ligaminis. Antequam fideles ad matrimonium admittantur, Ecclesia prudenter statuit, ut haec libertas probetur, et determinavit, modum quo probari debet, qui modus constituit processum pro statu libero comprobando. Post testimonium baptismatis et confirmationis hic processus *attento jure communi* haec complectitur: 1° Duo testes deponunt in forma praescripta coram Ordinario, vel ejus delegato, de libertate status; 2° Parochus inquirit num aliquod existat impedimentum; 3° Facit deinde publicationes matrimoniales. Tunc tandem, si nil obstat, Ordinarius concedit parocho licentiam assistendi matrimonio. Diximus *attento*

Digitized by Google

jure communi; quia in pluribus locis lex de examine testium non observatur, et tunc processus pro statu libero post testimonium baptismatis et confirmationis restringitur ad parochi inquisitionem et ad publicationes matrimoniales, et parochus omnia praestat in casibus obviis sine interventu Ordinarii.

§ 1ª. — *De examine testium pro statu libero.*

127. Ut rite legitimeque procedat examen testium ad statum liberum comprobandum prae oculis habeantur sequentia documenta : 1° Decretum cum instructione S. C. S. Officii datum jussu Clem. VIII *fer. V, die* 21 *Aug.* 1670. Hoc decretum incipit *Cum alias*, et dat formam seu methodum pro hoc testium examine. Illam iterum inculcavit eadem S. C. S. Officii in instructione *Ingentes bellorum clades* 22 *Junii* 1822, item *die* 25 *Dec.* 1827 ac alias. 2° Dubia ac relativa responsa ejusdem S. C. fer. IV die 24 *Febr.* 1874. 3° Alia dubia ac responsa sine data ejusdem S. C. 4° *Instructio* edita ab eadem S. C. *an.* 1869 ad Delegatum Apost. Aegypti. 5° Responsa ejusdem S. C. data die 2 *Apr.* 1873 ad dubia proposita a Delegato Apost. Patriarcha Constantinopolitano. Haec omnia habes in Alleg. III sub numeris I, II, III, IV, V. Quae praescripta sunt, huc redeunt.

128. Quando sponsi, vel eorum alter, vel eorum parentes de ineundo matrimonio parochum monent, hic eis dicet duos testes esse exhibendos qui de statu libero deponant. Hoc testium examen fieri debet, Romae coram notario et officiali a Card. Vicario specialiter deputatis, extra Romam coram Episcopo, vel Vicario Generali, aut alia persona insigni et idonea (ecclesiastica) ab Episcopo specialiter deputata (1). Utrum idonea sit et insignis, judex est ipse Episcopus. Pro iis locis quae a civitate episcopali distant, Episcopi deputare solent vicarios foraneos, quod S. C. S. Officii expresse approbat (2), et etiam ipsi parochi possunt deputari.

(1) Alleg. *III, I, n.* 17.
(2) Alleg. *III, II, dub.* 1°.

Digitized by Google

Haec deputatio fit vel in singulis casibus vel potius semel pro semper in statutis dioecesanis. At vero deputatus, recepta testium depositione, debet acta (una cum testimonio baptismatis et confirmationis) transmittere ad Ordinarium, cujus est expedire fidem status liberi (1).

129. Testes sint *duo* pro unaquaque parte idest duo pro viro, et duo pro muliere, sed iidem duo testes possunt singillatim pro utraque deponere. Debent esse : 1° *noti* notario aut alii qui depositionem recipit, quo casu hic utitur clausula *mihi bene cognitus*. Sin minus, testis, contrario usu non obstante, non admittitur, nisi alia persona nota attestetur viva voce vel in scriptis (dummodo ejus scriptura nota sit aut sigillo authentico munita) de nomine et cognomine ipsius testis nec non de idoneitate ejusdem ad testimonium ferendum (2) ; 2° *Idonei*. Admittuntur etiam mulieres, etiam consanguinei, pater, mater, frater, soror... imo consanguineorum testimonio firmior praestanda est fides quam extraneorum, quia praesumptio est illos majori in re pollere scientia quam istos ; item cives praeferuntur exteris et etiam acatholici fide digni, deficientibus catholicis, tamquam idonei recipiuntur (3). Milites vero et vagi non admittuntur nisi data causa et maturo consilio (4). Speciales qualitates in teste necessariae non sunt.

130. Testes examinantur unus post alium. Unicuique sua vice defertur juramentum de veritate dicenda, quod praestatur tactis evangeliis. Quaesita testi proponenda habentur in cit. instructione S. C. S. Officii Alleg. III, I. Imo jam adest folium in quo impressae sunt interrogationes ita ut qui recipit depositionem, perlegit testi quaesitum et deinde scribit responsionem. Hoc folium, prouti in usu est in curia Romana, habes Alleg. III, VI. Unum ex his foliis replendum est pro viro, aliud pro muliere. Expleto examine, depositio integra testi perlegenda est, ut videat an suam exprimat mentem. Tandem testis subscribit depositionem, vel si est

(1) S. C. S. Officii loco mox cit.
(2) Alleg. *III, I, n.* 17 et *II, dub.* 3°.
(3) Alleg. *III, V, dub.* 1°.
(4) Alleg. *III, I, n.* 17, *II, dub.* 2°.

Digitized by Google

illiteratus ducit calamo signum Crucis in folio, praesentibus aliis duobus testibus (1), itemque notarius subscribit et Ordinarius vel delegatus qui depositionem recepit.

131. Haec quidem clara sunt, si nupturientes sunt dioecesani nec extra dioecesim commorati. Quid vero si uterque vel alteruter sit exterus et ad dioecesim advenerit, vel sit dioecesanus, sed extra dioecesim per aliquod temporis commoratus? Varii casus distinguendi sunt.

1° Si nupturiens est exterus et ad dioecesim advenit *ante pubertatem*, nullum requiritur testimonium pro antecedenti tempore (2). Imo etiamsi ad dioecesim advenerit *paulo post* pubertatem, de rigore juris esset quidem necessarium, sed in praxi nullum testimonium exigitur. Illud vero *paulo post* non est determinatum; unde sequenda est praxis cujusque curiae. In Urbe non requiritur testimonium pro viro ante XV annum, pro muliere ante XIII vel XIV juxta diversas circumstantias.

132. 2° Si est exterus et ad dioecesim advenit post pubertatem, requiritur testimonium status liberi datum ab Ordinario originis pro tempore, quo in dioecesi originis permansit (3), etsi dioecesis originis sit contermina et nupturiens cognoscatur a suo parocho (4), et ab illa a decennio et amplius discesserit (5), nec sufficiunt publicationes inibi factae (6). Formula hujus testimonii datur a Monacelli *Formularium etc. tom. I, tit. VIII* (7). Igitur in casu Ordinarius dioecesis in qua matrimonium celebratur, petit

(1) Alleg. *III, I,* in princip.
(2) Alleg. *III, VII, dub.* 3°.
(3) Alleg. *III, I, dub.* 7°.
(4) Alleg. *III, III, dub.* 1° et 2°.
(5) Alleg. *III, II, dub.* 6°.
(6) Alleg. *III, II, dub.* 2°.
(7) « N. Dei et Apost. Sedis gratia Episcopus N. Universis et singulis ad quos praesentes nostrae pervenerint, fidem facimus Titium de parochia N. hujus dioecesis, mense... anno..... discessisse ab hac civitate et dioecesi in statu libero ad contrahendas nuptias, et ante ejus discessum numquam habuisse uxorem, et nullo alio impedimento fuisse irretitum, prouti ex depositionibus testium coram nostro Vicario Generali, medio eorum juramento ad formam instructionis S. C. Inquis. de Urbe examinatorum plane constat.

» In quorum fidem..... »

Digitized by Google

ab Ordinario originis hoc testimonium, illudque expectare debet (1). Deinde nupturiens debet probare per duos testes in forma praescripta, ut supra, suam libertatem coram Ordinario dioecesis pro tempore quo in dioecesi commoratus est.

133. 3° Si est exterus et antequam ad dioecesim adveniret, in aliis locis est commoratus, debet exhibere testimonium libertatis datum ab Ordinariis locorum per quae vagatus est (2). Si id est impossibile, aut valde difficile et longum, nupturiens vel alius pro ipso facultatem a S. Officio obtinere debet, ut suam libertatem pro intervallis commorationis in aliis dioecesibus probet per duos testes idoneos in forma praescripta coram Ordinario dioecesis in qua matrimonium celebratur (3), et si id quoque est impossibile, nupturiens admitti poterit ad *juramentum suppletorium* pro illis temporibus. Ad id Ordinarius habere debet a S. C. S. Officii facultates, quas subdelegare nequit, nisi id quoque ei concessum fuerit. Formula hujus juramenti non est determinata : sufficit ut nupturiens affirmet se per illud temporis non contraxisse matrimonium, nec aliud canonicum impedimentum. Fidentius nupturiens ad hoc juramentum admitti poterit, si constet ipsum probum esse (4). Tandem coram eodem Ordinario probare debet, ut supra, libertatem pro tempore commorationis in dioecesi in qua matrimonium initur.

134. 4° Si est exterus et ad dioecesim advenit praecise ad matrimonium contrahendum, quin in ea per notabile tempus prudenti Ordinarii judicio commoratus sit, putamus sufficere testimonium sui Ordinarii, ut supra, et non requiri

(1) Alleg. *III, I,* n° 7.

(2) Alleg. *III, V.* Formula hujus testimonii est analoga praecedenti. Universis... fidem facimus Titium de parochia N. dioecesis N. per spatium... quo in nostra dioecesi permansit, matrimonium non contraxisse prouti... »

(3) Alleg. *III, V.*

(4) Alleg. *III, V.* Quamquam Ordinarius in genere nequeat ad juramentum suppletorium admittere, nisi facultate habita a S. C. S. Officii, tamen si casus urget, ipse hac potestate caret et tempus non est illam petendi et obtinendi, poterit hoc juramentum deferre absque obtenta facultate, quia lex Ecclesiae non obligat cum tanto incommodo.

Digitized by Google

examen testium coram Ordinario dioecesis in qua matrimonium contrahitur.

135. 5° Si est dioecesanus, sed per aliquod temporis extra dioecesim permansit, repetenda sunt quae diximus pro 3° casu : nempe exhibeat testimonium status liberi Ordinarii illius loci vel illorum locorum, ubi commoratus est, vel facultates a S. Officio obtineat, ut possit probare coram suo Ordinario per duos testes idoneos libertatem per illud temporis, vel admitti ad juramentum suppletorium. Curiae habent ordinariam potestatem admittendi ad juramentum suppletorium pro anno absentiae : item, si agitur de militibus qui servitii militaris tempus in variis locis degerunt, curiae semel pro pluribus annis hanc facultatem obtinere solent.

136. Haec lex, quam huc usque declaravimus, de status libertate duorum testium depositione probanda ante matrimonii celebrationem, urget semper, nisi S. C. S. Officii juramentum suppletorium permiserit. Ordinarius potest quidem a publicationibus dispensare, sed nequit permittere ut fideles matrimonium contrahant sine praevio hoc examine. Una est exceptio ab ipso jure praevisa, nempe in mortis articulo possibile non est, ideoque nec necessarium has formalitates adimplere. At aegrotus ad sanitatem forte restitutus ad uxorem accedere non potest, priusquam paruerit in omnibus, quae a S. Officio praescribuntur (1).

137. Pro testium depositione recipienda Ordinarius vel delegatus nil omnino exigere aut recipere potest : unus cancellarius jus habet ad mercedem proportionatam labori scribendi. Ita aperte celebris *Taxa Innocentiana*, ut ajunt, seu instructio probata ab *Inn. XI, die* 8 *Oct.* 1678, qua taxae percipiendae a curia episcopali in materiis ecclesiasticis, reprobata quacumque contraria consuetudine, determinantur. Pro negotiis enim quae matrimonium et sponsalia respiciunt, haec statuit « Nelle cause e materie che risguardano il matrimonio ed i sponsali, cosi per la esecuzione delle dispense apostoliche matrimoniali, come per la giustificazione dello stato libero, o che non vi sia canonico

(1) Alleg. *III, III, dub.* 6°. Ben. XIV *Inst. Ecc.* 33, *n.* 13.

Digitized by Google

impedimento, ed anche per la dispensa dalle publicazioni, o per la licenza di potersi contrarre in casa, o in altro luogo insolito e proibito, o che si possa contrarre in presenza di altri che del parroco, ed ogni altro atto che occorresse fare, il Vescovo ed il suo Vicario, ed ogni altro uffiziale e ministro o familiare non possa sotto qualsivoglia pretesto o colore anche di mancia e di volontario donativo esigere o ricevere emolumento alcuno nè in danaro, nè in altre cose, ma solamente il cancelliere possa esigere la mercede proporzionata alla fatica della scrittura, cioè nella esecuzione delle dispense giulii tre (1 *franc* 75 *cent.*), e per i testimonii sopra lo stato libero o che non vi sia impedimento un giulio per testimonio, purchè in tutto non si ecceda uno scudo di moneta romana, cioè dieci giulii (5 fr. 35), ovvero il loro equivalente nella moneta del paese; non comprendendosi le cause contenziose tra i conjugi sopra la validità del matrimonio, ovvero sopra la separazione del toro, stimandosi questa causa giudiziale profana, nella quale si osserverà la tassa di ciascun tribunale, sinchè si proveda » (1).

138. Expleto examine et testium depositione ad Ordinarium missa, si a delegato recepta fuit, Ordinarius, si nullum obstat impedimentum, dat parocho licentiam procedendi ad publicationes, praemissa inquisitione. Formulam hujus licentiae prouti in usu est Romae, habes Alleg. III, VII. Si

(1) *Latine :* In causis et argumentis quae spectant ad matrimonia atque sponsalia, tam pro executione apostolicarum dispensationum matrimonialium, quam pro statu libero vel absentia canonici impedimenti comprobandâ, nec non pro dispensatione a publicationibus, vel pro licentia matrimonii contrahendi sive domi, sive alio in loco insueto et vetito, sive coram aliis quam parocho, denique pro quovis alio actu requisito expediendo, Episcopus eiusque Vicarius ac quilibet alius Officialis et minister aut familiaris, sub quovis praetextu aut colore etiam strenae et ultronei donarii, nequeat exigere vel recipere aliquod aemolumentum neque in pecunia neque in aliis rebus ; sed solum Cancellarius valeat exigere mercedem scribendi labori convenientem, idest in dispensationis executione iulios tres, et pro singulis testibus de libertate status vel de absentia impedimenti iulium unum, dummodo in omnibus non excedatur unum romanae monetae scutatum, scilicet decem iulii, vel horum summae aequivalens in moneta cuiusvis regionis ; non tamen (in hac dispositione) inclusis causis contentiosis inter coniuges super matrimonii validitate, aut super separatione a toro, cum hae censeantur causae indiciales profanae in quibus servabitur taxa uniuscuiusque tribunalis donec provideatur.

Digitized by Google

e contrario aliquod est impedimentum in quo R. P. potest et solet dispensare, Ordinarius prius petit aut concedit, si potest, dispensationem, et deinde illam licentiam elargitur. Ejus prudentiae remittitur permittere parocho in urgentioribus casibus, utpartes interroget, et matrimonium publicet, dum dispensatio a S. Dataria Apostolica, vel a S. Poenitentiaria obtinetur.

139. Hoc est jus commune quoad examen testium pro status libertate probanda : quod jus de facto non servatur extra dioeceses status pontificalis. In aliis locis numquam receptum fuit, vel in desuetudinem abiit, et libertas status probatur aut sponsorum affirmatione jurata, aut testimonio parochi... (1) praeter parochi investigationem et publicationes. In Galliis haec lex nihilo suppletur, et habentur tantum parochi inquisitio et publicationes. Certe parochus sequi potest usum suae dioecesis, licet juri communi haud omnino consonum, tacite vel expresse a suo Ordinario probatum, secus enim magna confusio esset in dioecesi in re magni momenti. Sed quid dicendum de hac contraria consuetudine praesertim in Galliis ? In primis animadvertimus S. Sedem hujus consuetudinis, quam certe non ignorat, nullam rationem habere, et in suis instructionibus aut responsis legem urgere, veluti si haec consuetudo non extaret. Et merito : quia haec consuetudo qua examen testium removetur, nequit esse rationabilis, cum latam portam aperiat gravissimis incommodis : attenta enim humana malitia, non raro accidet, ut fideles matrimonia ineant cum aliquo impedimento seu impedienti seu dirimenti. Nonnulli censent hanc legem non obligare quoties habetur testimonium status liberi auctoritatis civilis pro matrimonio civili, aut testimonium ipsius civilis matrimonii : nam, ajunt, exinde jam satis constat libertas status sponsorum (2). Respondemus contrarium declaravisse S. C. S. Officii (3). Et revera libertas status pro civili matrimonio nullatenus evincit libertatem status pro matrimonio religioso. Tandem etsi illam evince-

(1) Feje *n.* 61.
(2) Bouix *De judiciis II, pag.* 465.
(3) Alleg. *III, V, dub.* 5.

Digitized by Google

ret, aequum non est disciplinam ecclesiasticam de regula generali inniti legi civili dupliciter injustae, et quatenus introducit matrimonium civile, et quatenus illud praescribit ante religiosum. Ob has rationes putamus legem de testium examine contrario usu in Galliarum dioecesibus abrogatam non esse (1). Equidem ob dioecesium amplitudinem non poterit ipse Ordinarius recipere testium depositiones, sed ipsum jus remedium indicat: Ordinarius scilicet deputet semel pro semper personam idoneam e. g. parochum aut primum vicarium. Pariter examen depositionum a persona idonea receptarum, deinde licentia parocho concedenda faciendi publicationes post peractam investigationem, postea examen relationis parochi de factis publicationibus et inquisitione, et tandem licentia eidem danda assistendi matrimonio erunt curiis episcopalibus fere importabile onus: sed in his secundariis legis partibus facile poterunt Ordinarii opportunas modificationes a S. Sede obtinere (2).

§ 2ª. — *De investigatione a parocho facienda.*

140. Conc. Lat. IV *in cap.* 3 *De clandestina desponsat.* ad universam Ecclesiam extendens legem bannorum matrimonialium addit « et ipsi presbyteri nihilominus investigent utrum aliquod impedimentum obsistat ». Clem. VIII praescribens testium examen, hanc investigationem minime sustulit, cujus pars essentialis est interrogatio sponsorum. Ben. XIV in Const. *Nimiam licentiam* 23 *Maii* 1743 confirmat, et rite determinat hanc legem. Deplorans enim abusus qui in contrahendis matrimoniis in regno Poloniae inoleverant, et *praeclaras salutaresque leges ac regulas* servandas indicans, de re nostra haec habet § 10 « Onus pariter proprio parocho injunctum est, ut antequam denuntiationes de ineundo matrimonio publice in ecclesia inter Missarum solemnia fiant, ipse tum sponsum tum sponsam seorsim, caute, et, ut dicitur, ad aurem explorare studeat an ex vo-

(1) Ioder *Formulaire matrimonial pag.* 30. Bangen *II, pag.* 10. Feje *n.* 261.

(2) Vide *Canoniste contemporain. Février, Avril, Juillet 1890.*

Digitized by Google

luntate, sponte ac libenter, et vero cum animi consensu in matrimonium vicissim conjungantur, nec non ut, quantum fieri potest, inquirere nitantur ullumne et cujus generis impedimentum inter contrahentes intercedat, aliisne fidem sponsionemque alter ex contrahentibus dederit, de consensune parentum filii filiaeque familias contrahant. Haec aliaque hujusmodi momenta postquam parochi accuratissime exploraverunt, si aliquod eorumdem momentorum sive deficere aut nocere posse deprehenderunt, suspensis interea denuntiationibus, illud quod obstare possit, deferre tenentur ad proprium Antistitem, qui prout res postulaverit, pro auctoritate munerisque sui debito opportune provideat ».

141. In primis jus interrogandi sponsos pertinet ad parochum proprium. *Presbyteri*, de quibus Conc. Lat. IV, *l. c.* sunt parochi sicuti pro publicationibus ita et pro investigatione facienda. Ben. XIV expresse ait *l. c. proprio parocho*. Etsi parochus vel Ordinarius alium sacerdotem ad assistendum matrimonio deleget, tamen hujus investigationis onus ipsi parocho incumbit, nisi parochus aut Ordinarius etiam hanc investigationem alteri faciendam commiserit, prout certe possunt. In hac civitate Parisiensi e. g. cum omnia, quae ad matrimonia referuntur, primo vicario demandata sint, ipse eam praestat. Si sponsi ad diversam pertinent parochiam, uterque parochus est competens ad eos interrogandos, sed melius est ut haec investigatio fiat a parocho, qui matrimonio assistit, quique esse solet parochus sponsae.

142. At proprio parocho est simul obligatio faciendi vel per se vel per alium hanc investigationem (n. 140). Obligatio gravis, cum agatur de lege generali in re gravi; quod insuper verba Conc. Lat. et Ben. XIV aperte indicant (1). Obligatio quae, ut putamus, urget, etsi parochus certus moraliter sit nullum adesse impedimentum. Hanc doctrinam omnes communiter admittunt pro lege publicationum : parochus nempe eas facere debet, licet sciat nihil matrimonio obstare, juxta principium generale : *lex obligat, licet in*

(1) Ioder *I, I,* § 1ª. Bangen *II,* § 1 *in princ.*

Digitized by Google

casu particulari ratio legis deficiat. Eadem autem ratio valet etiam in casu nostro. Neque dicas ex *reg.* 31 *juris in* 6° « eum qui certus est, certiorari amplius non opportet » nam id verum est si jus nil statuit. Caeterum interrogatio in casu poterit esse brevior et summaria, quia jus quaestiones ponendas non praescribit.

143. Parochus debet interrogare tum *sponsum* tum *sponsam*. In nonnullis dioecesibus viget consuetudo ut parochum adeant non quidem sponsus et sponsa cum eorum parentibus, sed sponsus et mater sponsae, eosque parochus interroget. Haec consuetudo est contra legem, ut patet, et servari non potest. Nam parochus debet investigare an sponsi *ex voluntate sponte, ac libenter, et vero cum animi consensu in matrimonium vicissim conjungantur*, ut ait Ben. XIV *l. c.*; atqui puerile est ab ipsis parentibus sciscitari utrum filiam coegerint ad nuptias. Fieri etiam potest ut parochus ratione circumstantiarum teneatur nonnulla quaesita puellae facere, quibus parentes respondere minime possunt. Igitur parochus generatim, posthabita hac consuetudine, exigat videre et interrogare etiam sponsam.

144. Interrogationes faciendas a parocho jus non determinat, neque determinare potest : diversae enim erunt juxta diversam conditionem vel capacitatem personarum aliasve circumstantias. Ben. XIV *l. c.* nonnullas in specie indicat. Nominatim parochus sponsos interrogabit circa rudimenta fidei christianae, nisi eos sciat satis instructos, e. g. quia sacramenta et catechesim frequentant. Synodus dioecesana Albanensis habita diebus 10, 11, 12 *Oct.* 1886 a Card. Monaco la Valletta addit. « Prudenter quoque impedimentum affinitatis ex copula illicita memoret (parochus) » si scilicet ob circumstantias rerum et personarum hoc impedimentum subesse probabile est. Ioder *op. cit. pag.* 6 dat formularium interrogationum faciendarum supponens legem de examine testium non vigere, secus plures interrogationes sunt inutiles.

145. Etiam forma seu modus hanc investigationem perficiendi prudentiae parochi remittitur. Ioder *l. c.* concludit. « En tout cas dans la manière de procéder il (parochus) aura

Digitized by Google

égard à la qualité des personnes qu'il a à examiner. Ainsi pour les personnes de classe et de condition élevée, un examen en forme pourrait être déplacé : il sera mieux de le faire sous forme de conversation. Si l'on procède par question, l'on évitera d'être obscur, ou équivoque » Ben. XIV *l. c.* ait sponsos esse interrogandos *seorsim*, *caute*, *et ut dicitur ad aurem*. Ad rem Scavini *III*, *n.* 1038. « Quo quidem in examine nonnisi caste, distincte ac separatim sponsi sunt interrogandi (1). Foemina autem in loco honesto et omnino aperto ostio (monitum maximi momenti !) et, quoad potest, in propinquorum conspectu, quin tamen ipsi aliquid audiant. Hac de re S. Carolus *Act. IV Instructio matrimonii* et D. Salesius *Filotea p.* 3, *c.* 38, *et* 39 saluberrima monita habent ». Expedit ut parochus habeat librum, in quo referat exitum hujus examinis, sed ad id non tenetur.

146. Remanet ut aliquid dicamus de dispositione Conc. Trid. *sess. XXIV*, *cap. VII de ref. mat.* « Multi sunt qui *vagantur et incertas habent sedes*, et ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta, aliam, et plerumque plures, illa vivente, diversis in locis ducunt : cui morbo cupiens sancta Synodus occurrere, omnes, ad quos spectat, paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile recipiant, magistratus etiam saeculares hortatur ut eos severe coerceant : parochis autem praecipit ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et, re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint ». Hoc praeceptum etiam in locis ubi non viget lex de examine testium, servari semper sedulo debet. At sub hac dispositione non comprehenduntur vagi in eodem loco, idest qui, relicta parochia, ad tempus in alia ejusdem loci morantur, quia ii non sunt vagantes et incertas sedes habentes, et praeterea in loco noti sunt, unde malum cui Tridentinum occurrit, timeri non potest (2).

147. Si parochus ex hac investigatione aliquod publicum

(1) Ballerini *Adnot. ad Compendium* Gury *II*, *n.* 272, *1°* addit. « Ratio prudentis hujus cautelae est, ne si simul sponsi coram parocho adstent etiam cum testibus, potius quam de matrimonio futuro, evadant sponsalia de praesenti ».

(2) Sanchez *III*, *XXV*, *n.* 2. S. Alph. *VI*, *n.* 1089. Salm. *n.* 38.

Digitized by Google

deprehendit impedimentum seu impediens seu dirimens, non potest procedere ad publicationes, ut expresse docet Ben. XIV *l. c.* etiamsi impedimentum sit dubium, cum parochus non sit judex in foro externo. Tantum, utroque vel alterutro sponso ignorante rudimenta fidei, parochus pro sua prudentia videbit an possit publicare matrimonium, dum haec ignorantia removetur. Imo si impedimentum est certum, et in eo R. P. non potest aut non solet dispensare, parochus de hoc monebit tum sponsos, tum eorum parentes, omnesque a matrimonio dehortabitur omnino. Si autem impedimentum hujusmodi est dubium, aut impedimentum est certum et in eo R. P. potest et solet dispensare, parochus rem deferet ad Ordinarium, indicatis etiam in altero casu causis dispensationis. Quod si impedimentum est occultum, parochus non suspendit publicationes, ne impedimentum publicum evadat, sed statim petit dispensationem a S. Poenitentiaria, vel etiam ab ipso Ordinario, si hic eam concedere potest, nec prudentia aliud suadeat. Per privatam enim illam revelationem ab ipsa parte factam viva voce et non subscriptam res non evasit fori externi : hinc si pars impedimentum indicans simul dicat dispensationem pro foro interno obtentam fuisse, parochus dissimulet (1).

148. E contrario si haec inquisitio nullum revelavit impedimentum, parochus pergit ad publicationes, de quibus modo agendum est.

§ 3ª. — *De publicationibus seu bannis matrimonialibus.*

I

Origo, gravitas, vis legis et formula publicationum.

149. Lex de matrimoniis publicandis lata primo fuit pro tota Ecclesia a Conc. Lat. IV : antea erat lex dioecesana pluribus locis recepta. Nam antiqua Ecclesiae disciplina erat, ut quando fideles voluntatem manifestabant matrimonium ineundi, presbyteri inquirerent an his nuptiis aliquod obstaret impedimentum. Odo de *Sobiaco* Episcopus Parisiensis

(1) Feje *n.* 270, Sanchez *III, XV, n.* 16,

Digitized by Google

circa initium saec. XIII praecepit hoc matrimonium publicari in ecclesia, et omnes fideles invitari ad denuntiandum curiae episcopali, si quod dignoscerent impedimentum. Conc. Lat. IV *in cap.* 3 *De cland. desp.* hanc legem extendit ad totam Ecclesiam, simul presbyterorum inquisitionem conservans «... Specialem quorumdam locorum consuetudinem ad alia generaliter prorogando, statuimus ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in ecclesiis per presbyteros publice proponantur, competenti termino praefinito, ut intra illum qui voluerit et valuerit, legitimum impedimentum opponat, et ipsi presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat. Cum autem apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expresse, donec quid fieri debeat super eo manifestis constiterit documentis. Si quis vero hujusmodi clandestina vel interdicta conjugia inire praesumpserit in gradu prohibito, etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium : cum illi taliter contrahendo non expertes scientiae, vel saltem affectatores ignorantiae videantur. Pari modo proles illegitima censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum, praeter omne interdictum etiam in conspectu ecclesiae contrahere praesumpserunt. Sane si parochialis sacerdos tales conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis qui eis praesumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus si culpae qualitas postulaverit. Sed his, qui taliter praesumpserint etiam in gradu concesso copulari, condigna poenitentia in jungatur. Si quis autem ad impediendam legitimam copulam malitiose impedimentum obiecerit, canonicam non effugiet ultionem ».

150. Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. I de ref. mat.* legem Lateranensem melius determinavit... « Sacri Lat. Conc. sub Inn. III celebrati vestigiis inhaerendo praecipit ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter missarum solemnia publice denuntietur inter quos matrimonium sit contrahendum. Quibus denuntiatio-

Digitized by Google

nibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie ecclesiae procedatur. Ubi parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto vel dicat: *Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,* vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque provinciae ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem parocho et duobus vel tribus testibus praesentibus, matrimonium celebretur; deinde ante illius consummationem denuntiationes in ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta facilius detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut praedictae denuntiationes remittantur, quod illius prudentiae et judicio S. Synodus relinquit ». Tandem quae in fine decreti Concilium statuit de ejusdem promulgatione, afficiunt integrum decretum tum quoad publicationes, tum quoad substantialem matrimonii formam (1); de qua promulgatione nos fuse loquimur in cap. VI, art. II, § 1ª, I.

151. Patent differentiae inter legem Lateranensem et Tridentinam. In locis in quibus decretum *Tametsi* Conc. Trid. nullatenus est publicatum, banna facienda sunt juxta legem Lateranensem, nisi Tridentinae additiones vel consuetudine vel lege Episcopi praescriptae sint; quae insuper etiam extra hunc casum merito servantur, licet obligatoriae non sint. In locis vero ubi cit. decretum publicatum fuit saltem quoad partem quae est de bannis, haec fieri debent juxta legem Tridentinam. Diximus *saltem quoad partem..;* nam « sunt loca in quibus decreti Tridentini publicatio facta fuit pro parte praescribente denuntiationes, non vero pro parte statuente impedimentum dirimens clandestinitatis ». Feje *n.* 240.

152. Omnes communissime admittunt hanc legem obligare sub gravi parochum, etsi aliunde sciat nupturientes nullo detineri impedimento: nam in genere lex obligat etiam

(1) Feje *n.* 194.

Digitized by Google

in casu particulari, quo ratio illius cessat, praesertim cum grave esset periculum, si res judicio parochorum relinqueretur. Omittere sine venia Ordinarii *praeter casum necessitatis* tres publicationes certum, duas probabilius, unam probabile est esse culpam gravem (1). Nonnulli docent posse parochum praetermissis publicationibus matrimonio assistere, si Ordinarius dare deberet dispensationem (n. 186), sed non vult, et recursus ad Sedem Apostolicam est impossibilis (2). Id admitti nequit, quia ordinem hierarchicum in Ecclesia pervertit, judicium enim parochi praefertur judicio Ordinarii in foro externo. Nec dicas tunc a parocho fieri meram declarationem: nam hujus declarationis idem erit effectus *invalidare sententiam Ordinarii in foro externo editam, qua denegabatur dispensatio* (3). Proinde parochus excusari non posset, et poenas incurreret veluti si mala fide publicationes praetermisisset, imo gravius puniendus foret.

153. Quae lex servanda est in genere in omnibus matrimoniis etiam servorum seu mancipiorum. Quidam Episcopus in Statibus Unitis Americae postulavit. « An banna, seu proclamationes antenuptiales etiam servanda sint in matrimoniis servorum seu mancipiorum ». S. C. de Prop. Fide 1 *Apr.* 1816 reposuit. « Affirmative, nisi accesserit dispensatio Episcopi ». Nec suppleri possunt per publicationes factas a magistratu civili pro civili, ut ajunt, matrimonio (n. 132). Nam Vicarius Apost. Jamaicae sequens dubium proposuit S. C. S. Officii « Secondo la clausula 17 (de la nuova legge proposta) si richiede che il ministro religioso, deputato officiale in ordine ai matrimoni, faccia le publicazioni in tre volte, ossia domeniche successive durante gli officii del mattino e della sera. Ora fuori di Kington vi è appena nell' isola una cappella in cui si celebrano gli officii domenicali più di una volta al mese. Possono i fedeli fuori di Kington procurarsi un attestato delle publicazioni dell'officiale civile ?

(1) S. Alph. *VI, n.* 990.
(2) S. Alph. *VI, n.* 1007. Sanchez *III, X, n.* 30.
(3) Reiff. *IV, III, n.* 46. Ballerini ad Gury *II, n.* 740. Schmalz. *IV, III, n.* 44. Bangen *II*, § 15.

Digitized by Google

e puo il Sacerdote valersi di tale attestato in luogo delle publicazioni fatte in chiesa ? (1) » S. C. 12 *Maii* 1881 reposuit « Nihil obstare, quominus fideles postulent testimonium ab officiali civili, sed hujusmodi testimonium per se non sufficere, ut ad matrimonii celebrationem fideles admittantur a missionario, qui quoad publicationes se gerat juxta leges Ecclesiae ».

154. Diximus tamen *in genere*, quia lex publicationum non urget in sequentibus casibus : 1° Si matrimonium differri nequit sine magno incommodo, nec est tempus petendi dispensationem (2). Haec urgens necessitas vix verificabitur extra articulum mortis, si nempe moriturus ad salutem animae suae, aut ad prolem legitimandam vult ducere concubinam (3). 2° In matrimoniis mixtis inter partem catholicam et partem non catholicam, obtenta quoque dispensatione ab impedimento impediente mixtae religionis (n. 457). 3° In matrimoniis inter partem fidelem et partem infidelem, posita etiam dispensatione ab impedimento dirimenti disparitatis cultus (n. 621). In hoc et praecedenti casu publicationes fieri prohibentur. 4° In matrimoniis principum ex universali usu, teste Scavini *III*, *n.* 897.

155. Si probabilis est suspicio matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint publicationes, remedium suggerit ipsum Conc. Trid. *l. c.* Nempe *a*) ut una tantum publicatio fiat ; vel etiam *b*) ut interim matrimonium celebretur, et deinde ante ejus consummationem tres publicationes fiant (4) ; vel tandem *c*) ut dispensatio ab Ordinario concedatur.

(1) *Latine :* Juxta clausulam decimam septimam (recenter propositae legis) requiritur ut minister religiosus deputatus ex officio quoad matrimonia ter publicationes peragat, scilicet in tribus successivis dominicis diebus inter matutina et vespertina officia. Jam vero extra Kington vix in insula unicum est sacellum in quo saepius quam semel in mense dominicalia officia peragantur. Possuntne fideles extra Kington degentes sibi exquirere documentum fidem faciens publicationum a civili officiali peractarum ? eoque documento potestne sacerdos uti loco publicationum in ecclesia peragendarum ?

(2) D'Annibale *III*, § 323. S. Alph. *VI*, *n.* 991.

(3) Bangen *II*, § 15, *pag.* 57.

(4) Sanchez *III*, *XI*, *n.* 3 putat consummationem in casu esse grave

Digitized by Google

156. Contra ipsam matrimonialium publicationum legem inolescere nequit consuetudo, quae foret contra bonos mores (1). Diximus contra *ipsam publicationum matrimonialium legem ;* nam esset certe rationabilis consuetudo, quae aggravaret legis sanctionem, e. g. inducens parochi suspensionem latae sententiae. Posset quoque esse rationabilis consuetudo contra hanc vel illam modalitatem legis.

157. In hisce publicationibus exprimi debet vulgari sermone nomen, praenomen, patria, parochia, dioecesis, pater contrahentium. Si de viduis agatur, exprimi debet nomen, praenomen, dies, annus obitus conjugis. Si praecedens initum matrimonium declaratum fuit nullum, aut si ratum et non consummatum solutum est professione solemni religiosa alterius conjugis, aut dispensatione R. P., id quoque indicari debet. Item si alicujus impedimenti publice noti dispensatio obtenta fuit. Praetermitti vero debent omnes circumstantiae quae contrahentibus infamiae esse possunt, e. g. si una pars est illegitima, parentes non nominentur ; si omnes putant mulierem fuisse uxorem praemortui viri, et erat concubina, ne verbum quidem in publicationibus. Tandem monentur fideles de gravi obligatione manifestandi ipsi parocho vel Ordinario impedimenta, si quae norint ; et de vice in vicem dicatur utrum publicatio sit prima, vel altera, vel ultima ; et utrum dispensatio obtenta sit ab aliqua publicatione, ne scilicet fideles aliam expectantes impedimentum interim non revelent.

158. Formula publicationis non est determinata. Omnibus praeferenda est illa, quae prostat in Rituali Romano *De Sacram. Matr.* In nonnullis Galliae dioecesibus alia servatur, et in fine monentur fideles de gravi obligatione revelandi impedimenta *sous peine de censures.* Si in dioecesi has censuras latae vel ferendae sententiae Episcopus revera tulerit, bene quidem : secus illa clausula, utpote falsa, supprimenda omnino erit. Pariter si vera matrimonii promissio non praecessit, probanda non est illa clausula *il* y *a pro-*

peccatum ; alii melius censent esse leve, si nulla impedimenti probabilis suspicio sponsis est.

(1) Ben. XIV. Epist. *Nimiam licentiam* 18 *Maii* 1743, § 15.

Digitized by Google

messe de mariage..... quae in aliis formulis publicationum legitur (n. 117). Instructio Austriaca § 60 docet exprimendam esse quoque aetatem : quod in plurimis locis merito receptum non est, cum grave sit nominatim mulieri adultae, sed probamus praxim, qua tantum dicitur sponsos esse minores vel majores. Tandem laudanda non est formula, in qua deest illud monitorium ad fideles de impedimentis, si quae norint, revelandis.

159. Receptum esse solet, ut parochus pro hisce publicationibus faciendis a nupturientibus habeat moderatum aemolumentum. Haec praxis legitima est ex *cap.* 42. *De simonia.* Ut vero abusus evitentur hac in re, statuta dioecesana determinare solent, eisdemque silentibus consuetudo, quid parocho pro publicationibus matrimonialibus obveniat. Proinde in genere parochus juxta praesentem Ecclesiae disciplinam id licite exigit, quod statuta dioecesana, aut usus solvendum esse jubent.

II

Verba legis explicantur.

160. Modo exponimus ea verba Conc. Trid. *l. c. ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter Missarum solemnia....* cum sanctione hujus legis a Conc. Lat. statuta. In horum verborum expositione est aliqua differentia apud interpretes. Alii insistunt litterae legis, alii minus ei adhaerent, dummodo finis legis aeque obtineatur. Illorum sententia in genere sequenda est, quia verba legis, quando clara sunt, variare non licet. Hinc dispositio Tridentina ad litteram servanda, nisi aequivalens recipiatur a SS. CC. RR., a probatis AA., ab usu seu lege dioecesis, a sanae hermeneuticae regulis (1).

161. In primis Conc. Trid. *l. c.* statuit publicationes *ter* faciendas esse, dum Conc. Lat. *l. c.* praecipit tantum ut matrimonia in ecclesiis per presbyteros publice proponantur. Proinde juxta Tridentinum tres publicationes fieri debent : ubi vero decretum Tridentinum non est promulgatum

(1) Feje *n.* 240. Bangen *II, pag.* 40.

Digitized by Google

saltem quoad partem quae banna respicit, una publicatio sufficit, licet prudenter profecto parochus ageret pluries matrimonium publicans.

162. *A proprio contrahentium parocho.* Parochum proprium facere eas posse vel per se vel per alium palam est, non vero per laicum (1), licet Schmalz *IV*, *III*, *n.* 12 hoc etiam admittat. Porro parochus proprius pro non vago est parochus domicilii vel quasi domicilii (n. 916) ; pro vago est aut parochus loci in quo vagus commoratur, aut parochus loci in quo matrimonium contrahitur (n. 917). Hinc, attento jure, publicationes fieri debent pro non vago in parochia seu parochiis domicilii vel quasi-domicilii, pro vago in parochia in qua commoratur, vel in qua matrimonium celebratur. At Ordinarius (non parochus) loci in quo conjugium initur, exigere potest vel in singulis casibus, vel generaliter in statutis dioecesanis ut publicationes fiant etiam in aliis locis praeter jus. In dubio utrum publicationes in loco fieri debeant necne, parochus consulat Ordinarium.

163. Ut haec melius intelligantur, ad examen revocemus diversos casus practicos : 1° Si utraque pars ad eamdem parochiam pertinet, et in ea tantum domicilium vel quasi-domicilium habet, in ea tantum publicationes fieri debent. 2° Si sponsa pertinet ad parochiam A et in ea tantum habet domicilium vel quasi-domicilium, sponsus ad parochiam B et in ea tantum habet domicilium vel quasi-domicilium, publicationes fieri debent in utraque parochia ; ita expresse etiam Rituale Romanum. 3° Si alteruter vel uterque sponsorum habet plura domicilia vel unum aut plura domicilia et quasi-domicilium, de rigore juris in omnibus istis parochiis publicationes fieri deberent, cum quilibet parochus sit proprius. 4° Si pars domicilium vel quasi-domicilium dereliquit, non est necesse ex jure ut publicationes in ea parochia fiant, quia parochus non est amplius proprius (2). Servetur igitur in hoc casu statutum, aut usus dioecesis, aut

(1) Feje *n.* 250.

(2) Santi *IV, I, n.* 7, citans S. C. C. in *Vercellensi* 9 *Maii* 1719, et in *Senogalliensi* 3 *Apr.* 1734.

Digitized by Google

Ordinarii praescriptum (1). 5° Si pars in parochiam ubi vult contrahere, a brevi tempore domicilium vel quasi-domicilium transtulit, stricto jure fieri ibidem debent publicationes, quia parochus est proprius. Nonnulli excusant, quia publicationes erunt inutiles, cum nemo eam partem cognoscat. In genere id falsum est, quia ex una parte sponsus, e. g. etsi brevi tempore in parochia commoratus potuit impedimentum contrahere, puta sponsalia faciens cum alia puella, aut rem habens cum sorore sponsae, et ex alia parte aliquis parochianus hoc aliudve impedimentum cognoscere potuit. Sed si in casu particulari publicationes, attentis circumstantiis, revera inutiles appareant, parochus consulat Ordinarium, qui, si id expedire in sua prudentia judicaverit, ab illis dispensabit, et publicationes in antiquo domicilio vel quasi-domicilio peragi jubebit, uti censuit S. C. C. in *Senogalliensi* 29 *Jan.* 1684. 6° In parochia tantum *originis* de rigore juris necesse non est matrimonium publicare, quia parochus non est proprius (2); sed hae publicationes merito exigentur, si sponsus e. g. a parochia discessit in aetate adulta. Parochus servet statutum, vel usum dioecesis, vel consulat Ordinarium. 7° Ob eamdem rationem nec in parochia *simplicis habitationis*, etsi longissimae, obligatoriae ex jure sunt publicationes. At si *per notabile tempus* sponsus ibi commoratus est, exigi solent ex statutis dioecesanis vel usu, et his deficientibus, Ordinarius eas praecipit. Illud vero notabile tempus ex statutis ipsis dioecesanis, vel usu determinetur : plerumque est semestre. 8° Tandem matrimonium vagi publicari debet in parochia ubi nuptiarum tempore vagus moratur, nam iste parochus est certe proprius ; praeterea requiri solent etiam publicationes in loco

(1) S. C. Inquis, in instructione ad orientales locorum Ordinarios *de status libertate ante nuptias probanda* 29 *Aug.* 1890, haec habet. « Publicationes faciendae sunt in loco domicilii vel quasi-domicilii. Expedit etiam ut fiant in loco originis, si contrahentes ibidem morati fuerint post adeptam aetatem ad matrimonium contrahendum idoneam : atque insuper in locis ubi saltem per decem menses commorati fuerint, nisi jam a pluribus annis domicilium fixerint in loco ubi matrimonium contrahendum est ».

(2) Giraldi *part. II, sect.* 114. Vide S. C. Inqu. mox citatam.

Digitized by Google

originis. Quod si agatur de vago in eodem loco (n. 146), publicationes fient in parochia ubi diutius habitavit (1).

164. *Tribus* (*diebus*) : qua de re haec habet Giraldi *II*, *sect.* 114 « Duas... faciendi eodem die et tempore non potest Episcopus sive ejus Vicarius Generalis facultatem dare, deficiente causa legitima ad eas remittendas, etiamsi sit in usu ex quacumque causa etiam levi talem facultatem concedere, nisi timeatur malitiose impediri posse matrimonium, vel alia similis causa subsit Ordinario, in *Vicen.* 20 *Apr.* 1606. *Posit. LXXVIII*, *pag.* 323 *ad hoc cap. I* ».

165. *Continuis :* idest dies festivi quibus fiunt publicationes non debent esse interrupti per diem festivum, quo matrimonium non publicetur, ne matrimonii celebratio diu protrahatur. Interpolato uno vel altero die festivo, parochus peccatum leve committeret (2), sed si multos dies festos interponeret, plures a peccato gravi eum non excusant (3). Quid vero si tres dies festivi sint immediati, e. g. dies dominica, feria secunda et feria tertia ? Praxis est, ut tres publicationes his diebus non fiant, quia cum tempus nimis breve foret impedimentis revelandis, Conc. Trid. censetur noluisse suo praecepto hunc casum comprehendere. At si parochus tres publicationes his diebus perficeret, praesertim ex aliqua causa, et absente omni impedimenti suspicione, non foret inquietandus (4). Nonnulla Ritualia cavent, ne publicationes fiant tempore clauso, nec in praecipuis anni solemnitatibus e. g. Paschatis, Pentecostes et Nativitatis Domini.

166. *Festivis* : idest de praecepto sive generali sive particulari alicujus loci ; sive ex lege scripta, sive ex consuetudine. Diebus festivis suppressis parochus facere nequit publicationes sine licentia Ordinarii, quam tamen Ordinarius facile concedet, si eo die sacrae functiones habeantur cum populi concursu. Eam dare potest vel in singulis casibus particularibus, vel semel pro semper in statutis dioecesanis ; e. g. in cit. Synodo dioecesana Albanensi *part. II*, *art. IX*,

(1) Sanchez *III*, *XXV*, *n.* 2.
(2) S. Alph. *VI*, 992. Scavini *III*, *n.* 895.
(3) Ferraris *v. matrimonium*, *n.* 14. Bangen *II*, § 14, *pag.* 43.
(4) Salm. *VIII*, *n.* 75, cum aliis.

Digitized by Google

n. 9, *De matrimonio* legitur. « Permittitur ut fiant diebus festis suppressis : curandum tamen ut expleantur tempore divini officii, quo frequentior fidelium numerus in ecclesia adesse solet » et citat S. C. C. die 7 *Aprilis* 1862. Hac in re habentur plures responsiones S. C. C., quae inter se aliquantisper differre videntur.

167. Nam cum Clemens XIV plura festa in Austria suppressisset, Episcopus Brunensis in Moravia putavit his diebus fieri posse publicationes, cum eadem esset populi frequentia. Consulta ab eodem « an, ubi, quando, et quibus diebus sint publicandae denuntiationes matrimoniorum in casu de quo agitur ». S. C. C. reposuit 17 *Junii* 1780 « Scribatur Episcopo juxta mentem ». Ac deinde die 5 *Julii* 1780 missa ad eumdem fuit sequens epistola « Curandum abs te maxime atque enixe providendum, ut sarta tecta saluberrima S. Concilii sanctio de nuntiandis populo matrimoniis in tribus diebus festivis omnino servetur. Quod enim a tanti Concilii patribus praescriptis atque conceptis verbis statutum est, id plane est religioseque retinendum. Sed quoniam eo loci relinquunt patres Episcoporum judicio ac prudentiae, ut si quandoque expedire judicaverint, una aut plures hujusmodi matrimoniorum publicae denuntiationes remittantur hinc rebus omnibus, quae ab A. T. expositae sunt, in S. C. C. mature perpensis, annuente etiam SS. D. N. Pio PP. VI decretum est, tuo pariter judicio ac prudentiae permitti posse ut, si quandoque gravis aliqua causa intercesserit matrimonium quodpiam citius iniri debere, priusquam expectari possint tres dies festivi ut populo denuntietur, indulgeas in singulis casibus parochis tuae dioecesis, ut peragant denuntiationes in iis etiam diebus, in quibus juxta supra relatum decretum Clem. XIV indultum sublata festivitas est remissumque praeceptum audiendi Missam, retenta tamen in ecclesiis officii ac Missae celebratione. Utere igitur hac tibi concessa facultate, arctis tamen prudentiae discretique arbitrii legibus; atque ea praesertim sub conditione, quae ejusdem facultatis tibi elargiendae potissima causa est, quod nempe in illis diebus qui festi non sunt, frequens adhuc perseveret populi ad ecclesiam concursus, ut quantum fieri

Digitized by Google

potest, saluberrimae legis a Conc. Trid. praescriptae finis ac scopus habeatur, qui non alius certe fuit, nisi ut in populi frequentia ineunda matrimonia denuntiarentur, quo facilius, si quae forent, impedimenta detegerentur ». Accedit responsio data *an.* 1823 ad Episcopum Tudertinum. Nam proposito dubio « An in diebus festis abrogatis fieri possint matrimoniorum denuntiationes in casu » S. C. reposuit « Negative nisi de licentia Episcopi, cum conditionibus ad formam Brunensis *diei* 5 *Jul.* 1780, facto verbo cum SSmo » E contrario eadem S. C. alias declaravit publicationes in his diebus fieri posse, quin de hac Ordinarii venia mentionem faceret. Nam Episcopus Pinaroliensis sequens dubium proposuit « Cum nonnulli inter parochos suae dioecesis admittant, nonnulli vero renuant, denuntiationes facere tam pro matrimoniis ac promotionibus ad sacros ordines quam pro caeteris hujusmodi ab Ecclesia praescriptis in festis quae nomine suppressorum juxta ultimum SS. PP. N. Pii IX decretum ad Subalpinos designantur : quid innuendum ? » S. C. *die* 7 *Apr.* 1862 reposuit « Praepositas denuntiationes fieri posse enuntiatis diebus festis suppressis ; curandum tamen, ut haec expleantur tempore divini officii, quo frequentior fidelium numerus in ecclesia adesse solet ». Putamus hoc responsum intelligendum esse juxta responsa praecedentia, nempe publicationes his diebus fieri posse, sed de venia Ordinarii.

168. Multo minus matrimonium publicari poterit diebus ferialibus, etsi magna sit populi frequentia. At si in casu particulari adessent legitimae causae pro dispensatione, aut paulo minores, Ordinarius potest permittere ut publicationes fiant die feriali cum magno populi concursu : nam id minus est quam publicationes dispensare (1). Fertur S. C. C. declaravisse Ordinarium non posse jubere publicationes die feriali (2).

169. *In ecclesia* nempe parochiali. Hinc banna fieri non

(1) Giraldi *part. II, sect.* 114 qui citat pro hac doctrina duas responsiones S. C. C.

(2) Clericati *De sacram. mat. XXXIV, n.* 9. Pignatelli *Cons. Can.* 133, *n.* 91 (*tom.* 9).

Digitized by Google

debent in sacellis etiam publicis, nisi locum ecclesiae parochialis ad tempus teneant, et inibi Missa parochialis celebretur. At si parochus matrimonium publicaret in alia parochiae ecclesia, adstante fidelium frequentia, non videtur inquietandus, quia ex una parte finis legis salvus est, et ex alia littera legis non obstat, cum Conc. Trid. *l. c.* expresse non dicat matrimonium esse publicandum in ecclesia parochiali (1). Imo si in ecclesia parochiali nullus esset eo die fidelium concursus, et in alia ecclesia magnus, potius in hac quam in illa publicationes fieri expedit ex *reg.* 88 *juris in* 6° « certum est quod is committit in legem, qui legis verbum complectens contra legis nititur voluntatem ». Imo plures DD. apud S. Alph. *l. c.* docent posse publicationes fieri etiam extra ecclesiam tempore magni concursus (sacri) e. g. ob processionem, concionem..., quia finis legis obtinetur. « Idque probabile videtur, saltem sine mortali, et si adsit aliqua causa, sine ulla culpa » S. Alph. *l. c.* Sed parochus si tempus est, consulat Ordinarium, qui si potest banna dispensare, a fortiori poterit id permittere.

170. *Inter Missarum solemnia*; nempe publicationes fieri debent intra Missam sive parochialem sive conventualem arbitrio parochi, etiam contradicente capitulo, ut declaravit S. C. C. (2). Die 25 *Oct.* 1580 eadem S. C. respondit ex venia Ordinarii fieri posse publicationes etiam tempore vespertini officii cum cantu celebrati, dummodo frequens populi concursus verificetur (3). Nonnulli AA. putant fieri posse in ecclesia extra Missam tempore concionis aut processionis in magno populi concursu etiam sine venia Ordinarii, quam sententiam S. Alph. *l. c.* probabilem habet. Sed parochus si tempus est, consulat Ordinarium qui id indulgere potest, et si tempus non est, illa faciat tempore officii vespertini cum cantu peracti, aut concionis..... Huc usque de expositione verborum legis publicationum.

171. Contra *sacerdotem*, qui neglectis publicationibus, matrimonio assistit Conc. Lat. *l. c.* § *sane* ita statuit « Sane

(1) Scavini *III*, *n.* 895. S. Alph. *VI*, *n.* 991.
(2) Zachar. apud Croix *VI*, *III*, *n.* 474.
(3) Santi *IV*, *LI*, *n.* 10. Scavini *l. c.* Giraldi *II*, *sect.* 114.

Digitized by Google

si parochialis sacerdos tales conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis, qui eis praesumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si culpae qualitas postulaverit ». Haec suspensio est ferendae sententiae, ut patet. At merito animadvertit Ben. XIV *De Syn. XII, VI, n.* 2 cum aliis ab hac suspensione cujus tempus est a jure determinatum, non posse suspensum sacerdotem infratriennium ab Episcopo absolvi. Hanc poenam Conc. Trid. nullo modo sustulit. Episcopus autem posset eam aggravare, et reddere latae sententiae.

172. Contra *testes* neque Lat. neque Trid. Conc. aliquam habent poenam seu latae seu ferendae sententiae. « At nihilominus pleraeque dioecesanae synodi etiam in illos duxerunt animadvertendum poena excommunicationis latae sententiae. Quamvis porro Soto in 4 *dist.* 28, *q.* 1, *a.* 2 § *Quo igitur* absonum visum sit a particulari synodo illam in praedictos testes irrogari poenam, a qua infligenda concilia generalia abstinuerunt, ac proinde praefatas constitutiones irritas existimaverit, rectius tamen earumdem validitatem propugnat atque a Soti argumentis vindicat Sanchez *III, XL, n.* 8. Etenim cum testes praefati assistentiam praestent matrimonio ab Ecclesia interdicto, graviter profecto in Ecclesiae leges delinquunt. Quapropter synodales constitutiones eorum culpam debita coercentes poenâ, nihil agunt contra canones, sed canones ipsos tuentur ac fovent, sicut animadvertit etiam Fagn. in *cap. sicut olim n.* 78 *De accus.....* » Ben. XIV *l. c.*

173. Contra *contrahentes ipsos* variae sunt poenae. Nam si contraxerint in gradu prohibito idest cum impedimento dirimenti *a*) privantur spe obtinendae dispensationis ex Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. V de ref. mat.*, licet Ecclesia quandoque, non obstante hac Tridentina prohibitione, dispensationem concedat : de qua re alias. *b*) Eorum filii sunt illegitimi, quia parentes praesumuntur esse in mala fide ex Conc. Lat. *l. c.*, § *Si quis* (1). Quid vero si uterque parens vel alteruter de facto fuit in bona fide? filii eruntne illegi-

(1) Schmalz. *IV, XVII, n.* 23. De Justis *III, XVI, n.* 11. Sanchez *VIII, XXV, n.* 32 cum communi.

Digitized by Google

timi? Negant nonnulli (1), quia dispositio poenalis Lateranensis loquitur de illis qui *affectatores ignorantiae* matrimonium inire *praesumpserunt*, idest qui revera sunt in mala fide. Affirmant alii (2), quia dispositio Lateranensis plectit ipsam culpabilem publicationum omissionem. Sed, stante hac controversia, in favorem prolis ex principio reflexo pronuntiare debemus : proinde proles in casu habenda erit legitima in foro interno, et etiam in externo, si bona fides probari possit. Si autem matrimonium validum fuit, contrahentes ab auctoritate ecclesiastica possunt et debent, nisi prudentia aliud suadeat, poenitentia condigna puniri ex Conc. Lat. *l. c.* S. C. C. 17 *Febr.* 1629 declaravit posse etiam poenas pecuniarias imponi applicandas locis piis, et 19 *Jan.* 1690 reposuit posse infligi quoque excommunicationem.

III

De fidelium obligatione revelandi impedimenta.

174. Certum est omnes fideles, etiam alterius dioecesis, amicos, consanguineos... debere in genere sub gravi revelare impedimenta, si quae norint. Haec obligatio urget sive impedimentum quod noscis, sit impediens sive dirimens, sive publicum sive occultum, etiam famosum, idest ortum ex copula illicita vel ex crimine (3), etiamsi illud acceperis sub secreto naturali etiam cum juramento nemini revelandi : nam secreti lex etiam cum juramento nequit obligare in damnum proximi et irreverentiam sacramenti (4). Excipe secretum *consilii*, ut ajunt (n. 177).

175. Haec obligatio duplici fundamento innititur : 1° *Praecepto charitatis*, quo debemus grave proximi malum, quantum possumus, impedire : atqui ex matrimonio illicito, ac magis ex nullo, grave malum spirituale ac temporale proximo

(1) Suarez *De censuris L, I, n.* 10. D'Annibale *I*, § 56, *not.* 63. S. Alph. *VII, n.* 425.

(2) Schmalz. *l. c. n.* 24. Pontius *XI, VIII, n.* 3. Barbosa in *cap.* 2. *Qui filii sint legitimi, n.* 22. Santi *IV, III, n.* 22. De Angelis *IV, III, n.* 3 in fine.

(3) S. Alph. *VI, n.* 994.

(4) S. Thomas 2. 2. *q.* 33, *a.* 8, *ad* 2*um*. Sanchez *l. c. n.* 6. Salm. *VIII, n.* 95. Santi *IV, III, n.* 15, aliique communiter.

Digitized by Google

advenit (1): ergo ex charitate debemus hoc matrimonium impedire revelantes obstacula. Hoc praeceptum charitatis adhuc urget, etsi publicationes fuerint dispensatae, ut patet, et utpote a jure naturae procedens, omnes afficit, quoque infideles. 2° *Legi positivae Ecclesiae* : nam Ecclesia publicans matrimonium intendit fideles omnes obligare ad impedimenta revelanda, quae obligatio expresse ipsis intimatur in formula publicationum (n. 158).

176. Contra hanc obligationem difficultatem facessere videntur verba relata Conc. Lat. « Ut... qui voluerit et valuerit legitimum impedimentum opponat, quae libertati fidelium remittere videntur impedimenta revelare vel non. Hanc difficultatem solvit Glossa *l. c.* v. *voluerit*, ubi haec habet « Quasi publicum crimen videtur, quia quilibet admittitur, imo quilibet tenetur saltem denuntiare ». Nemo scilicet cujusque generis, conditionis, aetatis repellitur, qui voluerit denuntiare. Illud vero *valuerit* significat fideles ad hanc revelationem non teneri cum gravi suo incommodo, aut si revelatio foret inutilis juxta dicenda n. 178. Sane idem Inn. III *in cap.* 7. *De cognat. spirit.* interrogatus a quodam canonico Herefordensi, an conscii matrimonii contracti cum impedimento orto ex cognatione spirituali teneantur illud in publico accusare, respondit « qui contractum sciverunt, debent illud Ecclesiae nuntiare » (2).

177. Haec obligatio cessat in pluribus casibus, qui revocari possunt ad sequentes :

1° Quando revelatio secumfert damnum grave, aut periculum damni gravis tum privati ipsius revelantis (3), tum propinquorum, tum societatis : quia neque lex charitatis, neque lex Ecclesiae obligant cum tanto incommodo. Hinc non tenetur revelare impedimentum ille, qui prudenter credit ex revelatione tormenta corporalia aut grave dedecus sibi aut suis imminere, vel ex eadem oriri grave scandalum in populo (4). Ob hanc rationem excusantur illi, qui ex offi-

(1) Sanchez *III, XIV, n.* 1 *sequ.*
(2) Santi *IV, III, n.* 16 *sequ.* De Angelis *IV, III, n.* 3.
(3) S. Alph. *VI, n.* 995. Gury *II, n.* 742.
(4) S. Alph. *l. c.*

Digitized by Google

cio publico, quod gerunt, tenentur ad secretum (*secret professionnel*) et in exercitio hujus officii impedimentum noverunt. Tales sunt medicus, advocatus, obstetrix, parochus et confessarius, de quo ultimo nullum potest esse dubium. Nam si impedimentum revelarent, brevi tempore ea, qua opus habent, publica fiducia carerent, quod in damnum privatum ipsorum et publicum societatis vergeret. Quod si impedimentum noscunt aliunde, non vero ex exercitio muneris sui, tenentur sicuti caeteri omnes ; nisi forte revelatio suspicionem in populo ingereret violati secreti professionalis. Putamus ob eamdem rationem etiam alium sacerdotem, qui parochus non est e. g. vicarium, qui quatenus sacerdos confidentialiter a fidelibus adhibeatur ut vel auctoritatem vel consilium in aliquo negotio interponat, et ita impedimenti notitiam habeat, excusari ab obligatione revelandi (1). At vero ii omnes moneant illos, a quibus impedimentum noscunt, nefas esse matrimonium cum illo contrahi et impedimentum esse revelandum ; praesertim id monere debent confessarius, parochus, sacerdos. Imo parochus, qui impedimentum cognoscit sub hujusmodi secreto consilii, videtur posse et debere accuratiorem investigationem prudenter peragere, ut impedimenti notitiam aliunde acquirat, et ita matrimonium impediat ; vel, si tempus est, dispensationem petat, quia ita agens secretum non violat. Damnum temporale vel dedecus ipsis sponsis proveniens ex revelatione, non excusat ab obligatione revelandi ; quia nil est in comparatione damni spiritualis, quod revelatione evitatur. Plures AA. docent nec excusare damnum tertiae personae extraneae ex revelatione imminens. Tandem si quis extra confessionem, non consilii petendi causa, impedimentum sacerdoti amico revelat *sub sigillo confessionis*, esset merum secretum naturale (2), ideoque obligatio revelandi urgeret.

178. 2° Quando revelatio foret inutilis. Ex hoc capite DD. excusant illum, qui impedimentum noscit tantum ex auditu, sed non recordatur a quo audierit, vel qui illud accepit a per-

(1) Bangen *II*, § 16, *pag.* 65.
(2) Sanchez *III*, *XIV*, *n.* 6.

Digitized by Google

sona non digna fide (1) : quia haec satis non sunt ad matrimonium impediendum. At consultius est, ut etiam in hoc casu impedimentum revelet ; quia haec notitia impedimenti poterit aliis indiciis corroborari. Item non tenetur ille, qui cognoscit impedimentum occultum, et simul scit dispensationem pro foro consci_ntiae obtentam fuisse, quia matrimonium in utroque foro valet : secus si adesset publica fama de impedimento, et dispensatio esset occulta (2). Tandem nonnulli excusant quoque illum, qui fide dignus impedimentum solus novit, nec probare potest. Immerito prorsus : nam cum unus testis fide dignus satis sit ad matrimonium impediendum (n. 193, 258), sua revelatione ipse matrimonium impediet (3).

179. Quandonam fideles hanc obligationem implere debeant, non est determinatum ; sufficit ut impedimentum revelent ante matrimonii celebrationem, etiam post tertiam publicationem. At valde expedit, ut quam primum suae obligationi satisfaciant, quia si nupturientes forte obtinent dispensationem ab una vel altera publicatione et citius contrahant, tempus ad revelationem peragendam non supererit.

180. Poenas contra fideles impedimenta non revelantes non tulit neque Conc. Lat. neque Conc. Trid. At Episcopus pro sua dioecesi potest utique censuras latae vel ferendae sententiae in eos ferre, cum eorum peccatum per se grave sit. De facto in nonnullis statutis dioecesanis censurae statuuntur, e. g. in cit. synodo dioecesana Albanensi *art. IX De matrimonio n.* 9, legitur « Qui inter sponsos aliquod impedimentum intercedere noverint et non denuntiaverint, contrahunt excommunicationem latae sententiae Nobis reservatam ». Conc. Lat. *l. c.* § *sane* in fine statuit illos qui ad impediendum matrimonium falsum denuntiant impedimentum, *canonicam non effugere ultionem*, sed hanc non determinat.

(1) S. Alph. *VI, n.* 994. Sanchez *III, XIII, n.* 7.
(2) S. Alph. *l. c.* Sanchez *l. c.* Ballerini ad Gury *II, n.* 742.
(3) Sanchez *l. c. n.* 2. S. Alph. *l. c. n.* 995, qui hanc sententiam appellat *communissimam* et *veriorem.*

Digitized by Google

IV

De dispensatione in publicationibus matrimonialibus.

181. A lege Conc. Lat. nemo infra R. P. dispensare poterat sine speciali indulto, sicut ab aliis omnibus legibus universalibus: nam nemini datur *l. c.* dispensandi potestas. Sanchez *III*, *IX*, *n.* 1 affirmat hanc potestatem Episcopos obtinuisse ex consuetudine. S. Antoninus *III*, *I*, *n.* 14 docens Episcopos potuisse dispensare, intelligendus est vel de casibus extraordinariis, quando nempe periculum est in mora, nec ad R. P. facilis est accessus, vel de consuetudine legitime praescripta (1). Proinde in locis in quibus cit. decretum Tridentinum non est publicatum nec quoad partem respicientem publicationes, Ordinarius, nisi hanc potestatem ex consuetudiue obtinuerit, dispensare a publicationibus extra casus extraordinarios non potest. E converso Conc. Trid. *l. c.* expresse hac in re prudentiae et judicio Ordinarii defert « nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut praedictae denuntiationes remittantur, quod illius prudentiae et judicio S. Synodus relinquit ». Quamquam Conc. Trid. loquatur directe de casu, quo probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiose impediri posse, tamen Ordinarius pro sua prudentia et judicio in aliis quoque casibus dispensare potest, uti pluries S. C. C. declaravit (2). Proinde illis verbis Conc. Trid. hanc rem in genere, et non tantum in eo casu relinquit prudentiae et judicio Ordinarii.

182. Atqui Ordinarius est R. P. pro tota Ecclesia, Episcopus, Capitulum, Vicarius Capitularis, et Vicarius Generalis pro dioecesi, Abbas *Nullius* pro suo territorio. Ergo ii omnes habent dispensandi potestatem. Nonnulli dubitaverunt hanc potestatem competere Abbati *Nullius*, tertiae scilicet speciei, proprium territorium separatum habenti, et jurisdictionem quasi episcopalem exercenti. Giraldi *II*, *sect.* 315 haec habet « quamvis Cong. Conc. pluries negative responderit juxta relata a Fagn. in *cap.* 3 *Cum inhibitio. De claudest. despons. n.* 9 in *Farfen. an.* 1573 cum approbatione

(1) Schmalz. *IV*, *III*, *n.* 25, Giovine *III*, § 364.
(2) S. Alph. *VI*, *n.* 1005.

Digitized by Google

Greg. XIII ei innixa rationi *quia Abbas commendatarius Farfensis Ordinarius non est*, ac in *Virodunen.* 29 *Febr.* 1602, *lib.* X *Décret. pag.* 26 ; posterius tamen iterum exorto hoc eodem dubio in *Nullius Baren*, dicta Cong. 2 *Mart.* 1624 affirmative respondit per haec verba : *S. C. censuit referendum Ssimo D. N. quod Congregatio declaravit praelatos inferiores nullius dioecesis, proprium territorium ac jurisdictionem quasi episcopalem habentes posse legitimis ex causis denuntiationes matrimoniales remittere. Tom. XII Decret. pag.* 163 *a tergo.* Unde cum haec declaratio et approbatio sit posterior illa quam fecit Greg. XIII, huic citra omnem dubitationem standum est » (1). Pariter nonnulli negant Vicarium Generalem dispensare posse, nisi habeat mandatum speciale, innixi cuidam declarationi S. C. C. Immerito prorsus : nam Vicarius Generalis est Ordinarius, in super ejus potestas ex consuetudine confirmatur. Illa declaratio S. C. C. a plerisque merito habetur ut suspecta, quippe quae licet quaesita inveniri numquam potuit ; et dato quod existeret, Vicarius Generalis adhuc id posset vi consuetudinis (2). Parochus dispensare nequit, quia Ordinarius non est. Ordinarius autem potestatem dispensandi potest etiam aliis delegare, ut communiter tradunt DD. contra Menoch. *Cons. LXIX, n.* 1 *sequ.*

183. Si unus contrahentium pertinet ad aliam dioecesim, quaeritur an Ordinarius loci, in quo matrimonium contrahitur, possit dispensare quoque a publicationibus in illa faciendis. Nonnulli negant (3), alii affirmant (4), quorum sententia verior est. Nam *locus regit actum*, ut habet axio-

(1) Card. Petra in comm. ad *Const. IV.* Callisti III, *Sect. II, n.* 43, *sequ.* Giovine *III,* § 354, *n.* 4. Santi *IV, III, n.* 11. Scavini *III, n.* 904. De Angelis *IV, III, n.* 3.

(2) Ballerini ad Gury *II, n.* 740. Ben. XIV *Quaest. Can.* 182. Schmalz. *IV, III, n.* 28. Pirh. *IV, III, n.* 26. Sanchez *III, VII, n.* 10. Giovine *III, n.* 5, *sequ.* Santi *IV, III, n.* 11. Scavini *III, n.* 904. Reiff. *IV, III, n.* 34, *sequ.* De Angelis *IV, III, n.* 3.

(3) Giovine *III,* § 355, *n.* 5. Gury *II, n.* 740. Scavini *III, n.* 906. Santi *IV, III, n.* 12. De Angelis *IV, III, n.* 3.

(4) Sanchez *III, VII, n.* 9. De Justis *II, XIX, n.* 159. S. Alph. *VI, n.* 1007. D'Annibale *III,* § 323, *n.* 7. Reif. *IV, III, n.* 369. Bangen *II,* § 15. Pontius *V, XXXI, n.* 9.

Digitized by Google

ma juridicum : unde, ubi matrimonium celebratur, ibi videndum quaenam requirantur pro licita et valida celebratione, vel, quod idem est, an et quatenus remitti queant publicationes. Confirmatur ex S. C. C. in una *Visen.* 29 *April.* 1616, quae declaravit vel dispensationem concedi debere ab utroque Ordinario, *vel saltem Ordinarium testari debere de illius statu libero* (1). Et hanc esse consuetudinem testatur Roncaglia apud S. Alph. *l. c.* et Bangen *l. c.* pro Germania. Stante hac controversia, sententia affirmativa evadit certa ex principio reflexo; quia in dubio juris vere probabili certum est juridictionem adesse. Quamquam haec vera sint, tamen recte monet d'Annibale *l. c* non expedire ut Ordinarius ab illis publicationibus dispenset, nisi ex gravi causa, propter impedimenta quibus potest alienus irretiri, quaeque in ipsius parochia cognoscuntur.

184. Ben. XIV in Const. *Satisvobis* 17 *Nov.* 1741, quam habes in Alleg. VII merito animadvertit « haec facultas non a sola dispensantis voluntate pendet, sed a Tridentino coercetur arctis prudentiae discretique arbitrii legibus : quod idem est ac legitimam causam dispensationis requirere ». Quod rursus repetit in Const. *Nimiam licentiam* 18 *Maii* 1843. Secus Ordinarius a gravi vix excusari posset (2), si nempe ab omnibus penitus dispenset. Consuetudinem semper dispensandi sine legitima causa ab omnibus publicationibus aut etiam ab aliquibus, putamus esse corruptelam, quia favet peccato et « non ad normam agendi, sed ad male actorum exprobrationem confert » Ben. XIV *l. c.* § 15.

185. Si vero quaeras, quaenam causa sit legitima pro dispensatione, respondemus id praecise reservari prudentiae et judicio Ordinarii. Si Ordinarius certus moraliter est nullum adesse impedimentum, dispensare potest, etsi non teneatur, etiam ab omnibus publicationibus eo quod nupturientes hanc dispensationem petunt aut desiderant, absque alia causa. Ipsa scilicet certitudo moralis de absentia impedimenti una cum sponsorum petitione est causa sufficiens

(1) Apud Santi l. c. qui eam desumpsit ex Giraldi *II, sect.* 114.
(2) Ferraris v. *Denunt. Matr. n.* 10. Schmalz. *IV, III, n.* 25. Sanchez *III, VIII, n.* 2. Ben. XIV in cit. Const. *Nimiam licentiam.*

Digitized by Google

pro dispensatione (1). Si Ordinarius dubitat dubio positivo de existentia alicujus impedimenti, scilicet si habet probabilem suspicionem impedimenti, in genere numquam concedere potest dispensationem, praesertim ab omnibus publicationibus. Tandem si Ordinarius nec illam certitudinem habet, nec hoc positivum dubium, aliquando causa legitima adest ut Ordinarius possit, imo debeat dare dispensationem ; aliquando, ut possit, etsi non teneatur ; aliquando nulla adest causa legitima, et tunc dispensationem dare nequit.

186. Si concessa dispensatione, habetur notabile bonum spirituale vel temporale, negata dispensatione, notabile damnum spirituale vel temporale, causa est legitima ut Ordinarius possit, imo debeat dispensationem elargiri (2). At major causa requiritur pro dispensandis tribus quam duabus publicationibus, major pro duabus quam pro una « Caeterum Ordinariis non permittitur dispensare pro libito, sed ab una ex *justa*, a duabus ex *gravi*, ab omnibus ex *urgentissima* causa ». D'Annibale *III*, § 323, *not.* 7. Et Ben. XIV in cit. Const. *Nimiam licentiam* vetat ab omnibus dispensare nisi « urgente legitima, gravissima, ineluctabili causa, ut liquet ex Tridentino » DD. nonnullas hujusmodi causas afferunt, quae exemplo esse poterunt. Nempe dari potest et debet dispensatio ab una vel pluribus publicationibus : 1° Si adest probabilis timor ne matrimonium malitiose impediatur ex ipso Conc. Trid. *l. c.*, e. g. quia tutor aut noverca volunt matrimonio jungere Cajam cum Titio, et ideo probabiliter timetur ne matrimonium impediant inter Cajam et Maevium ; 2° Si praevideatur fore ut, dilato matrimonio, una pars resiliat, et simul matrimonium alteri parti valde expediat, praesertim si sponsalia aut defloratio intervenerit ; 3° In periculo mortis si moriturus vult concubinam ducere ad prolem legitimandam, aut etiam, nulla existente prole, ut securius hoc modo vitam aeternam obtineat ; 4° Si una pars statim in

(1) S. Alph. *VI*, 1006. Scavini *III*, *n.* 905. Ballerini ad Gury *II*, *n.* 739. Sanchez *III*, *IX*. Giovine *I*, § 356. Santi *IV*, *III*, *n.* 14.

(2) Sanchez *III*, *IX*. Schmalz. *IV*, *III*, n° 23 *sequ.* Giovine § 358. S. Alph. *VI*, n° 1005. Barbosa *De pot. Episc. All.* 32. Ioder *cap. I. art.* I, § 3.

Digitized by Google

longinqua proficisci debet, nec matrimonium differri potest quousque tres publicationes expleantûr, sine incommodo gravi animae, corporis, aut fortunae ; 5° Si sponsi et ipsum sacramentum ludibrio graviter exponerentur, factis publicationibus, ob disparitatem aetatis, conditionis, divitiarum..... 6° Si ex publicationibus obveniat sponsis gravis infamia et populo grave scandalum, e. g. quia sponsi putabantur veri conjuges.....

187. Si commodum ex concessa dispensatione, damnum ex negata non est notabile sed leve, aut si aliqua adest simplex convenientia concedendi dispensationem ; causa legitima est ut Ordinarius possit, etsi non teneatur eam dare. Ita 1° in matrimonio inter magnates, si lex publicationum urget (n. 154) ; 2° Si sponsi forte senes aut vidui risui et ludibrio, licet non tam graviter, exponerentur ; 3° Ut putamus, si dispensatio petatur a viro magni meriti, cui eam denegare grave foret Episcopo.

188. Ordinarius plerumque nil prorsus scit de impedimentis inter sponsos, et de causis dispensationis in publicationum lege. Sanchez *II, VIII, n.* 3 *sequ.* ostendit ex mente Conc. Trid. satis esse si Ordinarius extrajudicialiter cognoscat causas dispensationis. Receptum est ut parochus ipse petat ab Ordinario dispensationem, et in hac instantia indicet causas dispensationis et de impedimentis informet. Si parochus affirmet sibimet constare nullum esse impedimentum, Ordinarius potest tuto acquiescere, et jam moraliter certus est nullum impedimentum opponi, ideoque, si vult, potest dispensationem elargiri ex eo solum quod sponsi illam desiderent etiam sine alia causa, vel ad alias causas non attendendo. Si vero parochus dicat tantum *videri nullum esse impedimentum*, aut quid simile, Ordinarius illam moralem certitudinem non habet, nisi forte in locis ubi viget lex de examine testium : unde pro dispensatione concedenda debet attendere ad causas expositas. Caeterum « Episcopus dispensando in denuntiationibus semper tenetur diligenter aliunde inquirere de impedimentis, nisi communiter constaret non adesse » S. Alph. *VI, n.* 1006. Quod multo magis necessarium est in locis, in quibus non viget lex de examine

Digitized by Google

testium, ubi aliquando ante dispensationem exigitur a sponsis juramentum de libertate sui status (1).

189. In his dispensationibus concedendis Ordinarius nil omnino percipere potest, salva proportionata mercede pro cancellario seu scriptore, ut expresse statuitur in cit. Taxa Innocentiana (n. 137) et cohaeret mandato Conc. Trid., *sess. XXV, cap. XXVIII de ref.* : merces autem cancellarii, cum de ea taceat Taxa Innocentiana determinatur ab usu, vel dioecesano statuto. S. C. de Prop. Fide *die* 12 *Febr.* 1821 ad Episcopos Hiberniae scribit. « In denuntiationibus praemittendis celebrationi matrimoniorum servetur lex Trid. Conc. et Dublinum transmittantur decreta *an.* 1791 et 1794 Ordinariis pariter communicanda. Quoties vero iisdem Ordinariis expedire in Domino visum fuerit, ut denuntiationes vel omnes, vel earum aliqua remittantur, *nihil quacumque de causa accipiant*, veluti decretum fuit *an.* 1750, et renovatum per encyclicam *an.* 1768 ad omnes Hiberniae Ordinarios ». In pluribus dioecesibus id non servatur, et Episcopus in his dispensationibus concedendis aliquid exigit. Haec consuetudo, nisi indulto a Sede Apostolica obtento innitatur, est corruptela, quia contraria Taxae Innocentianae et omnes consuetudines contrariae ibi in principio reprobantur.

V

Quid peractis publicationibus fieri debeat.

190. Publicatione matrimonii explicit processus de statu libero. Parochus debet aliquid temporis post ultimam publicationem expectare, ut fideles queant ab ultima publicatione impedimentum revelare. In statutis nonnullorum dioecesium praescribitur diem esse expectandum, in aliis biduum, in aliis triduum... (2). Parochus sequatur statutum, vel usum suae dioecesis, sed ad minimum unum diem expectet.

191. Jam vero supponamus in primis nullum revelatum fuisse impedimentum. Si matrimonium in alia parochia ce-

(1) Vide hac de re S. Alph. *VI, n.* 1005 *sequ.* Scavini *III, n.* 905. Ballerini-Guy *II, n.* 739. Sanchez *III, IX.* Giovine *I,* § 356.
(2) Ioder *cap. I, art. I,* § 2ª, *n.* 7.

Digitized by Google

lebrari debet, parochus mittit testimonium de peractis publicationibus. In eo indicari debet nomen, praenomen, professio, domicilium sponsorum, nomen ac praenomen parentum, dies expletarum publicationum, ecclesia in qua factae sunt, dispensatio, si quae obtenta fuit ab aliqua publicatione, tandem absentia denuntiationis cujusque impedimenti. Formula hujus testimonii in omnibus parochiis habetur. Hoc testimonium debet esse: 1° Munitum sigillo parochiali; 2° Subcriptum et ratum habitum ab Ordinario, si matrimonium fieri debet extra dioecesim. In nonnullis tamen dioecesibus id non exigitur; e converso in aliis exigitur etiam quando matrimonium celebratur in alia parochia ejusdem dioecesis: servetur usus, aut statutum dioecesis; 3° Recognitum ab Ordinario loci, in quo matrimonium celebratur. Si vero matrimonium in sua parochia celebrari debet, vel in dioecesi non viget lex de examine testium, et tunc parochus, recepto testimonio publicationum alibi factarum, potest matrimonio assistere, inconsulto etiam Ordinario; vel viget lex de examine testium, et tunc parochus debet ad Ordinarium remittere folium, quod ipse Ordinarius dederat pro publicationibus faciendis, in eo adnotans in fine factas publicationes sine ullo revelato impedimento (1). Ordinarius autem, recepto etiam testimonio publicationum alibi factarum, ei permittet ut matrimonio praesit (2): qua licentia habita, parochus matrimonio assistet.

192. Modo supponamus aliquod impedimentum revelatum fuisse, sive ante expletas publicationes e. g. post alteram, sive post ultimam publicationem. In *primo casu* parochus debet ne suspendere publicationes, vel easdem perficere? Si impedimentum non est certum, sed tantum probabile, debet eas explere, quae forte aliquam lucem afferent, et simul accuratius investigare. Si impedimentum est certum et tale in quo R. P. non potest aut non solet dispensare, debet eas suspendere, ut patet. Si impedimentum est certum, et tale in quo R. P. potest et solet dispensare, sed matrimonium fit in alia parochia, debet eas perficere, et

(1) Alleg. *III, VII.*
(2) Alleg. *III, VIII.*

Digitized by Google

deinde testimonium mittere. Tandem si impedimentum est certum, et tale in quo R. P. potest et solet dispensare, et matrimonium fit in sua parochia, parochus de regula generali debet eas suspendere, rem deferre ad Ordinarium, ejusque instructiones expectare, qui permittere solet, ut publicationes expleantur, dum de impedimento removendo per dispensationem agitur. In *altero casu*, si matrimonium celebratur in alia parochia, parochus mittit testimonium peractarum publicationum (n. praec) ; si in sua parochia, parochus monet sponsos de impedimento, et deinde rem Ordinario pariter defert. At sive testimonium det peractarum publicationum, sive rem ad suum Ordinarium deferat, parochus indicare debet impedimentum revelatum sive impediens, sive dirimens, sive certum, sive dubium tantum, cum Ordinarius, et non parochus sit judex in foro externo ex Conc. Lat. *l. c.* « Cum autem apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expresse (a parocho) donec quod fieri debeat super eo, manifestis constiterit (Ordinario) documentis ». Item indicare debet impedimentum, etsi sciverit dispensationem obtentam fuisse pro foro conscientiae tantum, quia per revelationem ab aliis factam res coepit esse fori externi, pro quo illa dispensatio non suffragatur (1). Praeter impedimentum indicare debet etiam personam revelantem, si nil obstat, saltem an sit persona fide digna, cum aliis indiciis et documentis, si forte habeantur, ejusdem impedimenti. In locis ubi non viget jus commune de examine testium, si impedimentum est certum, et in eo R. P. non potest aut non solet dispensare, parochus, inconsulto Ordinario, dicit sponsis matrimonium esse impossibile.

193. Re ad Ordinarium delata, si impedimentum est certum tum in facto tum in jure, obtineri debet dispensatio, secus sponsi matrimonio valedicere debent. Hinc in *cap.* 27. *De sponsalibus*..... statuitur « si persona gravis, cui fides est adhibenda, tibi (Episcopo) denuntiet quod hi qui sunt matrimonio copulandi, se propinquitate contingant, et de

(1) Sanchez *III*, *XV*, *n.* 15. D'Annibale *III*, § 324, *not.* 19.

Digitized by Google

fama vel scandalo doceat, aut etiam per te ipsum possis certificari de plano, non solum debes juramenta parentum sponte oblata non recipere, verum etiam eos, qui sic contrahere nituntur, si moniti induci nequiverint, compellere, ut a tali contractu desistant ». Tantum quaestio est an Ordinarius, qui solus conscius est impedimenti, teneatur aut possit matrimonium impedire. Nonnulli negant (1), quia nemo potest esse simul judex et testis. Alii probabilius affirmant (2) « tum quia bene potest esse aliquis judex et testis quando agitur de peccato impediendo, tum quia eo casu saltem potest ipse Ordinarius deferre impedimentum ad judicem superiorem (et etiam ad suum Vicarium, ut ajunt Salm. cum AA. citt. *dict. n.* 104) ut illud judicium proferat ; et ad hoc ipse Episcopus tenetur ut impediat peccata, quae ex matrimonio invalido orientur ». S. Alph. *VI*, *n.* 1002. Si impedimentum est dubium dubio facti, curandum est omni diligentia, ut dubium removeatur, e. g. interrogando sponsos, parentes, aliosve, qui rem noscere possunt. Plerumque existentia vel non existentia impedimenti apparebit. Caeterum de impedimentis dubiis dubio juris aut facti sermo est n. 253 sequ. Sublato impedimento vel probationibus contrariis quae moralem certitudinem pariunt, vel dispensatione, Ordinarius permittet parocho, ut matrimonio assistat (3).

194. Matrimonii celebratio diu retardanda non est. Si diu retardaretur an processus de statu libero rursus repeti debeat, scilicet tum examen testium, tum parochi investigatio, tum demum publicationes, remittitur prudenti judicio Ordinarii. De examine testium id declaratum est Alleg. *III*, *II*, *dub.* 4. De publicationibus Rit. Rom. *De sacram. Matr.* haec habet « Si vero infra duos menses post factas denuntiationes matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur. » Statuta dioecesana alicubi praescribunt publicationes denuo faciendas post trimestre ; alicubi post semestre ; alicubi unam post trimestre, duas

(1) Sanchez *III*, *XV*, *n.* 11. Pontius *V*, *XXXV*, *n.* 5 aliique.
(2) Salm. *VIII*, *n.* 104 cum pluribus aliis.
(3) Alleg. *III*, *VIII*.

Digitized by Google

post semestre, tres post annum (1). Huc usque de processu pro libero sponsorum statu probando.

Articulus III.

Instructio ad sponsos a parocho habenda, et sacramentorum susceptio.

195. Quando parochus, post expletas publicationes ac obtentam sui Ordinarii licentiam, dicit nupturientibus se jam posse eorum matrimonio assistere, ipsique confirmant voluntatem ineundi matrimonium, tunc parochus ad ipsos brevem instructionem et exhortationem habebit. Si jam prius, una simul cum investigatione ante publicationes, eam fecit, poterit fortasse nunc eam praetermittere. Imo quandoque parocho alia occasio non erit eam faciendi, nisi in sacramento confessionis ante matrimonii celebrationem.

196. In hac instructione et exhortatione parochus sponsos edocebit magnam sacramenti dignitatem ; quomodo ad illud suscipiendum pie accedere debeant, et nihil antea contra illius sanctitatem perpetrare. Pariter explicabit et inculcabit conjugum obligationes, mutuum amorem, mutuam fidelitatem, protectionem viri erga mulierem, subjectionem mulieris erga virum, honestatem actus conjugalis, mutuam obligationem reddendi debitum, omnium actuum qui referuntur ad prolis generationem, licitudinem, non aliorum, et in dubio obligationem consulendi parentes aut prudentem confessarium..... Item non omittet obligationes parentum in filios, baptismum quantocius administrandum, Christianam educationem tradendam ab eorum teneris annis, curam temporalem habendam. Tandem ipsos rursus admonebit, ut antequam contrahant, ad sacramentum confessionis ac SSmae Eucharistiae debitis cum dispositionibus accedant. Parocho magnae utilitatis erunt quae habet hac de re Rit. Rom. Ioder *op. cit. cap. I, art. I* dat synopsim hujus instructionis ac exhortationis. Scavini *III*, *n.* 1038 dat quoque exemplum. Sed haec instructio ac exhortatio erit accommodata conditioni personarum, ut patet. Hinc e. g. si sponsi

(1) Ioder *cap. I, art. I*, § 2, *n.* 4. Scavini *III*, *n.* 896. Bangen *II*, § 17, *pag.* 74.

Digitized by Google

obligationes conjugum ac parentum dignoscunt, erit potius exhortatio ad mutuum amorem, patientiam etc. quam instructio. At parochus numquam eam omittat, si commode potest. Necesse non est, imo nec expedit, ut haec instructio et exhortatio fiat ad singulos seorsim, sed potest parochus ambos simul, praesentibus quoque aliis, docere atque hortari ; non enim hic eadem ratio est ac in investigatione ante publicationes.

197. Tandem sponsi ante matrimonii celebrationem accedent ad sacramentalem confessionem, et postea, ipso matrimonii die, sacram communionem recipient. Jus commune circa sacramentalem confessionem hoc est. *Est de praecepto* 1° si agitur de publico peccatore, e. g. qui publice in concubinatu vivit, vel qui praecepto paschali non satisfecit (1) ; 2° si quis in contemptum et despectum Ecclesiae renuit confessionem peragere, quod in primum casum plerumque recidit ; 3° si ex matrimonio sine praevia confessione scandalum in populo oriretur (2). Proinde in his casibus, etsi una pars peccata sua confessa sit, parochus matrimonio assistere nequit, quamdiu altera pars renuit. Praeter hos casus *est de consilio*. Nam Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. I de ref. mat.* : «... conjuges *hortatur*, ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, et ad SSmâm Eucharistiam pie accedant ». Nimirum si sponsus non est in statu peccati mortalis, est consilium ut sacramenta confessionis et communionis recipiat ad uberiorem gratiam obtinendam. Si vero est in statu peccati mortalis, equidem contrahens in hoc statu sacrilegium committeret, sed per se sufficit actus contritionis perfectae, licet consulenda quam maxime sit sacramentalis confessio tum ob rationem mox allatam, tum quia vix certi esse possumus de perfectione nostrae contritionis. Hinc praeter illos casus, si sponsus huic parochi hortationi parere detrectet, parochus, attento jure communi, suam assistentiam matrimonio praestare potest. At statuta dioecesana saepe

(1) S. Alph. *VI, n.* 54. Giraldi *De parocho II, XXI, n.* 7.
(2) Barbosa *De off. et pot. Episcopi XXXII, n.* 179, qui innumeros citat AA. pro altero et tertio casu.

Digitized by Google

sacramentalem confessionem ante matrimonium praecipiunt pure et simpliciter : et tunc ut parochus assistere queat, prius sponsi debent vel ipsi parocho sacramentalem confessionem peragere, vel eidem testimonium praebere de confessione alii sacerdoti peracta, nisi parochus aliunde certus sit sponsos revera ad sacramentum poenitentiae accessisse. Ab hac lege dioecesana Ordinarius dispensat. Caeterum de matrimonio *indignorum* vide n. 473 sequ. Quoad vero sacram communionem jus commune eam suadet quidem sponsis, sed numquam praecipit ; quod statuta dioecesana sequi solent et debent.

198. S. C. C. *die* 28 *Aug.* 1852 probavit statutum dioecesanum juri communi consonum quoad sacramentalem confessionem. Nam Officialis curiae episcopalis Moguntinae exposuit, quod in eadem dioecesi circa matrimoniorum benedictiones extat statutum ab antistite Josepho Ludovico Colmar *an.* 1812 conditum et publicatum cujus hic tenor est « Matrimonii sacramentum inter illa pertinet quae recipi debent in statu gratiae. Hinc in omnibus Ritualibus, ubi de matrimoniorum benedictione est sermo, praescribitur, ut tam sponsus quam sponsa ante benedictionem peccata sua confiteantur. Quod si igitur parochus sacrilegio, quod forte sponsi per neglectum hujus obligationis committerent, participare reformidet, omni opera niti debet, ut sponsos ad eamdem implendam moveat : cui quidem rei eo magis hodiedum insistere poterit, quo illi tantum quorum religio nondum penitus extincta est, sacerdotalem matrimonii benedictionem petant ; alii vero solo actu civili sint contenti. Nihilominus in extremo casu (et bene notetur quod diximus *in extremo*) quando nempe sponsi pertinaciter insisterent recipere matrimonialem benedictionem, non praemissa confessione, parochus strictae interpretationi verborum Conc. Trid. *sess. XXIV*, *cap. I de ref. mat.* ubi tantum dicitur *hortatur*, inhaerendo, matrimonium benedicere poterit, quin conscientiam gravet ». Jam vero Officialis censet haec in praxi satis tuta videri tam ob relata Tridentini verba, quam ob gravem sane sententiam Emi Gousset, Archiepiscopi Rhemensis in notissimo libro cui titulus : *Théologie*

Digitized by Google

morale à l'usage des curés et des confesseurs, *tom. II*, *art.* 745 et 755, qui et aliarum Galliae dioecesium statuta pro eadem observantia affert. Verum cum dioeceses Trevirensis et Spirensis, quae Moguntinae adjacent finitimae, praxim plane oppositam teneant, ita ut sponsi ad confessionem et communionem non severa solum adhortatione excitentur, sed rigorosa etiam lege adstringantur, quae ne exceptionem quidem patiatur, dum una tantum parte reluctante, pro altera grave perversionis et matrimonii civiliter ineundi periculum immineat vel adsit; hinc metuendum esse praelaudatus Officialis monet, ne ex diversa Moguntinae dioecesis observantia scandalo et gravamini ansa praebeatur. Proposito itaque dubio: « An ordinatio Episcopi Mogurtini *an.* 1812 emissa, sit servanda seu reformanda in casu ». S. C. reposuit: « Affirmative ad 1^am^ partem, exclusis tamen casibus a jure praevisis; negative ad 2^am^ » (1).

199. Valde suadendum, ne sponsi sacramentalem confessionem ad ipsum nuptiarum diem differant, sed eam perficiant aliquibus ante diebus: nam ipsi uberiorem gratiam recipient, et si aliquod deprehenditur impedimentum, poterit removeri, aut forte ipsum matrimonium minori cum incommodo et admiratione penitus praetermitti. Inter Ritualia particularia dioecesium alia statuunt ut octiduo, alia ut triduo, alia pridie ante matrimonii celebrationem confessio sacramentalis fiat. Parochus prudenter aget admonens sponsos in ipsa inquisitione ante publicationes de confessione facienda aliquo tempore ante nuptiarum celebrationem. At si sponsi, his non obstantibus, immediate ante matrimonium accedant ad sacramentum poenitentiae, parochus eos repellere nequit. Concludimus animadvertentes ut plurimum expedire, ut sponsi omnis anteactae vitae confessionem peragant, quod parochus pro sua prudentia inculcare potest, sed non imponere (2).

(1) Officialis Moguntinus affirmat in dioecesibus Trevirensi et Spirensi sponsos adstringi rigorosa lege non modo ad sacramentalem confessionem, sed etiam ad sacram communionem, et nullam admitti exceptionem, ne quidem si una pars legem implevit et periculum perversionis ac matrimonii civilis immineat. Haec minus probari posse videntur.

(2) Synodus dioec. Albanensis P. *II*, *tit. IX*, *n.* 13.

Digitized by Google

CAPUT III

GENERALES MATRIMONII NOTIONES.

Articulus I

Quid sit matrimonium.

§ 1. — *Notio matrimonii juxta naturae legem.*

200. Positis iis omnibus, quae in praecedenti capite exposuimus, matrimonium celebratur. Matrimonium, si etymon spectetur, a matre, non a patre nomen sortitur tum quia mater semper certa est, non certus pater nisi ex juris praesumptione, tum quia « puer adhuc infans..... magis materno indiget solatio quam paterno, sibique (matri) ante partum onerosus, in partu dolorosus, post partum laboriosus fuisse noscatur » ait Greg. IX *cap.* 2, *De conver. infidel.* Dicitur etiam *conjugium* veluti commune jugum, quia duos sub codem jugo perpetuo conjungit, et *nuptiae* vel *connubium*, quia juxta veterem ritum mulieres matrimonium inceuntes solebant caput obnubere seu cooperire flammeo idest velo coloris flammae cujus ritus memoria extat *Gen. XX*, 16, *XXIV*, 65 (1). Vir appellatur *maritus*, femina *uxor* veluti *unxor* a verbo *ungo*, quia penes Romanos femina in domum mariti deducta solium ungebat ad mala omina avertenda.

201. Matrimonium in genere definitur *cap.* 11, *De praesumptionibus : maris et feminae conjunctio individuam vitae consuetudinem retinens.* Clarius matrimonium spectari potest et debet ut *in fieri*, et ut in *facto esse*. Matri-

(1) Vecchiotti *III*, § 72 et melius Gonzalez in *cap.* 1, *De sponsalibus*... S. Thomas *IV, dist.* 27, *quaest.* 1, *art.* 1, *quaestiunc.* 2ª et *Supp. q.* 44, *a.* 2 varias recenset subtiles etymologias.

Digitized by Google

monium in fieri est *contractus legitimus inter marem et feminam individuam vitae consuetudinem afferens*. Matrimonium in facto esse est inde resultans vitae consuetudo, et nominatim vinculum matrimoniale. Illud *conjunctio* in cit. *cap.* XI, *De praesumptionibus* utrumque indicat et contractum et societatem jam coitam. Si vis erroneas consequentias vitare, debes has notiones simplices ac veras retinere. Nos modo loquimur praecipue de matrimonio in fieri: de matrimonio in facto esse sermo erit in *cap. VIII.*

202. Dicitur matrimonium in fieri 1° *contractus*, et hoc etiam postquam ad dignitatem veri sacramenti a Christo D. inter Christianos evectum fuit (n. 224). Unde ea quae contractui in genere essentialia sunt, etiam matrimonio conveniant necesse est. In jure Romano legitur *contrahere matrimonium*, sed numquam legitur, ni fallimur, *contractus matrimonii*, *contractus matrimonialis* (1). In jure gallico *contrat de mariage* significat regimen dotale, non matrimonii contractum in sensu nostro. Nonnulli recentiores scriptores de matrimonio disputantes a voce contractus veluti abhorrent, quasi tale nomen aut matrimonium dedeceat, aut matrimonii conceptum minus rectum ingerat. Horum assertores dum ex una parte magnam ostendunt temeritatem, ex alia longe a veritate aberrant, quippe quod matrimonium est verus contractus, licet ordinis longe superioris praesertim inter Christianos.

203. 2° *Legitimus*: quod importat; *a*) virum et mulierem esse habiles ad matrimonium ineundum, seu nullo detineri impedimento dirimenti; *b*) in ipsa matrimonii celebratione formam substantialem servatam esse. Praeter impedimenta dirimentia, sunt et impedientia, a quibus contrahentes liberi esse debent; pariter praeter formam substantialem servandae sunt aliae solemnitates et circumstantiae temporis ac loci ab Ecclesia praescriptae, secus matrimonium erit validum sed illicitum.

(1) Caeterum Romani habebant triplex matrimonium jure naturae validum, *justas nuptias* seu *matrimonium justum* quod initum fuit caeremonia confarreationis, *concubinatum* quod initum fuit sine illa solemnitate, contubernium nempe *conjugium servorum*. Concubinatum in sensu nostro Romani dicebant *pellicatum*.

Digitized by Google

204. 3° *Inter marem et feminam.* Cum enim matrimoninm spectet in primis prolis generationem et educationem, iniri nequit nisi inter marem et feminam. Et quidem inter *unum marem unamque feminam*, ita ut sicuti unus vir ducere nequit plures simul uxores, ita et multo minus una femina pluribus simul nubere viris. Matrimonium igitur est monogamum : sed de his fusius alias.

205. 4° *Individuam vitae consuetudinem afferens*, idest non temporaneam sed perpetuam per se duraturam usque ad mortem. Vitae consuetudo significat tum in primis jus mutuum cum relativa obligatione in corpus alterius in ordine ad prolem generandam et educandam, seu jus coeundi, uti dicunt; tum deinde communionem tori, mensae et habitationis in unione animorum per mutuum amorem et in aliquali unione bonorum. Proinde matrimonium utrique parti affert tum jus cum relativa obligatione exclusivum et perpetuum in corpus alterius in ordine ad prolem generandam et educandam ex 1ª *Cor. VII*, 4 ; tum communionem tori, mensae et habitationis in unione voluntatum ac bonorum. Illud jus mutuum cum relativa obligatione in corpus alterius appellatur *vinculum* seu *ligamen matrimoniale*. Quamquam vero hacc vitae consuetudo sit per se individua, tamen aliquando dissolvitur quae solutio dicitur *divortium* ; et quidem solutio quoad ipsum vinculum dicitur *divortium plenum*, solutio quoad torum, mensam, habitationem tantum, nuncupatur *divortium semiplenum*. Haec omnia fusius declarantur in *cap. VIII.*

206. Ex hac brevi et clara matrimonii notione sequentia ceu totidem corollaria sequuntur, quae illius naturam magis magisque declarant.

Obiectum matrimonii *materiale* sunt ipsae contrahentium personae, *formale* est vitae consuetudo : nam in genere obiectum materiale alicujus contractus est res, circa quam contractus versatur, obiectum autem formale est ratio quae consideratur et attingitur in ipso obiecto materiali contractus ; e. g. obiectum formale locationis domus est usus domus, venditionis est proprietas domus, utriusque vero contractus obiectum materiale est eadem domus. At vero vinculum seu

Digitized by Google

jus mutuum cum relativa obligatione exclusivum et perpetuum in corpus alterius in ordine ad prolem generandam et educandam est obiectum formale essentiale contractus matrimonialis ; dum communionem tori, mensae et habitationis putamus pertinere potius ad illius integritatem quam ad illius essentiam, nam aliquando permittitur matrimonium conscientiae ita ut conjuges in distinctis domibus commorentur omnesque conjugium ignorent, sed viro pateat accessus ad mulierem et viceversa, remoto scandalo. Unio autem animorum et bonorum non est obiectum matrimonialis contractus, sed est conditio necessaria ut matrimonium felices sortiatur exitus, et ad illius onera sustinenda, licet unio bonorum determinari et regi possit contractu distincto mere civili. In reliquis, quae nullam habent relationem ad prolem, conjugi nullum est jus (proinde nec relativa obligatio) in corpus alterius : hinc uxor non est serva viri aut instrumentum voluptatum ejus, prouti penes paganos invaluit opinio, sed est socia aequo jure pollens in corpus viri, prouti Ecclesia docet, salva tamen ejus subiectione viro qui est caput mulieris. Ex his etiam patet matrimonium esse societatem inter omnes quae excogitari possunt, summe intimam, quae, ut bene vergat, mutuum amorem prae caeteris omnibus requirit. Haec conjugalis societas est fons et veluti seminarium reipublicae.

207. *Essentia* matrimonii in fieri consistit in mutuo consensu rite comparti manifestato in vitae consuetudinem, nominatim in vinculum matrimoniale : nam in genere essentia contractus est in mutuo consensu rite comparti expresso in formale obiectum essentiale : atqui formale obiectum essentiale matrimonii est jus mutuum etc. seu vinculum (n. praec.). Non subscribimus eorum opinioni (n. 859) qui censent deesse etiam substantiam matrimonii, si salvo vinculo, desit consensus in communionem tori, mensae, habitationis : nam haec non est matrimonii obiectum essentiale. Essentia autem matrimonii in facto esse consistit in vitae consuetudine, quae ex matrimonio in fieri resultat, praesertim in ligamine : quod innuitur etiam *Gen. II* « *Erunt duo in carne una... quamobrem derelinquet homo patrem*

Digitized by Google

suum et matrem et adhaerebit uxori suae ». Unde turpiter errarunt illi qui essentiam matrimonii posuerunt in illius usu (1) : si enim sermo sit de matrimonio in facto esse, confunderetur exercitium juris cum ipso jure ; si vero sermo sit de matrimonio in fieri, confunderetur exercitium juris cum contractu, unde jus enascitur. Item non omni censura vacant, qui dicunt essentiam matrimonii (simpliciter) consistere in mutuo consensu, vel in ligamine, quia sic simul confundunt matrimonium in fieri et matrimonium in facto esse. Et multo minus exacte loquuntur, qui magis generaliter matrimonium reponunt in consuetudine vitae, quod verum est solum de matrimonio in facto esse et quidem sumendo vitae consuetudinem restrictive quoad partem essentialem tantum, idest quoad vinculum, non quoad caetera.

208. *Finis* matrimonii *principalis* seu primarius est procreatio, et deinde educatio prolis ; *secundarius* est tum mutuum vitae adjutorium et solamen « *non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adjutorium simile sibi* » *Gen. II*, 18, tum remedium concupiscentiae « *melius est enim nubere quam uri* » S. Paulus 1ª *Cor. VII*, 9. Finis principalis locum habuisset quoque in statu innocentiae, item finis primus secundarius saltem ex parte ; sed alter est consequentia peccati originalis. Et hi quidem sunt fines *operis*, seu ipsius matrimonii ; sed nupturiens seu *operans* potest matrimonium inire ad alium quoque finem sive honestum e. g. pacem familiarum, honorem familiae... sive turpem e. g. cupiditatem divitiarum, vanum honorem..... Contrahere matrimonium ob finem primarium operis vel ob finem secundarium mutui adjutorii est certe juxta omnes licitum et sanctum ; sed etiam illud contrahere ob finem alium secundarium operis, remedii scilicet concupiscentiae, vel ob alium finem matrimonio extrinsecum sed honestum juxta communiorem et veram sententiam licet. Servata autem essentiâ, matrimonium quocumque fine initum validum est (2).

(1) Marc. n. 1963. Lehmkuhl *II*, *n.* 865 in nota refert et refutat Dr Freisen canonistam Germanum, qui resuscitavit obsoletam doctrinam de essentia matrimonialis contractus in copula maritali.

(2) Scavini *III*, *n.* 761, *sequ.*

Digitized by Google

209. *Proprietates* essentiales matrimonii sunt *unitas* et *perpetuitas* seu indissolubilitas prouti ex data definitione satis apparet, quibus accedit ratio sacramenti lato sensu inter infideles, sensu stricto inter fideles. Indissolubilitatem theologi appellare solent *bonum sacramenti*; quia licet aliqua firmitas competat etiam matrimonio infidelium tamen major est in matrimonio Christiano propter rationem veri sacramenti, et maxima indissolubilitas est matrimonio Christiano consummato propter perfectam rationem veri sacramenti. Unitatem dicunt *bonum fidei* seu fidelitatis, quod importat praecipue, ut pars, matrimonio legitime prius non soluto, non praesumat contrahare novum matrimonium, neque cum alia persona rem habeat, sed suis officiis conjugalibus fideliter satisfaciat. His duobus bonis addunt *bonum prolis*, quod est potestas suscipiendi et educandi prolem, ejusque susceptio et recta educatio.

210. Matrimonium non solum est licitum, quod Ecclesia contra antiquiores haereticos Marcionitas, Manichaeos, Encratitas definivit; sed etiam *sua vi*, *sua natura*, *sua sponte* est contractus aliquo modo *sacer* et *religiosus*, non mere civilis et profanus, etiam praecisione facta ab ejus elevatione ad dignitatem veri ac proprie dicti sacramenti. Nam Deum habet auctorem (n. sequ.); tendit ad procreationem et formationem hominum, filiorum Dei, destinatorum ad gloriam aeternam; tandem repraesentat aliquo modo unionem Christi cum Ecclesia, quia sicut homo, relictis parentibus, adhaeret uxori suae et cum ea una caro efficitur, ita Christus exivit a Patre et venit in mundum (*Joan. XVI*, 28) propter Ecclesiam (1). « Matrimonium... ratum eam Christi D. unionem significat, qua se per gratiam animabus justorum communicat. Matrimonium vero consummatum eam repraesentat unionem, qua idem D. N. per Incarnationem cum Ecclesia sese conjunxit juxta Inn. III responsum in cap. *Debitum De bigamis* » Ben. XIV *De syn... XIII, XXI, 4*. Ob hanc repraesentationem matrimonium in se, quoque inter infideles est sacramentum lato sensu, idest signum

(1) S. Hieron. in *II Gen*.

Digitized by Google

rei sacrae. Ad rem Leo XIII in Encyclica *Arcanum diei* 10 *Febr.* 1880 (Alleg. I). « Etenim quum matrimonium habeat Deum auctorem fueritque vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam, non adventitium, sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum. Quocirca Inn. III et Hon. III decessores Nostri non injuria nec temere affirmare potuerunt *apud fideles et infideles existere sacramentum conjugii.* Testantur et monumenta antiquitatis, et mores atque instituta populorum, qui ad humanitatem magis accesserant, et exquisitione juris et aequitatis cognitione praestiterant: quorum omnium mentibus informatum anticipatumque fuisse constat ut, cum de matrimonio cogitarent, forma occurreret rei cum religione et sanctitate conjunctae. Hanc ob causam nuptiae apud illos non sine caeremoniis religionum, auctoritate pontificum, ministerio sacerdotum fieri saepe consueverunt. Ita magnam in animis caelesti doctrina carentibus vim habuit natura rerum, memoria originum, conscientia generis humani! Igitur cum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum... » (1).

211. At matrimonium est liberum cuique (nisi naturâ sit impotens), et nemini obligatorium; ideoque caelibatus licitus, imo et potior est. Id paucis declaramus.

212. In primis omnibus et singulis est ab ipsa natura *jus* ad matrimonium, et generatim *inclinatio*, quod nemo negat, admissa matrimonii liceitate. Proinde nulla humana auctoritas potest cuiquam matrimonium absolute prohibere contra illius antecedentem voluntatem, nam haec prohibitio foret contraria juri naturali. Hinc iniquae prorsus sunt et a codice civilis nationis penitus eliminandae leges, quae arcent a conjugio pauperes e. g., nisi probent se talem redditum habere, uti in nonnullis Germaniae partibus, vel nisi solvant talem pecuniae summam (n. 866). Diximus *absolute* quia competens auctoritas potest utique prohibere, imo et irritare matrimonium cum hac vel illa persona (n. 245 sequ.). Addi-

(1) Vide etiam D'Annibale citatum n. 216 et Taparelli *Saggio... n.* 1518 *sequ.*

Digitized by Google

dimus *contra suam antecedentem voluntatem*, quia post obligationem sponte assumptam competens auctoritas bene potest ei nuptias quascumque interdicere (n. 215). Ex his apparet quo sensu matrimonium sit *de jure naturali* (1).

213. At *nemini est obligatio* contrahendi matrimonium. Antequam id demonstremus, animadvertimus indirecte et per accidens contingere utique posse, ut quis teneatur ad matrimonium ejusque usum, e. g. ad sedandam concupiscentiam, si nolit alia media adhibere, ad damnum reparandum, princeps ad impedienda bella civilia..... Praeterea Deus protoparentibus equidem praeceperat directe matrimonium ejusque usum *Gen. I*, 28. « *Crescite, et multiplicamini, et replete terram...* » quibus verbis simul significavit suam voluntatem ut collata speciei humanae vis sese reproducendi, virtus seu ratio seminalis, de qua saepe S. Augustinus, in actum transiret, quin tamen praeceptum aliis imponeret. Sanchez *II, III, n. 4*, aliique putant quod homines rursus, uti protoparentes, directe tenerentur etiam post professionem religiosam ad matrimonium ejusque usum, si ex hypothesi genus humanum ad paucos redactum periret, nisi Titius et Caja matrimonium contraherent et consummarent. Tandem plures putant citata verba Geneseos continere directum matrimonii praeceptum non solum pro protoparentibus, sed etiam pro specie humana, quamvis non pro singulis individuis. Hoc praeceptum afficiens speciem tantum erit sensu lato generica Dei voluntas, ut illa vis sese reproducendi transeat in actum, aut erit officium rectoris communitatis curandi (mediis indirectis) matrimoniorum celebrationem et foecunditatem, si populus deficiat : nam verum praeceptum cum obligatione quod afficiat speciem et nullum individuum, ne intelligi quidem potest. Quidquid de hoc sit, nos dicimus in praesenti generis humani statu nemini esse directam obligationem ineundi nuptias. Nam obligatio non est imponenda, nisi demonstretur : atqui haec obligatio non demonstratur. Dices : Deus vult conservationem et propagationem generis humani, ideo-

(1) S. Thomas *supp. q, 41, a. 1.*

Digitized by Google

que etiam matrimonium ejusque usum, utpote medium necessarium. Respondemus Deum velle quidem conservationem et propagationem generis humani; sed ipse, relicta unicuique libertate, illam obtinet per inclinationem, qua fit ut plerique matrimonium contrahant et consumment. Dices ulterius: peccat qui damnum societati affert: atqui caelebs damnum societati affert. Respondemus peccare, qui affert societati damnum positivum aliquid faciens, quod vergit in illius damnum, sed non peccare, qui affert societati damnum negativum aliquid omittens, quod societati commodo est, nisi pro eo aliunde probetur obligatio illud faciendi: non enim tenemur ad omnia, quae commodo societati sunt. Jam vero caelebs damnum affert societati negativum, sed non ideo peccat, quia non probatur obligatio contrahendi et consummandi matrimonium. Imo aliquando caelebs magnum affert societati commodum, sive quia populus redundat, sive quia illud damnum cum usura aliis bonis compensat, quae difficilius aut minus plene obtinentur in statu matrimoniali. Huic argumento negativo accedit Christum D. et probabilius Apostolos, excepto S. Petro ante vocationem, matrimonium non contraxisse, et S. Scripturam cum Ecclesia docere caelibatum licitum esse, imo esse statum perfectiorem statu matrimonii etiam evecti ad dignitatem veri sacramenti, prout definivit Conc. Trid. *sess. XXIV, can. X.* Exinde sequitur nullam humanam potestatem posse per se in praesenti humani generis statu quempiam adigere ad matrimonium; cogeret enim ad statum imperfectiorem. Quod si populus deficiat, legislator civilis curare potest et debet matrimoniorum celebrationem et foecunditatem mediis indirectis ideoque absque ulla obligatione, quia his mediis finem obtinebit, dum e contrario matrimonia directe imposita infelices exitus haberent (1).

214. Quamquam vero natura liberum unicuique relinquat contrahere matrimonium, vel in caelibatu ducere vitam, tamen nonnullas leges praescripsit servandas ab iis qui nuptias inire praeferunt, quas leges juris naturae complevit

(1) Taparelli *Saggio teoretico di diritto naturale, n.* 1118 *sequ., n.* 1514 *sequ.*

Digitized by Google

positive Deus aliasque addidit competens auctoritas humana. Fere similiter agit e. g. auctoritas civilis pro ineundis contractibus civilibus ; tu enim liber es contractum peragere, vel non, sed in illo efficiendo debes has vel illas leges adimplere. Quaenam sint leges tum naturales tum positivae sive divinae sive humanae respicientes matrimonium, est obiectum hujus tractatus.

215. Diximus caelibatum non esse illicitum, imo esse statum perfectiorem statu matrimoniali. Hinc Titius potest non solum illum servare, sed etiam ad illum se obligare, cum quisque possit renuntians juri suo se adstringere ad perfectiorem statum. Tunc igitur non poterit nuptias ullatenus inire, et si hanc obligationem prudens et volens assumpsit in foro externo, praesertim propter causam respicientem bonum commune, nil mirum, si competens auctoritas eum cogat ad obligationem servandam, ei interdicens nuptias quascumque. Hoc modo explicatur caelibatus religiosus et leges ecclesiae circa ipsum. De his fusius theologi : heic indicavisse sufficiat.

216. Si autem quaeras quaenam sint differentiae inter contractum matrimonialem aliosque contractus, praecipuas ita complectitur d'Annibale *III*, § 295 : « 1° Inter mares tantum et foeminas, et plusquam inter unum et unam hodie constare non potest. 2° Cum caeteri contractus ex uno tantum latere constare, sive, ut ajunt, claudicare possint, hic nisi ex utroque latere constat, nullus infectusque est. 3° In contractu matrimonii ineundo nec humani legislatores, nec ipsimet contrahentes ea omnia possunt, quae in caeteris possunt : etenim illis non datur voluntatem (*II*, 318, 28) supplere, si forte ex parte unius desit, nec his (quia matrimonia et societatis et religionis summopere intersunt) datur aliquid aleatorii in eis introducere, nec ab eis recedere, cum inita fuerint. Sed in primis contractus matrimonialis est suapte natura aliquid sacrum et sanctum *auctore*, quippe Deus contrahentes conjungit ; *re*, quia corpora nostra sunt templum Spiritus S. ; *fine*, quia ad gloriam Dei cum primis pertinet ; ac denique *mysterio*, nempe in Christo et in Ecclesia, quorum unionem significat ». Haec quidem de con-

Digitized by Google

tractu matrimoniali in genere : nam contractus matrimonialis inter fideles ita repraesentat unionem Christi cum Ecclesia, ut sit verum ac proprie dictum sacramentum, de qua re infra.

217. Tandem notandum est matrimonium gaudere *favore juris*, ut traditur expresse in *cap. ult. De conditionibus...* aliisque testibus. Hic favor juris in eo consistit ut matrimonium semel celebratum semper validum habendum sit, donec ejus invaliditas plene non probetur. « Tolerabilius est enim, ait Inn. III in *cap. 47, De testibus..*, aliquos contra statuta hominum (1) dimittere copulatos, quam conjunctos legitime contra statuta Domini separare ». Unde principium : *in dubio standum est pro valore matrimonii* ; quod valet in utroque foro (2), et a fortiori si agatur de matrimonio fidelium, utpote sacramento. « Imo etiamsi hoc (matrimonium fuisse contractum) non constaret, sed matrimonium possessionem pro se ostendere posset, quod verificatur quando conjuncti bona fide putant se in vero et legitimo conjugio vivere, et caeteri nullum ex illa conjunctione scandalum patiuntur, quia arbitrantur eam esse legitimam ; etiam in hoc casu praedictum principium valeret, et ab eodem recedere non liceret. Hoc S. C. saepe docuit et inculcavit praecipue vero in instructione ad Vicarios Apost. Oceaniae Centralis missa ex decreto *Fer. IV*, 18 *Dec.* 1872 ». Ita S. C. S. Officii in instructione ad Episcopum de Nesqualy *an.* 1877.

Praestat referre verba instructionis ad Vicarios Apost. Oceaniae Centralis quae hanc rem rite declarant : « Insuper Emi PP. animadverterunt missionarios quoad matrimonia infidelium istius regionis videri in hanc etiam opinionem devenisse *in dubio standum esse pro invaliditate matrimonii*, idque adeo ut pars quae petit baptismum, repelli debeat a baptismo, nisi aut se separet ab altera parte, aut matrimonium cum eadem renovet, etiamsi ea, quae baptismum petit, sit in bona fide, neque per eam stet, quominus

(1) « Idest contra hominum testimonia firmitate necessaria destituta ad concludendum matrimonium jam contractum esse irritum » Sanchez *VII, III, n.* 5.

(2) S. Alph. *VI, n.* 907 ; Sanchez *I, XVIII, n.* 5 *sequ.* cum communi.

Digitized by Google

matrimonium renovari nequeat ; quae sane probari haud facile possunt. Nosti enim in matrimoniis contrarium vigere principium, hoc est : *in dubio standum esse pro validitate matrimonii.* Licet autem ab hoc principio aliquando recedere aequum sit, quando nimirum (ut plerumque contingit in matrimoniis infidelium) quaestio agitur de facto, utrum scilicet matrimonium fuerit unquam contractum necne, nihilominus hoc etiam in casu non est continuo properandum ad principium contrarium. In primis enim videndum est utrum matrimonium, de cujus existentia missionarius dubitat, possessionem pro se obtendere merito possit. Hoc enim si contingat, perperam a missionario judicaretur standum ei esse pro invaliditate, cum jura possessionis servanda sint, donec de contrario perspicue constet. Id autem Emi Patres eo magis animadverti voluerunt, quod ex iis quae narras, apparet ejusmodi casus esse valde frequentes. Ais enim id saepe evenire, quod mulier quae baptismum petit, *in bona fide sit*, adeoque censeat se veram ac legitimam uxorem esse ; itemque caeteros ex ejus cum viro suo conjunctione *nullum scandalum pati*, adeoque ipsos etiam censere eam in justo esse conjugio ; virum autem infidelem, etsi nihil aperte dicat, nihilominus neque mulieris neque populi opinioni contradicere, cumque ipsa agere tamquam cum vera uxore : quae porro ejusmodi sunt, ut eorum conjunctioni matrimonii nomen et possessionem vindicare videantur. In hoc igitur statu regulare principium, quod : *in dubio standum est pro matrimonio*, reviviscat necesse est... ».

Haec confirmantur ex jurisprudentia SS. CC. RR. Nam pleraeque causae matrimoniales initae pro obtinenda libertate, quae naufragium faciunt, in hunc scopulum offendunt : nam nullitas clare probata non est, et ideo tribunalia ecclesiastica actionem nullitatis rejiciunt.

218. Hoc principium : *in dubio standum est pro valore matrimonii* fallit :

1° Si pro nullitate matrimonii sit favor fidei : nam « in re dubia in favorem fidei pronuntiandum esse constans regula est » ait Ben. XIV in epist. *Probe te* § 27 *die* 15 *Dec.* 1751, ideoque in casu nostro pro nullitate matrimonii. Hinc S. C.

Digitized by Google

R. et U. Inquis. in instructione *super dubiis de re matrimoniali a R.P.D. Episcopo S. Alberti in Canadà propositis fer. IV*, 9 *Dec.* 1874, docet : « Novit Amplitudo Tua hanc S. C. huic principio innixam declarasse, casu quo polygamus infidelis a Christiana religione amplectenda detineatur eo quod una ex parte haec unam tantum concedat uxorem, ex alia vero parte ille vel retinere velit justae uxoris loco aliquam ex pellicibus, quae non est prima uxor, vel aliam ducere (quae tamen et ipsa religionem amplectatur), si de valore matrimonii prudenter dubitetur, posse missionarium hanc ei potestatem facere ».

Id confirmatur quoque ex responso Urb. VIII. P. de Lugo, postea Cardinalis, petierat, utrum valida essent matrimonia quorumdam Indorum, et idcirco utrum conversi ad fidem tenerentur accipere primam e pluribus, quas habuerant uxores, an possent ex his, quam mallent, eligere : « Pontifex, indicto consulto, dixit, quod ubi DD. sententiae utrinque probabiles intercederent, sequeretur opiniones, pro conditione locorum ac hominum, barbaris favorabiliores » S. Alph. *VI*, *n.* 902 (1).

219. 2° Si matrimonium initum fuit ex metu juxta nonnullorum opinionem. Nempe si dubium sit facti, num revera matrimonium ex metu fuerit celebratum, omnes admittunt favorem juris esse pro matrimonio. At in dubio juris nonnulli putant favendum esse matrimonio, alii potius parti metum passae. Schmalz. *IV*, *I*, *n.* 401 ad rem haec habet : « Quod in dubio pro matrimonio pronuntiandum sit, verum est regulariter, non tamen semper, praesertim quando dubius valor propter metum est ; tunc enim melius pronuntiatur contra matrimonium, tum quia coacta matrimonia difficiles habent exitus, tum vero quia valor matrimonii injusto metu contracti metum passo inferret damnum irreparabile, inferenti vero afferret commodum inauferibile ». Ita e. g. matrimonium inter infideles metu initum haberine debet uti validum propter favorem matrimonii, an uti nullum propter favorem partis metum passae (n. 812) ? Item quid

(1) **Ballerini ad Gury *II*, *n.* 789.**

Digitized by Google

de nuptiis inter fideles initis metu indirecto (n. 821)? Ni fallimur, in primo casu applicanda est responsio Urb. VIII supra tradita; in altero autem standum est pro valore matrimonii (cit. n. 821) (1).

§ 2. — *De matrimonii elevatione ad dignitatem sacramenti inter Christianos.*

220. Christus D. matrimonialem contractum, quem huc usque declaravimus, ad dignitatem veri ac proprie dicti sacramenti elevavit inter Christianos. Matrimonium scilicet suapte naturâ, ideoque etiam inter infideles, est sacramentum lato sensu (n. 210); sed Christus D. voluit ut matrimonium Christianorum esset sacramentum novae legis in stricto sensu, idest signum rei sacrae conferens gratiam ex opere operato. Id fusius ostenditur in tractatu dogmatico: nobis sufficiat veritates in mentem revocare.

221. Oeconomia Christi in hac elevatione haec fuit. Cum matrimonium natura sua, ideoque etiam inter infideles exhiberet aliquam speciem unionis Christi cum Ecclesia (cit. n. 210), Christus D. voluit ut matrimonium inter Christianos pressius hanc unionem exprimeret, ita ut amor viri erga mulierem exprimeret amorem sui erga Ecclesiam, et amor cum reverentia et subiectione mulieris erga virum exprimeret amorem cum reverentia ac subiectione Ecclesiae erga seipsum. Cum vero id esset impossibile sine gratia supernaturali, hinc matrimonio inter Christianos addidit gratiam; imo ipsi contractui matrimoniali indidit vim producendi ex opere operato hanc gratiam « qua naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret » ut ait Conc. Trid. *sess. XXIV* (2). Ita matrimonium in fieri inter Christi-

(1) Sanchez *III, XLV, n.* 1, et post ipsum De Lugo *De j. et j. XXII n.* 24 docent matrimonia clandestina esse odiosa. Nempe probari debet matrimonium fuisse contractum: sed hoc semel probato, matrimonium stabit, donec illius nullitas non probetur.

(2) Haec Apostolus ad *Eph. V.* Ex D. Paulo *l. c.* probatur quidem matrimonium inter Christianos esse signum rei sacrae in Christo et in Ecclesia, eique gratiam adnexam esse: sed non probatur vim producendi gratiam inditam esse ipsi contractui matrimoniali. Proinde argumentum ex Apostolo *l. c.* pro veritate sacramenti matrimonii non est plenum, sed completur ex traditione. Apostolus *l. c.* tradit oeconomiam hujus elevationis.

Digitized by Google

anos elevatum fuit ad dignitatem sacramenti in stricto sensu, quod definivit Conc. Trid. *l. c. can. I.* « Si quis dixerit matrimonium non esse vere ac proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentum a Christo D. institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre A. S. » Matrimonium autem in facto esse inter Christianos est sacramentum lato sensu, quatenus magis firmum et usque ab initio gratia elevatum unionem Christi cum Ecclesia exprimit pressius, quam matrimonium in facto esse inter infideles.

222. Ex dictis apparet Christum D. ipsi contractui matrimoniali inter Christianos indidisse vim producendi gratiam, et ita illum ad dignitatem sacramenti elevavisse. Exinde duo corollaria.

223. 1° Omne matrimonium validum inter Christianos habet rationem sacramenti, et ipsum matrimonium est sacramentum ita ut inter contractum et sacramentum nulla sit realis distinctio. Ad rem Leo XIII in cit. Encycl. *Arcanum* « Nec quempiam moveat illa tantopere a Regalistis praedicata distinctio vi cujus contractum nuptialem a sacramento disjungunt, eo sane consilio ut Ecclesiae reservatis sacramenti rationibus, contractum tradant in potestatem arbitriumque Principium civitatis. Etenim non potest hujusmodi distinctio, seu potius distractio probari, cum exploratum sit in matrimonio Christiano contractum a sacramento non esse dissociabilem, atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum. Nam Christus D. dignitate sacramenti auxit matrimonium ; matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus jure. Huc accedit quod ob hanc causam matrimonium est sacramentum, quia est sacrum signum et efficiens gratiam et imaginem referens mysticarum nuptiarum Christi cum Ecclesia. Istarum autem forma et figura illo ipso exprimitur summae conjunctionis vinculo, quo vir et mulier inter se colligantur, quodque aliud nihil est, nisi ipsum matrimonium. Itaque apparet omne inter Christianos justum conjugium in se et per se esse sacramentum, nihilque magis abhorrere a veritate quam esse sacramentum decus quoddam adjun-

Digitized by Google

ctum, aut proprietatem allapsam extrinsecus, quae a contractu disjungi ac disparari hominum arbitratu queat. » Eamdem veritatem Pius IX inculcaverat tum litteris ad Regem Sardiniae 9 *Sep.* 1852, tum *Allocut.* 27 *Sept.* 1852, unde desumptae sunt propositiones reprobatae in Syllabo, nempe *prop.* 66 : « Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est » et *prop.* 73 : « Vi contractus mere civilis potest inter Christianos constare veri nominis matrimonium, falsumque est, aut contractum matrimonii inter Christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur ».

224. 2° Christus D. elevans ad dignitatem veri sacramenti matrimonium baptizatorum, non mutavit naturam contractus, sed mutavit *ordinem*, quatenus illud reddidit supernaturale ei adnectens vim producendi gratiam ex opere operato, ita ut matrimonium baptizatorum sit contractus supernaturalis, dum matrimonium non baptizatorum est contractus naturalis, etsi et ipse sacer et religiosus. Ad rem De Lugo *De j. et j. XXII, n.* 392 « noluit Christus variare conditiones illius contractus, sed illum qualis erat, elevare, ut quoties validus esset in ratione contractus inter baptizatos haberet etiam rationem sacramenti ». Quandonam autem validus sit, id pendet a lege divina seu naturali seu positiva et a lege humana competenti.

225. Quoniam vero « omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia » ut ait Eug. IV in responsione *ad Armenos*, quaeritur quinam sit minister, quaenam materia et forma sacramenti matrimonii.

226. In primis theologice certum est ministros hujus sacramenti esse ipsos contrahentes, qui simul sunt subiectum, non sacerdotem assistentem : nam contrahentes sunt ministri contractus, qui ipse est sacramentum. Opinio de sacerdote ministro sacramenti matrimonii quam Ben. XIV, *De Syn. VIII, XII, n.* 4 dicit *valde probabilem*, tot ac tantis

Digitized by Google

S. Sedis declarationibus omnem probabilitatem amisit. Quaenam igitur erunt partes parochi in matrimonio fidelium? Ipse proprie *matrimonio assistit*, nempe parochus est pastor et pater spiritualis, coram quo oves et spirituales filii hunc complent vitae actum apprime solemnem post baptismum et primam communionem, et ipse suis precibus ac benedictione uberiorem Dei gratiam super eos apprecatur, et simul ex Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. I, de ref. mat.* est testis auctorizabilis, ut ajunt, de inito conjugio : de qua re alibi. Hinc parochus, vel alius sacerdos, qui matrimonio assistit « *in multis comparatur ministro*, nec licite sua praesentia et auctoritate firmare potest contractum, quem scit a contrahentibus sacrilege iniri... » Ben. XIV, *De Syn. VIII, XIV, n.* 5.

227. Deinde theologi valde haerent in materia et forma determinanda (1). Certe cum ipse contractus validus sit sacramentum, necesse omnino est materiam et formam in contractu valido reperiri, et extra contractum validum materia et forma sacramenti matrimonii esse nequit. At vero postea DD. minime inter se conveniunt in quonam reponenda sint. Praeferimus illos qui dicunt materiam *remotam* esse jus coeundi, *proximam* esse verba, signa..... exprimentia consensum quatenus important traditionem juris; *formam* esse eadem verba, signa... exprimentia consensum quatenus important acceptationem juris. Nam hac acceptatione completur contractus et ideo sacramentum, et proinde tunc verificatur illud *accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum*. De iis fusius theologi.

228. Quandonam matrimonium inter Christianos ad dignitatem veri sacramenti evectum fuerit, DD. inter se non conveniunt. Nonnulli putant evectum fuisse Matt. *XIX* quando Christus D. *v.* 6 dixit « *Quod Deus conjunxit homo non separet* »; alii Joan. *III* quando nuptias in Cana Galileae sua praesentia et primo miraculo sanctificavit; alii tandem post resurrectionem suam, quando apparens discipulis suis

(1) Palmieri *De matr. thesi IX.* Sanchez *II, V.* Vasquez Tractat. *De Sacram. matr. disp. III.* De Lugo *De sacram. in gen. II, n.* 1 *sequ.*

Digitized by Google

loquebatur de regno Dei (1). Leo XIII in cit. Const. *Arcanum* hanc quaestionem non solvit.

229. Diximus huc usque elevatum fuisse ad dignitatem sacramenti matrimonium *inter Christianos*. Nam matrimonium inter duos infideles certe non est sacramentum nisi sensu lato (n. 210). Quod si uterque infidelis convertatur ad fidem et baptizetur, alii putant eorum matrimonium sacramenti dignitatem numquam attingere; alii eam acquirere dum consensus post baptisma expresse vel tacite renovatur (2); alii statim acquirere per baptismi susceptionem absque ulla consensus renovatione. Haec quaestio adhuc libera est: at videtur non difficile solvi posse, si conceptus supra declarati prae oculis habeantur. Nempe verum ac proprie dictum sacramentum producens gratiam ex opere operato est inter Christianos matrimonium in fieri: quod heic abest. Matrimonium in facto esse inter Christianos est sacramentum lato sensu quatenus magis firmum ordinisque supernaturalis melius representat unionem Christi cum Ecclesia: atqui id verum est etiam de matrimonio conversorum, si post receptum baptisma illud consummaverint (n. 1007). Quod si ex duobus conjugibus infidelibus unus transit ad religionem Christianam, remanente altero in infidelitate, matrimonium non gaudet eadem firmitate ac matrimonium Christianorum, ideoque non est sacramentum, nisi ad instar matrimonii infidelium. Pariter DD. disputant an matrimonium *inter fidelem et infidelem*, obtenta dispensatione ab impedimento dirimenti disparitatis cultus, sit sacramentum aliis putantibus hujusmodi esse pro neutra, aliis pro parte tantum fideli. Nempe individuus contractus juxta nonnullos est sacramentum, sed gratia confertur tantum fideli, non infideli, obstante obice; juxta alios non est sacramentum, ideoque neutri gratia confertur, quae sententia communior est « Eligat studiosus lector opinionem sibi magis gratam, cum pro utraque militent eximii theologi ac doctores » Clericatus *De matr. decis.* 4, *n.* 25 (3).

(1) Vecchiotti *III*, § 74. Pirhing *IV*, *I*, *n.* 4.
(2) At vero consensus renovatio exigi prohibetur: de quo alibi.
(3) Ballerini-Gury *II*, *n.* 772.

Digitized by Google

230. Post haec omnia matrimonium inter Christianos, posita ejus elevatione ad dignitatem sacramenti, potest definiri: *contractus legitimus inter marem et foeminam individuam vitae consuetudinem afferens a Christo D. ad dignitatem veri ac proprie dicti sacramenti N. L. evectus.*

231. Moralistae quaerunt, utrum in hoc sacramento locum habeat *prop.* 1ª damnata ab Inn. XI: « Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiori, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis aut episcopalis », ideoque utrum sit illicitum *ex hoc capite* contrahere matrimonium probabiliter vel certo invalidum. D'Annibale, *III*, § 295, respondet: « Negantium sententia mihi verior est, quia cum contractus heic sit principale, sacramentum vero accessorium, omnia ex contractu aestimari debent, non ex sacramento. Is igitur qui irritas coit nuptias, contractum directe et in se invalidum facit (quod sacrilegio vacat proculdubio), sacramentum vero indirecte et per accidens ». Et in *nota* 31 pluribus AA. citatis, addit: « Adeoque sacrilegii non tenetur, qui contrahit simulate, quia non sacramentum simulat, sed contractum (Sanchez, *I, XI n.* 2; Croix, *VI, I, n.* 162). *Ex hoc capite*: nam si alterum decipit, vel coeundi animum habet, a lethali *illic* nonnisi ex gravi causa, *hic* nunquam omnino excusatur: et si sacrum ritum adhibuit, nisi fecerit ex metu gravi, alicujus sacrilegii quoque tenebitur (Laym. *Par. IV, I, n.* 5) ». Vide etiam quae dicimus n. 795.

Articulus II

Quotuplex dicatur matrimonium.

232. Si matrimoniale vinculum revera existit, matrimonium dicitur *validum* seu *verum, legitimum, ratum, consummatum, praesumptum, ad morganaticam.* Si vinculum non existit, dicitur *invalidum, attentatum, nullum, putativum.* Si solemnitates servatae sunt, habes matrimo-

Digitized by Google

nium *publicum;* secus *clandestinum*, *conscientiae*, *civile*. Quid sit matrimonium *in fieri* et matrimonium *in facto esse*, jam satis constat. Haec breviter explicamus per ordinem.

233. *Validum* est matrimonium si nullum obest impedimentum dirimens in sensu lato (n. 247), et appellatur etiam *verum*. Quod si neque impedimentum impediens adest, est validum et licitum ; secus est validum, sed illicitum.

234. *Legitimum*, si vim nominis spectes, est matrimonium, servatis saltem legibus dirimentibus, celebratum ; quo in sensu haec appellatio etiam matrimonio fidelium valido convenit. Sed hodie in sensu stricto matrimonium legitimum intelligitur matrimonium validum inter infideles, quod nempe initur inter duos infideles, salvis legibus dirimentibus juris divini seu naturalis seu positivi, et salvis quoque (quod certum putamus n. 281 sequ.) legibus civilibus dirimentibus. Ben. XIV, *De Syn. VIII, XII*, *n.* 5 haec habet : « Quamquam hodie nomine matrimonii legitimi et non rati communiter intelligamus matrimonium infidelium, olim tamen a juris canonici peritis etiam inter matrimonia fidelium fuisse hanc adhibitam distinctionem, ut alia dicerentur legitima et rata, alia rata dumtaxat sed non legitima, testis est Gratianus qui in fine *qu.* 1, *c.* 28, loquens de conjugiis fidelium haec scribit : *Horum quaedam sunt legitima, velut cum uxor a parentibus traditur, a sponso dotatur et a sacerdote benedicitur. Haec talia conjugia legitima et rata appellantur. Illorum vero cunjugia qui contemptis omnibus illis solemnitatibus solo affectu aliquam sibi in conjugem copulant, hujusmodi conjugium non legitimum, sed ratum tantummodo esse creditur* ».

235. *Ratum,* idest receptum, dici solet matrimonium inter fideles. Et quidem sensu magis proprio ratum dicitur fidelium conjugium validum et licitum, quia Ecclesia illud magis recipit et approbat undequaque. Sensu proprio appellatur ratum, si est validum etsi illicitum, quia Ecclesia, recognoscens illud validum, jam recipit, et hoc sensu Conc. Trid. *sess. XXIV*, *cap. I de ref. mat.* matrimonia clandestina *rata* appellat. Sensu minus proprio nuncupatur ratum matrimonium, si est contractum in forma Tridentina, ubi

Digitized by Google

decretum Concilii viget, etsi sit invalidum. Tandem in sensu improprio et latissimo dicitur ratum matrimonium fidelium etiam nullum ob defectum formae Tridentinae. Ita e. g. S. Poenitentiaria 13 *Martii* 1820, docet : « Matrimonia contracta coram civili magistratu, cum contrahentes ad legitimum suum pastorem aut ad alium sacerdotem ab eo delegatum recursum habere poterant, matrimonia fuerunt in sensu Ecclesiae clandestina. Matrimonia autem *rata*, licet irrita, clandestina impedimentum parere publicae honestatis, illudque usque ad quartum gradum ex declaratione S. Pii V et Cardinalium, dictum jam est in superiori responsione. Idem ergo impedimentum eodemque modo pariunt etiam matrimonia ista civilia, et illud quidem, etiamsi deinceps non fuerunt consummata » (1). Tandem animadvertimus in communi loquendi usu matrimonium ratum saepe dici in oppositionem ad matrimonium consummatum.

236. *Consummatum* dicitur matrimonium legitimum aut ratum validum, si copula carnali perfecta deinde completum est. Sed quaenam requirantur et sufficiant ad matrimonii consummationem, vide n. 960 sequ. (2).

237. *Praesumptum* matrimonium habetur quando, posito aliquo facto, jus praesumit illud initum fuisse praesumptione juris et de jure. Id locum habet : 1° quando inito matrimonio sub conditione de futuro contingenti et honesto conjuges liberam copulam ponunt ; 2° quando post matrimonium invalide initum ab impuberibus ratione aetatis, adepta pubertate, signa interveniunt ratificati consensus, cujusmodi sunt carnalis copula, oscula, amplexus, cohabitatio... De primo sermo est n. 847, de altero n. 1136. Alium casum matrimonii praesumpti nunc abrogatum vide n. 36 sequ. Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. I de ref. mat.* statuens matrimonium esse nullum, nisi contrahatur coram proprio parocho vel alio sacerdote de parochi seu Ordinarii licentia, et

(1) Feije, *n.* 401 *coll.* 406 ; Corradus, *VIII, VII, n.* 30. S. Poenitentiaria relatis verbis docet impedimentum publicae honestatis oriri ex clandestinis conjugiis; sed vide n. 726 sequ.

(2) De partitione matrimonii in legitimun, ratum, consummatum vide Berardi, *III, diss. I, quaest. I.*

Digitized by Google

coram duobus saltem testibus, haec praesumpta conjugia eo ipso suppressit. Proinde non amplius habentur in locis, in quibus publicatum est et viget cit. decretum Tridentinum.

238. *Ad morganaticam* appellatur matrimonium, quando vir nobilis, praesertim post susceptos ex nobili uxore liberos, alteram ex humiliore conditione ducit, servatis omnibus Ecclesiae legibus et solemnitatibus; ea tamen lege, ut uxor et filii ex eo matrimonio habiti, nil sibi juris ex eo acquirere possint praeterquam ad ea, quae ad honestam substentationem necessaria sunt. Hinc uxor et filii non admittuntur plene in familiam viri, nec assequuntur nobilitatem et titulos dignitatis familiae, nec filii succedunt in universam patris haereditatem. Haec conditio respicit civiles matrimonii effectus, per se honesta est, et ab Ecclesia recipi potest. *Morganaticum* est vox germanica (nam in Germania praesertim haec matrimonia in usu sunt), ducta a *morgen*, matutinum, et *gab*, donum; quia nempe uxor et filii contenti esse debent solo illo dono, quod sibi ab initio, quasi matutino die nuptiarum, tribuitur. A nonnullis dicitur etiam matrimonium *sinistræ manus*, a Gallis *ad legem salicam* (1).

239. *Invalidum* est matrimonium, si aliquod est impedimentum dirimens sensu lato. Et dicitur *attentatum* si utraque vel alterutra pars cum scientia impedimenti illud inire ausa sit: nam attentare est actum scienter ponere lege prohibitum, praesertim invalidum. Dicitur quoque *nullum*, si forma substantiali careat. Atque hic recolenda est distinctio inter actum *nullum* et *irritum*, si proprie quis loqui velit. Actus « *irritus* est qui aliquo vitio laborat; *nullus* qui non sua forma (substantiali) constat. Ille non plane inutilis est, e. g. in jure civili usucapiendi conditionem praestat (*II*, 153, 19); hic pro infecto est, nempe forma est, quae dat esse rei. Quamobrem clandestina matrimonia, si proprie loqui velimus, irrita dicenda non sunt, sed omnino non sunt; non entis autem nullae sunt qualitates ». D'Annibale, *III*, § 304, *n.* 27. Nimirum, si forma Tridentina, ubi urget, penitus neglecta fuit.

(1) Scavini, *III*, *n.* 994.

Digitized by Google

240. Matrimonium invalidum aliquando dicitur habere *speciem seu figuram matrimonii*, aliquando eam non habere. Juxta nonnullos *species* seu *figura* matrimonii consistit in expressione consensus matrimonialis, licet hic vinculum non producat ob aliquod dirimens impedimentum. Unde in hac sententia matrimonium, licet invalidum, habet speciem seu figuram matrimonii, si consensus matrimonialis expressus fuit, secus non habet (1). Sed ex dictis res melius determinanda est. Nempe in genere dici potest *speciem* seu *figuram* matrimonii consistere *in expressione consensus in forma substantiali*: nam forma substantialis dat speciem, aut, si mavis, *species* et *forma* idem est. Atqui forma substantialis, ubi viget decretum *Tametsi* Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. I, de ref. mat.*, est forma Tridentina; ubi non viget, est talis expressio quae jure naturae sufficiat. Ergo in locis, in quibus non viget cit. decretum, matrimonium habebit *speciem* seu *figuram* matrimonii, si mutuus consensus matrimonialis expressus fuit ita ut jure naturae satis sit, etiam clandestine, licet ob aliquod dirimens impedimentum sit invalidum; secus hac quoque specie seu figura carebit, et erit merus concubinatus. In locis autem in quibus viget cit. decretum, matrimonium habebit *speciem* seu *figuram* matrimonii, si in forma Tridentina initum fuit, licet ob dirimens impedimentum validum non sit: secus nec speciem, nec figuram matrimonii habebit et merus concubinatus rursus dicendus erit. Quid vero si forma Tridentina servata fuerit, sed aliquo defectu essentiali laboret, e. g. si deinde constet parochum non esse proprium? Putamus adesse speciem seu figuram matrimonii, nam habetur species seu figura formae. Valde interesse poterit dignoscere utrum matrimonium etsi nullum gaudeat specie matrimonii necne. Nam 1° si matrimonium habet speciem seu figuram matrimonii, locum habet principium: *in dubio standum est pro valore matrimonii*; secus hoc principium non applicatur. 2° Si matrimonium habet speciem seu figuram matrimonii obtineri facilius potest sanatio in radice,

(1) Feje *n.* 406, 768, 783.

Digitized by Google

quae secus difficilius conceditur. At nostris diebus S. Poenitentiaria non raro elargitur hanc in radice sanationem pro matrimonio civili, quod ex dictis speciem aut figuram matrimonii non habet; sed de hoc alias.

241. *Putativum* est quod ab ipsis conjugibus, vel saltem ab alterutro bona fide habetur validum, et reipsa est invalidum ob latens impedimentum dirimens. Hoc matrimonium non solum gaudet favore juris, sed insuper satis est pro liberorum legitimitate (n. 1119).

242. *Publicum* est illud, quod in facie Ecclesiae publice initur, factis publicationibus, aut iis legitime dispensatis, et in forma praescripta ab Ecclesia.

243. *Clandestinum* est illud quod *clam* idest secreto initum fuit: quod tamen multiplex esse potest. 1° Dicitur clandestinum matrimonium, si neglectae fuerunt publicationes, licet deinde matrimonium publice factum sit in ecclesia et in forma praescripta; sed improprie tantum haec appellatio tali matrimonio applicatur. Proposito dubio: « An omissis edictis, hujusmodi matrimonium dicatur clandestinum, prolesque illegitima, veluti si sine testibus et parocho contraheretur ». S. C. C. *in Hieracen. an*, 1587 respondit: « Non dici (clandestinum), sed contrahentes incidere in poenam excommunicationis in constitutionibus synodalibus propositam ». 2° Aliquando appellatur clandestinum etiam matrimonium *conscientiae*, quando scilicet publicationes fuerunt dispensatae et forma substantialis servata est, sed matrimonium cum permissione Ordinarii contractum est non in ecclesia publice, sed secreto. De hoc matrimonio conscientiae sermo est n. 1023. 3° Nuncupatur quoque clandestinum matrimonium, si contrahitur servata forma substantiali, sed spreta accidentali; e. g. nupturientes una cum testibus sub aliquo praetextu convocant parochum et coram ipso et testibus exprimunt consensum maritalem. 4° Tandem sensu proprio ac stricto appellatur clandestinum matrimonium, si forma substantialis Tridentina servata non fuit. Quod si clandestinum conjugium coram magistratu civili, servatis legibus civilibus contrahatur, dicitur *civile*. De hoc civili matrimonio loquemur in appendice hujus tractatus.

Digitized by Google

CAPUT IV

DE PERSONIS HABILIBUS AD MATRIMONIUM INEUNDUM SEU DE IMPEDIMENTIS MATRIMONIALIBUS.

SECTIO I

De impedimentis in genere.

Articulus I

Notio et divisio impedimentorum.

§ 1ª. — *Quid sit impedimentum.*

244. Matrimonium cujus in praecedenti capite notionem declaravimus sive in lege naturae sive in lege evangelica, ut rite ineatur, prae primis requirit, ut partes habiles sint ad contrahendum. Modo inquirimus, quinam valeant matrimonium contrahere, atque ita explicamus quit sit *matrimoniale impedimentum*. Principium generale tradit Inn. III in *cap.* 23. *De sponsalibus...*, « cum prohibitorium sit edictum de matrimonio contrahendo, ut *quicumque non prohibetur per consequentiam admittatur*, et sufficiat ad matrimonium solus consensus illorum, de quorum quarumque conjunctionibus agitur... ». Proinde regula est: omnes possunt, qui non prohibentur.

245. Jam vero nonnulli prohibentur *jure divino* vel naturali vel positivo a conjugio sive simpliciter e. g. impotentes absolute, sive temporanee e. g. infantes, sive particulariter e. g. cum hac vel illa persona. Alii item prohibentur *jure humano competenti* a matrimonio sive simpliciter post obligationem ab eis sponte susceptam (n. 215), sive temporanee, sive particulariter, sive etiam a matrimonio sine hac vel illa

Digitized by Google

solemnitate. Igitur regula erit : omnes possunt, qui non prohibentur jure divino, aut jure humano competenti. P. Sanguinetti S. I. in ephem. *Journal de Droit Canon, et de la Jurisprudence Canonique*, *Avril* 1887 docet Ecclesiam sua potestate jurisdictionis conferre fidelibus capacitatem ineundi matrimonium. « C'est celui-ci en effet (potestas jurisdictionis in Ecclesia) qui confère la compétence au juge dans le tribunal sacramentel et qui donne aux fidèles la capacité de contracter le mariage élevé par Jésus-Christ a la dignité de sacrement ». Haec loquutio non est accurata, ne dicamus omnino falsam. Fideles enim recepto baptismate habent absque ulla Ecclesiae concessione capacitatem ineundi sacramentum matrimonii, nisi aliquod obsit impedimentum ; dum sacerdos non habet jurisdictionem pro sacramento poenitentiae, nisi ei positive ab Ecclesia concedatur.

246. Heic autem notandum est jus divinum et jus humanum competens arcere posse a matrimonio dupliciter ; vel ita ut matrimonium forte initum sit illicitum, sed validum ; vel ita ut sit quoque invalidum. De facto non solum matrimonium sed etiam alii actus contra jus divinum et canonicum aliquando sunt tantum illiciti, aliquando sunt etiam irriti, quia jure canonico (et ita etiam jure divino) « multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem » ait Inn. III in *cap.* 16 *De regularibus ;* et *regula* 64 *juris in* 6 « quae contra jus fiunt, debent utique pro infectis habere » debet intelligi hoc sensu : quae contra jus prohibens et irritans fiunt (1)..... Imo jure canonico receptum est principium : actus contra jus illicitus sed validus est, nisi jus munitum sit clausula irritanti (2). Hoc principium etiam in re nostra applicandum est : unde matrimonium contra legem initum illicitum quidem, sed validum

(1) Jure Romano adest celebris *l.* 5, *C. De legibus*, qua cautum fuerat ea quae fiunt lege prohibente pro infectis haberi. Inconsulta lex quae DD. torquet, et ex qua desumpta esse videtur cit. *regula* 64 *juris in* 6. Caeterum etiam in jure Romano nonnulla exempla habentur actuum lege prohibitorum, et tamen validorum, quae citat Berardi *Jus. Ecc. Un. III, IV, I.*

(2) Contra jure Romano aliud principium : actus est quoque irritus, nisi lege aliquo modo declaretur validus. Vide Voet *Comm. ad Pandectas tit. De legibus n.* 16 *sequ.*

Digitized by Google

erit, nisi lex habeat clausulam irritantem (1). Jus irritans divinum aut humanum adimit contrahendi potentiam, reddens personam prorsus inhabilem et incapacem ad contrahendum : unde nil mirum si matrimonium forte initum sit nullum. Jus prohibens tantum vetat personae, ne sua potentia contrahendi utatur, ac proinde patet matrimonium forte contractum validum esse, quia actus validus est, quoties agendi potentia adest. Et quidem si mala fide partes illud ineunt, peccant ; sin bona, ne peccant quidem.

247. Jam vero *illa circumstantia quae ex lege vel divina vel humana arcet a nuptiis seu licite seu valide contrahendis* dicitur *impedimentum matrimoniale* (2). Non omnes AA. iisdem verbis definitionem impedimenti matrimonialis concinnant, sed tradita est accuratior. Quidam enim impedimentum matrimoniale definiunt *obstaculum morale*, quod non videtur comprehendere impotentiam, quae est obstaculum physicum ; alii *inhabilitatem*, quae minus proprie convenit impedimentis impedientibus, et praeterea est potius effectus impedimenti. Et quidem quae *a licite tantum*, appellantur impedimenta *impedientia* ; quae etiam a *valide contrahendis nuptiis* arcent, vocantur dirimentia « verbo haec magis quam sensu inconcinno : non enim initum dirimunt, si forte post supervenerint, sed valide iniri vetant » D'Annibale *l. c.* Berardi *Jus Ecc. III, IV, VII, I* putat prima horum nominum (non rei) lineamenta esse apud Caelest. III in *cap.* 6, *Qui cler. vel vov.* Impedimenta matrimonialia afficere solent immediate contractum, et consequenter sacramentum ; pars scilicet arcetur a contractu, et ideo a sacramento.

248. Porro DD. animadvertere solent impedimenta dirimentia distribui posse in triplicem classem. Alia enim dirimunt *ex parte personae*, quia nempe personam reddunt directe et prorsus inhabilem ad valide contrahendum vel

(1) Sanchez *VII, II* ubi plures recenset et rejicit sententias, et *VII, LII, n.* 5 ubi exponit quandonam matrimonium jure naturae dici debeat irritum ; Berardi *III, IV, I* ; Ben. XIV *De Syn. XII, V, n.* 3 cum communi. Berardi *l. c.* declarat quandonam clausula irritans legi insit vel explicite vel implicite.

(2) D'Annibale *III*, § 207.

Digitized by Google

absolute, e. g. ordo sacer, vel relative, e. g. consanguinitas ; etsi persona velit et formam substantialem servet. Proinde haec impedimenta recidunt in leges inhabilitantes. Alia dirimunt *ex parte consensus*, quia scilicet persona est habilis, sed *non vult* matrimonium, seu consensum internum requisitum non habet. Unum tandem dirimit *ex parte formae*, quia nimirum persona est habilis, et rite consentit, sed forma Tridentina servata non fuit (1). Cum d'Annibale *III*, § 208 aliisque prima tantum stricta significatione intelligimus impedimenta dirimentia. Etiam ex impedientibus alia se tenent ex parte solemnitatum, quarum neglectus reddit matrimonium illicitum, e. g. omissio publicationum aut formae liturgicae ; alia afficiunt ipsam personam contrahentis, quae est inhabilis ad licitum conjugium vel absolute vel relative, e. g. votum simplex perpetuae castitatis, mixta religio etc. Proinde et haec posteriora recidunt in leges inhabilitantes, licet minus proprie, quia inhabilitas in jure intelligitur potius radicalis ad actum : haecque proprio sensu accipimus impedimenta impedientia. Igitur in hoc idearum ordine regula determinans personas habiles huc redit : omnes possunt, qui nullo detinentur impedimento, dummodo caeteroquin velint, et praescriptas servent solemnitates. Sub hoc capite nos exponimus haec impedimenta, in capite sequenti loquimur de consensu matrimoniali, et in *cap. VI* de matrimonii forma tum substantiali, tum accidentali.

Sed antea plura alia praemittenda sunt de impedimentis in genere, et quidem latiori sensu acceptis.

§ 2. — *Quotuplex sit impedimentum.*

249. Sub hac paragrapho praecipuas recensemus impedimentorum matrimonialium seu dirimentium seu impedientium classificationes.

I. Alia sunt *juris divini* vel *positivi* vel *naturalis ;* alia sunt *juris humani* vel *ecclesiastici* pro baptizatis vel *civilis* pro *infidelibus*. Haec distinctio per se clara est : quae-

(1) S. Thomas *IV Sent. dist. XXXIV, q. I, a. I* ; Sanchez *VII, VI, n.* 4 ; Zitelli *Apparatus II, II, VII,* § 5 ; Marc *n.* 1998.

Digitized by Google

nam autem impedimenta sint juris divini positivi, vel juris divini naturalis, vel juris humani tantum, agentes de singulis pro unoquoque infra determinabimus.

250. II. Alia sunt absoluta quae personam removent a matrimonio quocumque, e. g. Ordo Sacer, ligamen..., alia *relativa*, quae obstant matrimonio alicujus personae cum alia vel aliis determinatis personis tantum e. g. disparitas cultus, cognatio... Etiam haec distinctio nullam patitur difficultatem.

251. III. Alia sunt *publica*, alia *occulta* (1); quae quidem verba diversum habent sensum in diversa materia.

1° Si matrimonium nulliter in facie Ecclesiae contractum fuit, et modo quaeratur pro ipsius revalidatione an consensus denuo exprimi debeat coram parocho et testibus juxta decretum *Tametsi* in loco vigens, responsio est formam Tridentinam esse necessariam, si impedimentum fuit *publicum*, non esse necessariam, si fuit *occultum* (2). Jam vero in casu impedimentum *publicum* illud intelligitur quod in foro externo probari potest; secus appellatur *occultum*. Ad rem folium S. C. C. in *Mohilovien.* seu *Tiraspolen. Nullitatis matrimonii* 9 *Julii* 1881 docet: « Publicum vero hoc in casu haberi (impedimentum) non modo quod notum pluribus est, sed etiam quod in judicium deduci ac probari quandocumque potest... Communi jurisprudentia receptum est publicum omnino haberi impedimentum. quod licet actu occultum sit, quandocumque vulgari et probari potest. Reiff. *App. n. 44 et* 60 ». Curnam vero si impedimentum fuerat publicum, in sensu explicato, pro matrimonii revalidatione rursus forma Tridentina requiratur, non vero si fuerat occultum, declarat Ben. XIV *Inst. Ecc.* 87, n° 62, cujus verba habes n. 1132. Sed de hac re fusius in *cap. IX, art. I.*

252. 2° In materia vero dispensationum notum est et nos infra fusius declaramus, in *publicis* impedimentis dispen-

(1) Haec distinctio nihil commune habet cum alia, licet similibus verbis concepta, in usu penes nonnullos Germaniae AA., qui impedimenta dividunt in *publica* seu *juris publici*, et *privata* seu *juris privati* : illa pro fine habent sanctitatem ipsius matrimonii Christiani, haec bonum singularum personarum. Hanc distinctionem non approbat Feje *n.* 85.

(2) Lehmkuhl *II, n.* 738, 824.

Digitized by Google

sare S. Datariam pro omnibus, et etiam S. Poenitentiariam pro pauperibus ; in *occultis* autem dispensare S. Poenitentiariam pro omnibus ; quae tunc semper addit clausulam : *Dummodo impedimentum sit occultum*, et aliquando : *Dummodo impedimentum sit omnino occultum*. Videamus igitur quid in curia Romana his vocabulis intelligatur. In primis notandum nonnulla impedimenta esse naturâ publica, quae scilicet resultant ex facto de se publico, idest impedimentum consanguinitatis, affinitatis ex copula licita, cognationis legalis et spiritualis, disparitatis cultus, Ordinis Sacri, voti solemnis, honestatis publicae *saltem* ex matrimonio in facie Ecclesiae inito et ex sponsalibus publicis (1). Igitur si haec impedimenta de facto ignota sunt, erunt naturâ publica, et de facto occulta, sed habentur uti publica. Alia autem impedimenta et praesertim quae ex crimine et quidem potissimum ex copula illicita procedunt, aliquando sunt publica, aliquando occulta aut simpliciter aut omnino. *Omnino* occultum est impedimentum, si nemini notum est praeterquam partibus et confessario. Quid si uni tantum personae ? Nonnulli censent impedimentum jam amplius non esse *omnino occultum* : sed affirmandum videtur ex doctrina Ben. XIV et Fagnani infra citanda. Suadendum est tamen, ut in supplici libello pro dispensatione exprimatur impedimentum, praeterquam partibus et confessario, notum esse uni personae. *Occultum* simpliciter est impedimentum, si notum est in oppido sex personis, in civitate octo, nisi eae personae tales siut, ut proximum divulgationis periculum adsit : tunc enim impedimentum habetur uti publicum. Haec est doctrina omnium illorum, qui praxim S. Poenitentiariae apprime cognoscunt, quos mox cum Ben. XIV citabimus. Subdit autem S. Alph. *VI, n.* 1111 « Sed ego scio S. Poenitentiariam dispensasse in impedimento quodam consanguinitatis

(1) Bangen *II, pag.* 167. *sequ.* Feje, *n.* 97, 605. Nil dicimus de impedimentis ligaminis et impotentiae, cum in iis dispensatio non detur. *Saltem*, quia nonnulli (Bangen *l. c. pag.* 171) censent impedimentum publicae honestatis esse semper natura sua publicum, etsi sponsalia seu de futuro seu de praesenti illud producentia occulta sint. Imo S. Dataria putat ex sponsalibus occultis nullum oriri impedimentum publicae honestatis (n. 715).

Digitized by Google

noto decem circiter personis « Fortasse quia civitas erat valde populosa. Tandem impedimentum est *publicum*, si pluribus personis in oppido aut civitate innotescit ; et hoc potest esse famosum, manifestum, notorium seu jure seu facto (1). Caeterum utrum locus ille sit oppidum vel civitas ex numero habitantium judicandum est. Ad omnes anxietates removendas, in supplici libello indicetur numerus habitantium loci, numerus et qualitas personarum quae impedimentum noscunt, aliaeque circumstantiae ad rem facientes. Alias quaestiones huc spectantes solutas habes in sequenti citatione.

Ben. XIV *Inst. Ecc.* 87, *n.* 39 *sequ.* declarat post alias clausulam : *Dummodo impedimentum praefatum occultum sit*, quae omnibus dispensationibus matrimonialibus pro foro interno additur a S. Poenitentiaria, adducta etiam auctoritate aliorum, qui in S. Poenitentiaria operam praestiterunt. Cum vero haec materia non levis momenti sit pro praxi, ejus verba, licet longiora, damus a n. 43 :

« Antequam judicium nostrum in hac difficillima re exponamus, duo potissimum monenda sunt. Primum a confessario, priusquam litteras S. Poenitentiariae exequatur, diligenter accurateque examinandum illud mandatum : *Dummodo occultum sit impedimentum*, quo talis conditio praescribitur : *sine qua*, ait Navarrus (2), *S. Poenitentiaria tali materiae manum non apponeret* : Secundo ut occultum impedimentum dignoscatur, parum conferre putamus, si illorum sententiae tantum investigentur, qui nulla experientia praediti S. Poenitentiariae, de hac re temere scripserunt ; sed necessarium ducimus perscrutari, quid hoc vocabulo *occulti impedimenti* ab eodem Sacro Tribunali intelligatur. Haec autem cognitio ab illis solum comparari potest, qui munus aliquod in ipso Tribunali gesserunt.

« Prosper Fagnanus... de occulto impedimento sapienter sermonem instituit (3). Et primum ostendit illud *occultum* impedimentum dici, quod nullo pacto demonstrari potest et

(1) Carriere *De matr.*, *n.* 1127. Feje *n.* 86.
(2) *Manuduct. pract. execut. litter. S. Poenit. p.* 19, § *Animadvertere.*
(3) Comm. *cap. 7, n. 45 sequ. De cohab. cleric. et mul.*

Digitized by Google

Dei solum judicio permittitur; impedimentum vero *quasi occultum* illud esse, quod solum duobus, tribus, aut quinque testibus comprobatur. Post haec scriptum reliquit ». *Dicitur impedimentum, vel crimen occultum, licet aliquibus sit notum, puta quatuor vel quinque, et hanc opinionem servat S. Poenitentiaria* Deinde hanc ipsam opinionem improbat, si S. Poenitentiaria iisv erbis non utatur : *Dummodo impedimentum occultum sit*, sed illis potius : *Dummodo impedimentum omnino occultum sit.* Plerumque id accidit, cum impedimentum criminis dispensandum proponitur; potissimum vero cum uterque conjux novo matrimonio copulatur, postquam necem prioris conjugis molitus fuerit : *Dummodo omnino occultum sit, quod uterque oratorum in morte dicti mariti machinatus sit, et plane ignoretur quod ejus mors inde sequuta sit*, et delinquentibus solum innotescat. Quod si duo, quatuor aut quinque crimen ipsum deprehenderint tunc occultum minime diceretur.

Marcus Paulus Leo..... haec tradit (1) : *Dicendum secundo notitiam duorum vel trium nec minus nocere, quominus aliquod delictum sit occultum.* Thesaurus etiam ita scribit (2) : *Etiamsi res sit nota duobus vel tribus res occulta dicitur. Item si quinque vel sex personis in aliquo oppido, vel septem aut octo in civitate res nota sit, non dicitur publica sed occulta.* Idem affirmat irritam dici nequaquam posse dispensationem a Poenitentiaria concessam illis etiam verbis superadditis, *dummodo occultum,* licet impedimentum notum sit tot hominibus, quot superius indicavit. Tiburtius Navarrus idem plane fatetur (3) : *Res adhuc est occulta, si in oppido est nota quinque aut sex personis, in civitate vero septem aut octo adhuc occulta censeri debet, modo scilicet ab illis non fuerit divulgata.* Syrus (4) haec habet ». *Si delictum est notum duobus vel tribus alicujus loci, aut communitatis, aut capituli, occultum censetur. Si in oppido sit notum quinque aut sex*

(1) Formul. *Disp. matrim. part. II, pag.* 131.
(2) *De poenis eccles. part. I, cap.* 21.
(3) *Cit. Manuduct. pag.* 19.
(4) *De prax. execut. epist. Poenit. part. II, pag.* 269.

Digitized by Google

personis, in civitate vero septem, aut octo adhuc censetur occultum. Navarrus vero ac Thesaurus monent Confessarium, ut abstineat ab exequenda dispensatione, si prudenti conjectura intelligat post breve tempus futurum esse publicum, quod a paucis antea cognoscebatur.

» Non omittunt iidem scriptores reliquas quaestiones... in examen vocare. Ac primo : utrum occultum impedimentum censeatur, quod quidem publice dignoscitur in eo loco ubi contractum fuit, sive alibi, occultum tamen est, ubi degunt qui dispensationem expostulant, et ubi dispensatio ipsa conceditur. Navarrus sapienter admonet confessarium, ut minime exequatur dispensationem, si forte quis Majori Poenitentiario declaraverit crimen esse occultum in civitate, ex. gr. Bononiae, ubi vitam agit et dispensatio tradenda est exequutioni, deinde silentio praetermiserit idem crimen publicum esse Neapoli, ubi patratum fuit. Tunc confessarius reum hortetur, ut ad Poenitentiariam rursum confugiat ipsique patefaciat, quod prius omisit, suum nempe crimen per urbem Neapolis esse divulgatum. Sin autem id totum expositum fuisse in supplici libello confessarius depretendat ex litteris S. Poenitentiariae, tunc absque ulla difficultate pareat, et litteras exequatur.

Secundo inquirunt : utrum impedimentum quod fuit aliquando publicum, diuturnitate temporis occultum fieri possit, ita ut dispensatio tribuenda videatur. Equidem Marcus Paulus Leo sic respondet. « *Notandum quarto et ultimo, non implicare, quod aliquid a sui origine et principio fuerit publicum, et tractu temporis fiat occultum. Tempus enim omnia devorat, et quae non delet ab hominum memoria diuturnitas temporis? Hoc autem genus occultorum etiam pluries meo tempore Signatura Officii S. Poenitentiariae admisit, sed non eodem modo in omnibus casibus ; in dispensationibus matrimonialibus per decennium, in irregularitatibus per viginti aut triginta annorum spatium.*

» Postremo judicium nostrum libere feremus de illa quaestione, an occultum ideoque solvendum censeri debeat impedimentum, quod theologi materialiter publicum, sed

Digitized by Google

formaliter occultum appellant. Exemplis rem totam palam faciemus. Si quis monialium claustra ingressus fuerit absque facultate, quam tamen ipsi concessam antea caeteri omnes arbitrantur ; item si quis hominem consulto interfecerit, populus tamen judicet id fortuito contigisse ut vitam suam tueretur ; tandem si quis excommunicatus rem divinam fecerit, antequam illis vinculis et poena solveretur, illum tamen jam absolutum omnes putant ; si, inquam, ita res se habeat, nos ingenue fatemur et credimus, crimen hujusmodi tanquam occultum a S. Poenitentiaria dispensari posse, et ipsius litteras exequutioni mandandas a confessario, cum ipsum crimen occulti limites non excedat. Contra vero est si crimen publice innotescat, licet omnes fere ignorent poenam ipsi crimini irrogatam, quae *ignorantia juris* dicitur. Exemplum afferatur de muliere, quae consilium nefarium iniit cum alio viro de marito suo necando. Si hoc scelus in populum evulgatum certo fuerit, licet perpauci intelligant ob hanc causam *criminis* impedimentum interponi, ne eadem mulier post illatam marito necem cum illo scelesto homine matrimonio jungatur ; si, inquam, id contingat, tunc rem captu difficilem semper existimavimus impedimentum hujus generis tanquam occultum haberi posse, litterisque parendum Poenitentiariae, quibus illud decernitur : *Dummodo occultum.* — Et profecto si hoc statueretur, jam crimen omne affirnitatis *ex copula illicita*, et omne impedimentum *criminis*, licet haec publica sint, dispensari tamen poterunt tanquam occulta ; nam satis experientia compertum est omnia impedimenta (si illud consanguineitatis et affinitatis *ex copula licita* solum excludas), ignota esse, non modo oppidanis, sed illis etiam qui in magnis civitatibus versantur. Postremo nos ipsi jurejurando affirmare possumus per tot annos, quibus S. Poenitentiariae addicti fuimus, suffragiumque nostrum, cum res ejusmodi proponerentur, scripto seu voce tenus dedimus, semper in more positum fuisse, ut impedimentum publicum *materialiter* spectaretur, et numquam eo nos devenisse, ut examen fieret an impedimentum *formaliter* occultum censendum esset. P. Thesauri auctoritatem proferamus, qui superius allatam

Digitized by Google

sententiam impróbat tanquam S. Poenitentiariae institutis ac consuetudini omnino contrariam, cui se accomodare debent, qui ipsius litteras seu diplomata exequuntur : *Aliqui* (ait Thesaurus *l. c.*) *audent ulterius et dicunt, etiamsi sit publicum ut delictum, si tamen sit occultum in ratione poenae annexae a jure, posse dispensari vel absolvi ab illis tanquam in occultis. Tamen contrarium tenendum est, quia haec est juris ignorantia, quae non excusat ad hunc effectum, et hoc observat S. Poenitentiaria.* »

Trid. Synodus (1) impertit Episcopis, ut sibi subiectos dissolvere queant ab irregularitatibus cunctisque suspensionibus, quae ab occulto crimine proveniunt ; deinde certos quosdam limites huic amplissimae facultati constituit, ac praesertim si ipsum crimen in forum contentiosum fuerit antea deductum : *Exceptis aliis deductis ad forum contentiosum* : Eosdem limites praescribit S. Poenitentiaria, quae non occultum sed publicum et omnibus perspectum crimen illud existimat, ex quo venit impedimentum, si semel in *forum contentiosum* adducatur : nisi forte reus sententia judicis in eodem foro declaratus fuerit innocens : tunc enim crimen tanquam occultum putat et dispensatione solvendum : *Aut tanquam repertus innocens* (inquit Fagnanus *l. c.*) *et non culpabilis, aut tanquam absolutus ex hactenus deductis vel ex observatione judicii, seu tanquam non repertus culpabilis, nec de jure punibilis.* Idem Fagnanus monet dissolvi non posse impedimentum, cum in forum contentiosum crimen allatum fuit, ubi reus nullam ex iis sententiis, quas superius memoravimus, obtinuit, sed in libertatem redditus est, interposita illa conditione et cautione *de repraesentando*. Caeteri qui de iis rebus scripserunt, occultum fore docent crimen, quod in foro contentioso examinatur, si forte aliqua ex iisdem sententiis comparetur per falsos testes aliasque rationes, quae ab aequitate abhorrent. Nam licet hoc pacto semper impedimentum supersit, infamia tamen obliteratur, et crimen ipsum quibusdam tenebris obducitur. »

(1) *Sess. XXIV, cap. VI de ref. mat.*

Digitized by Google

253. IV. Tandem alia sunt *certa*, alia *dubia*. Haec distinctio in se clara est : sed de impedimentis dubiis nonnulla non levis momenti notanda sunt. Dubium potest esse vel *facti tantum*, si nempe certum est ex eo facto oriri impedimentum, sed dubium est, utrum illud factum reipsa existat ; vel *juris tantum*, si factum est certum, sed non constat, utrum ex illo impedimentum oriatur ; vel *juris simul et facti*, quod ex dictis intelligitur. Quaeritur utrum matrimonium cum impedimento dubio validum et licitum sit ? Respondemus in primis pro impedimentis juris ecclesiastici tantum : deinde pro impedimentis juris divini (1).

254. *In dubio juris tantum*, e. g. an inter Titium adoptantem et Semproniam adoptatam juxta nostras legislationes sit impedimentum cognationis legalis, impedimentum canonicum non urget, dummodo sententia contra impedimentum sit *vere probabilis*, *communiter vel certe recepta tamquam probabilis ab. AA.* (2), quia Ecclesia in hoc dubio speculativo supplet. Scilicet in abstracto impedimentum forte existit, et forte non existit ; sed etsi existeret, Ecclesia, disputantibus hinc inde DD., praesumitur illud removere. Hinc non existentia impedimenti ex principio reflexo certa est, et ita matrimonium est licitum et validum, etsi deinde existentia impedimenti evadat certa e. g. ex declaratione S. Sedis. Haec doctrina est communis ac moraliter certa et tuta, et non solum si sententiae sint utrinque probabiles, sed etiam si opinio pro impedimento est probabilior, dummodo et altera sit communiter aut certe recepta tamquam probabilis (3). Exinde intelligitur effatum *impedimentum dubium*, *impedimentum nullum*. At quamquam haec vera ac certa sint, tamen parochus, antequam assistat matrimonio cum hoc impedimento dubio, si tempus et commoditas adest, recurrat ad Ordinarium, quia fortasse falso putat esse dubium juris : Ordinarius autem non dispenset, quia impe-

(1) De impedimento disparitatis cultus in dubio baptismatis vide n. 597 sequ.

(2) Sanchez *VIII, VI, n.* 18. S. Alph. *VI, n.* 901. D'Annibale *III*, § 317. Pontius, *VIII, XIII, n.* 1 cum communi Ballerini ad Gury, *II, n.* 817.

(3) D'Annibale *l. c. note* 37. Sanchez *l. c.* De Justis *II, XL, n.* 113 aliique.

Digitized by Google

dimentum revera non adest, sed declaret procedi posse ad matrimonium, non obstante illo impedimento dubio ; et si nonnihil anceps sit, et tempus ac commoditas adsit, dispensationem ad cautelam petat a S. Dataria vel a S. Poenitentiaria, quae dispensationes ejusmodi concedunt non tamquam necessarias, sed ad pacandas conscientias, et scrupulos, et ad dubia ex variis opinionibus orta removenda (1), aut consulat S. Sedem : exinde enim etiam haec non levis utilitas fortasse obtinebitur, quod hujusmodi quaestiones authentice solventur.

255. *In dubio facti tantum* quum e. g. probabile est Titium et Sempronìam esse consanguineos in quarto gradu lineae obliquae, si impedimentum revera non adest, matrimonium valet ; si adest, DD. inter se non conveniunt, an Ecclesia suppleat sicut in dubio juris necne. Nonnulli affirmant (2) ; plerique negant (3) et sententiæ neganti favere videtur responsio S. C. S. Officii in instructione ad Episcopum S. Alberti in Canada diei 9 *Dec.* 1874 « ..... In dubiis 4°, et 5° plura exponuntur, quorum summa huc redit. Ex multis variisque causis saepé saepius contingit nullatenus deprehendi posse, utrum qui contrahere volunt, sint conjuncti tertio vel quarto propinquitatis gradu. Unde A. T. facultatem postulat dispensandi ab impedimento, cujus existentia est certa, gradus tamen ignotus. Item interdum evenit, ut neque cognosci possit, utrum obstet impedimentum propinquitatis, et cujusmodi illud sit. Hinc quaeris quid agendum sit, cum hac de re occurrit dubium grave, quod tolli nequit » S. C. respondet « sive impedimentum sit certum et dubitetur tantum de gradu cognationis, sive dubium versetur circa ipsam impedimenti existentiam, facta diligenti inquisitione, quatenus constet non agi de gradibus in quibus Apostolica Sedes dispensare non solet (videlicet praeter totam lineam rectam cognationis, de primo gradu

(1) Diana *Tom. III, tr. VI, Res.* 55, *n.* 3. Ben. XIV *Inst. Ecc.* 101, *n.* 3. Suarez *De religione IV, XVII, n.* 2. De Lugo *De Fide XXIII, n.* 122. D'Annibale *I*, § 244.

(2) D'Annibale *III*, § 317, *not.* 37. Tamb. *I, III, n.* 27 ac Bon. apud S. Alph. *VI, n.* 902.

(3) S. Alph. *l. c.* et apud ipsum Cardenas, Viva, Croix, Gormaz ac Aversa.

Digitized by Google

cognationis lineae transversae ac primo affinitatis gradu lineae rectae ortae ex copula licita, vel ex copula illicita publica, vel illicita occulta habita antequam nasceretur proles quae vult contrahere), in talibus adiunctis S. S. ampliorem tibi impertitur facultatem dispensandi ad quinquennium duraturam. Notandum tamen in altero casu, hoc est cum ambigitur de ipsamet impedimenti existentia, dispensationem esse adhibendam tantum ad cautelam » Caeterum in hoc dubio facti ipse Episcopus dispensare potest : de quo alias. Pariter non potest matrimonium contrahi si impedimentum est certum, et dubitatur an obtenta sit dispensatio : tunc enim possidet impedimentum « Secus esset, si constet de dispensatione, et dubitetur de ejus valore ; quia tunc possessio stat pro valore dispensationis » S. Alph. *l. c.*

256. Ex his facile intelligitur quid agendum in praxi in casu hujus dubii facti tantum. Nempe ante omnia diligens inquisitio facienda est : quisque enim ad matrimonium est admittendus, nisi impedimento prohibeatur. Post hanc inquisitionem Ordinario triplex casus occurrere potest.

257. 1° Non existentia impedimenti est moraliter certa, ita ut Ordinarius dubitare prudenter nequeat. In hoc casu matrimonium permittet sine ulla dispensatione, quia illa moralis certitudo profecto sufficit in agendo, etsi, si ea non obstante impedimentum adsit, matrimonium coram Deo viribus careat. E. g. si vir coivit, seminavit prope vas et postea dubitat, an semen intra vas receptum sit, certum est copulam non fuisse perfectam et non adesse affinitatem (1). Item simplex rumor impedimenti, aut unius testis qui non deponit, sed denuntiat tantum per epistolam, vel qui deponit, sed non vult jurare, vel qui deponit et jurat, sed est vilis persona ac suspecta, quae nullam fidem meretur, satis plerumque non erunt ad matrimonium impediendum, nisi aliae concurrant circumstantiae, quae prudenti Ordinario impedimentum probabile reddant (2).

258. 2° Existentia impedimenti probabilis est, ita ut Ordinarius prudens, omnibus perpensis, aliquod dubium ha-

(1) Sanchez *VIII, VI, n.* 18. S. Alph. *VI, n.* 902.
(2) S. Alph. *VI, n.* 997. Sanchez *I, LXXI* cum communi.

Digitized by Google

beat. In hoc casu matrimonium non permittet sine dispensatione ad cautelam, ut docet S. C. S. Officii supra citata, et si forte contractum fuit, petenda est sanatio in radice ad cautelam, sed interim propter favorem juris matrimonium sustinetur, donec impedimentum revera adesse probetur. Hinc in *cap.* 22, *De testibus* legitur. « Matre asseverante ipsos esse consanguineos, non debent conjungi, quia praesumptio est non modica, quod se linea consanguinitatis attingant. Si vero matrimonium est firmatum, non debet sine plurium juramento dissolvi ». Et quod de matre tradit Alex. III, repetas de alia persona fide digna, quae deponit se impedimentum dignoscere ex propria scientia, aut se illud audivisse a duobus fide dignis, maxime consanguineis ex *cap.* 47, *De testibus*... Item si fama id ferat ex *cap.* 2, *De consanguinit. et affinit.*, nisi contra famam jurent consanguinei, vel ipsi sponsi, et Ordinarius persuasum habet ipsos perjurium non committere, aut aliter probent famam fundamento destitui. Item si unicus testis pro impedimento est quidem vilis persona, sed factum ita est occultum ut nonnisi per vilem personam probari possit; aut si unicus testis denuntiat tantum per epistolam, sed simul probat de fama impedimenti ex *cap.* 27, *De sponsalibus*...

259. 3° Tandem existentia impedimenti est moraliter certa, ita ut prudenti Ordinario nullum de ea dubium sit. In hoc casu petenda et obtinenda est dispensatio vel sanatio in radice, non quidem ad cautelam, sed pure ac simpliciter. E. g. si vir coivit, et postea dubitet an seminaverit, an seminaverit intra vas, ex communiter contingentibus dicendum est copulam fuisse perfectam, et adesse affinitatem (1).

260. Tandem *in dubio juris et facti simul* a fortiori matrimonium validum erit ac licitum. Nam si in facto certo dubium juris reddit matrimonium validum et licitum, multo magis in facto dubio. Huc usque de impedimento dubio juris ecclesiastici tantum: modo de impedimento dubio juris divini.

261. *In dubio juris tantum* e. g. quum Titius et Sem-

(1) Sanchez *VIII, VI, n.* 18. S. Alph. *VI, n.* 902.

Digitized by Google

pronia consanguinei in secundo vel tertio gradu lineae rectae, vel in primo lineae obliquae, vel affines in primo lineae rectae quaerunt, an possint licite et valide matrimonium inire, apud nos Christianos nulla est practica difficultas: quia si impedimentum juris naturalis dubium est, impedimentum canonicum, a quo non datur dispensatio, est certum, sed quaestio aliquam difficultatem praesefert penes infideles. Jam vero dicimus Titium et Semproniam peccare nuptias ineuntes, quia hoc matrimonium absonum est, scandalum parit, sensum moralem offendit, infelicissimos in prole exitus habere solet. At contractum sustineri debet, nisi impedimentum dirimens ab auctoritate civili latum fuerit: ideoque e. g. conversi ad fidem separari non deberent (n. 680). Quod si deinde S. Sedes, interpres authenticus juris naturalis, declararet adesse impedimentum dirimens naturale, matrimonium dicendum foret irritum. In casu impotentiae videtur per se verificari posse dubium juris, e. g. an talis organismus in genere secumferat impotentiam, sed plerumque haec dubia in concreto sunt dubia facti, an Titius sit impotens, de quo mox.

262. *In dubio facti tantum* e. g. an Sempronia uxor Titii mortua sit, an sit filia vel mater Titii, an sit impotens, si impedimentum divinum revera existit, matrimonium est nullum; secus valet. At matrimonium semel contractum sustineri debet, donec impedimenti praesentia non evincatur. Si autem quaeras, an cum illo dubio matrimonium permitti possit, respondemus singillatim pro tribus illis casibus. 1° In dubio de existentia impedimenti ligaminis antea per matrimonium certum contracti, numquam novum matrimonium permitti debet, quia primum possidet: de qua re alias. In *cap.* 12 *De sponsalibus*... idem traditur, etsi dubium rationabile sit, an primum matrimonium fuerit contractum: nam cum Titius matrimonium cum Sempronia inire optaret, et consanguineus illius assereret, eum cum Caja sponsa coivisse, ideoque cum ea esse matrimonium praesumptum, R. P. respondet, matrimonium esse impediendum. Id intellige ad tempus, donec scilicet diligentior fiat inquisitio, et dubium removeatur de existentia prioris matrimonii: sed si

Digitized by Google

hoc dubium serium permaneat, aliud matrimonium nequit impediri, quia prioris matrimonii celebratio est factum, quod probari debet, quo non probato, jus naturale ad matrimonium possidet (n. 874). 2° Pariter matrimonium est impediendum, si dubium serium est de consanguinitate in primo gradu lineae rectae, quia in genere divortiis, quae publice perniciosa sunt, aditus praeberi non debet, et in specie enorme foret matrimonium inire cum matre aut filia. Ut vero dignoscas, quandonam dubium serium hac de re habeatur, vel non, vide quae diximus supra n. 258. 3° Tandem si dubium est, an Titius e. g. senescens impotens sit necne, matrimonium permitti debet : nam jus naturale ad matrimonium possidet, et insuper, ut ait D'Annibale *III*, § 317: « Matrimonium inire divortiis obnoxium et matrimonio aliquem prohibere, utrumque publice perniciosum ; sed hoc posterius longe perniciosus, tum per se, tum quia divortiorum pericula tenuantur, ubi proles exulat » (1).

263. Tandem *in dubio juris et facti* e. g. quum probabile est Titium et Semproniam esse fratrem et sororem, ex dictis satis colligitur matrimonium pariter iniri non posse, licet contractum sustineatur, donec non probetur consanguinitas. Consanguinitate autem probata, si Titius et Sempronia sunt ambo infideles, matrimonium adhuc sustinetur, quia factum est certum, sed jus divinum est dubium (n. 678) ; si sunt ambo fideles, aut unus fidelis et alter infidelis etiam post obtentam dispensationem disparitatis cultus, matrimonium dicendum est nullum, quia si jus divinum est dubium, certum est jus ecclesiasticum, in quo S. Sedes numquam dispensationem elargitur.

Articulus II.

Quinam ferre possit impedimenta matrimonialia.

264. Haec quaestio gravissima pertinet ex parte ad sacram theologiam, vel ad jus publicum ecclesiasticum : nos breviter eam expediemus. Qui plura cupit, adeat pro parte positiva

(1) Lehmkuhl *II*, *n*. 743.

Digitized by Google

P. Perrone *De mat. Christ. II*, et Feje *cap. I* per totum, pro parte rationali Cavagnis *Inst. Jur. Publ. Ecc. III*, *n.* 172 *sequ.* Et quidem omnes admittunt, si excipias atheos et rationalistas, Deum posse haec impedimenta sive impedientia sive etiam dirimentia constituere, et de facto per positivas leges constituisse, praeter impedimenta juris naturalis, quae a Deo pariter originem habent. Quaestio igitur est quinam inter humanos legislatores possint.

265. Certissima est haec propositio generalis : potest auctoritas humana, quae competens est in ipsum contractum matrimonialem. Sane hanc propositionem omnes admittunt ; hinc videmus in omnibus legislationibus civilibus esse impedimenta matrimonium dirimentia vel impedientia tantum : scilicet civilis legislator putavit se esse competentem, ideoque eas leges tulit. Praeterea certe competens humana auctoritas id potest in aliis contractibus : cum igitur matrimonium etiam elevatum ad dignitatem sacramenti contractus naturam retineat, sequitur idem posse etiam in matrimonio. Proinde auctoritas incompetens nequit, competens vero potest impedimenta constituere sive impedientia sive dirimentia tum ratione personae, tum ratione consensus (seu declarare insufficientem consensum, qui jure naturae foret sufficiens), tum ratione formae. Quod si auctoritas sit participata, vel subalterna, superior potest ejus competentiam vel auferre omnino et sibimet reservare, vel limitare ad impedientia tantum, aut ad aliqua tantum inter dirimentia aut impedientia. Id factum est cum Episcopis, aliisque superioribus ecclesiasticis infra Pontificem, et in consuetudinibus particularibus, ut infra exponemus.

266. Ut vero determinetur quaenam humana auctoritas sit competens in ipsum matrimonialem contractum, recolere debes id, quod docet Leo XIII in cit. Encycl. *Arcanum*, nempe inesse matrimonio « sacrum et religiosum quiddam non adventitium, sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum » et matrimonium esse « sua vi, sua natura, sua sponte sacrum » imo inter baptizatos esse verum ac proprie dictum N. L. sacramentum. Hoc posito : loquamur primo de matrimonio *inter baptizatos* ;

Digitized by Google

secundo de matrimonio *inter infideles*; in fine aliquid addemus de matrimonio *inter partem baptizatam et partem infidelem*.

§ 1ª. — *Quinam ferre possit impedimenta matrimonialia inter baptizatos.*

267. Indubium est Ecclesiam posse tum impedientia tum dirimentia impedimenta constituere et quidem jure proprio, nativo et originario. Nam matrimonium inter Christianos est non modo res sua vi, sua natura, sua sponte sacra, sed verum ac proprie dictum sacramentum : atqui Ecclesia est competens in res sacras, et nominatim in sacramenta jure proprio, nativo et originario. Haec veritas est de fide, ut patet ex Conc. Trid. *sess. XXIV*, *can.* 3 : « Si quis dixerit eos tantum consanguineitatis et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur posse impedire matrimonium contrahendum et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis ipsorum dispensare, aut constituere ut plures impediant et dirimant A. S. » et *can.* 4 : « Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in ipsis constituendis errasse A. S. ». Huc refertur quoque *can.* 9. Accedunt *prop.* 59, et 60 pseudo-synodi Pistoriensis, quae hanc potestatem Ecclesiae negant, damnatae a Pio VI in Const. *Auctorem fidei* cum nota haereseos. Vide etiam *prop.* 68, 69, 70, 71 reprobatas in Syllabo. Hanc suam potestatem Ecclesia usque a primis temporibus exercuit, uti Leo XIII *l. c.* commemorat, legesque ab ea latas nos in hoc tractatu exponimus.

268. Contra hanc Ecclesiae potestatem fieri potest sequens theologica difficultas. Ecclesia non potest materiam et formam sacramentorum aptam declarare ineptam : atqui ferens impedimentum dirimens materiam et formam sacramenti matrimonii aptam declarat deinceps ineptam : ergo. Respondemus : Ecclesia utique efficere non potest ut materia et forma apta substantialiter non immutata jam sit inepta ad sacramentum, e. g. ut vinum, permanens vinum, non sit aptum ad sacrificium Missae. At materia et forma apta ad

Digitized by Google

sacramentum potest substantialiter immutari, et tunc evadit inepta, e. g. vinum factum acetum non est amplius aptum ad sacrificium Missae. Jam vero in casu nostro cum materia et forma sacramenti sit in contractu valido (n. 227), Ecclesia efficere quidem non potest, ut contractus validus non sit deinceps materia et forma apta ad sacramentum matrimonii: at ex dictis bene potest efficere, ut contractus non sit amplius validus, et ita eum substantialiter immutare ; ac proinde nil mirum si jam est ineptus ad sacramentum.

269. Porro in Ecclesia haec impedimenta seu impedientia, seu etiam dirimentia ferre certe potest R. P. et Concilium Generale cum et sub R. P. Et « cum Papa possit per suam universalem legem novum impedimentum dirimens matrimonio apponere, potest etiam in aliquo speciali eventu prohibere, ne inter peculiares personas matrimonium contrahatur, simulque decernere, ut contra suam prohibitionem contractum sit irritum... Sola vero prohibitio sine decreto irritante producit dumtaxat impedimentum impediens, non autem dirimens matrimonium » Ben. XIV, *De syn. XII, V, n.* 3. Aliis verbis R. P. potest impedimentum dirimens aut impediens ferre tum *ad modum legis*, tum *ad modum praecepti* (1). S. C. C. et S. C. S. Officii, potestate quam a R. P. habent, non raro sententiae in causa matrimoniali addunt clausulam : *Vetito mulieri vel viro transitu ad alias nuptias, inconsulta S. C.*, quia scilicet ejus impotentia est certa, vel de ea gravissime dubitatur. S. C. hunc transitum non permittit, nisi de potentia novis indiciis certioretur : at matrimonium sine hac permissione forte initum foret illicitum, sed per se validum, si impotentiae impedimentum de facto non adest (n. 246).

270. Certum est Episcopum non posse in proprio territorio impedimenta dirimentia constituere nec ad modum legis nec ad modum praecepti. Unde si in casu aliquo particulari matrimonium ad tempus prohiberet cum clausula irritanti, matrimonium forte contractum foret validum (2). Hinc Alex. III *in cap.* 2, *De matr. cont. cont. int. Ecc.*

(1) Nonnulla exempla citat Riganti *Comm. in Reg.* 49, *n.* 107 *sequ.*
(2) Ben. XIV *l. c., n.* 9 et *XIII, XXII, n.* 3, cum communi.

Digitized by Google

validum pronuntiat matrimonium initum contra Episcopi prohibitionem, et adhuc pendente lite super praeviis sponsalibus a contrahentium altero cum alia persona contractis. Controversia in eo tantum est, utrum Episcopi hac potestate per se ac jure divino careant (1), an potius quia R. P. eamdem sibi reservavit; quae sententia longe communior et probabilior est (2). Imo aliquando Episcopi videntur hanc potestatem exercuisse non Pontificis concessione, sed potius non reservatione. Confirmatur ex *cap. 1 et 3, De cognat. spirit.*, ubi traditur consuetudinem dioecesanam posse introducere impedimentum dirimens: ergo etiam Episcopus lege scripta, cum consuetudo particularis praeter legem vim legis accipiat a consensu superioris illius loci. Hujus autem reservationis nullum est, quod cognoscimus, documentum, sed videtur introducta, necessitate cogente; quia si quilibet Episcopus posset pro sua dioecesi impedimenta dirimentia ferre, quaenam confusio in re tanti momenti, et quotnam matrimonia nulla!

Quoad impedimenta impedientia, non conveniunt DD. num Episcopus ea pro sua dioecesi ad modum legis ferre possit. Nonnulli affirmant, plerique negant; et ideo in praxi Episcopus eadem constituere non solet. At prohibere potest ne ipsum matrimonium celebretur tempore clauso, aut tempore vespertino sine sua licentia (n. 1028, 1034). Sanchez *VII, VI, n.* 6, docet posse quoque Episcopum nuptias interdicere in die festo alicujus Sancti. Posse Episcopum lata lege vetare ne matrimonia in domibus privatis fiant, dicemus n. 1038. Ad modum autem praecepti ex communi sententia certe Episcopus potest justis de causis matrimonium ad tempus interdicere inter aliquas personas e. g. ad sedandum scandalum, ob timorem rationabilem gravium discordiarum e matrimonio oriundarum, aut latentis alicujus impedimenti seu dirimentis seu impedientis, et poenas quoque statuere contra parochum, testes, ac sponsos inobedientes. Quaesitum

(1) Schmalz *IV, I, n.* 361; Giovine I, § 47; Fagn. *in cap. 1, De off. ordin.*
(2) Pirhing *IV, I, n.* 149; De Angelis *IV, I, n.* 15; Marc *n.* 1995; De Lugo *Resp. Mor. dub. 45, n.* 6; Sanchez *VII, I, n.* 10; Pontius *IV, I, n.* 12; Salmat. *XI, n.* 8.

Digitized by Google

fuit a S. C. C. : « 1° An Episcopus possit punire contrahentes matrimonium contra ejus prohibitionem contractum. 2° An eos qui contrahunt coram parocho ex causa justa dissentiente. 3° An eos qui contrahunt, omissis denuntiationibus. 4° An possit punire testes intervenientes in supradictis casibus. 5° An possit in eisdem casibus punire poenis pecuniariis, locis tamen piis applicandis ». S. C. 10 *Febr.* 1629, respondit: « Ad 1um, 2um et 3um Episcopum posse. Ad 4um posse, quatenus testes sint in dolo. Ad 5um pariter posse ». Praeterea Episcopus potest etiam leges Ecclesiae gravioribus poenis communire (1). Quae de Episcopo diximus, repetantur de synodo dioecesana, provinciali, nationali.

271. Etiam parochus ob probabilem alicujus impedimenti suspicionem potest et debet interim nuptias sui parochiani, nulla addita poena, et sine judiciali forma, prohibere, rem ad Ordinarium statim deferre, ejusque instructionem sequi (2). Hoc autem jus parochi, vigente lege de examine testium, practicam applicationem numquam habebit.

272. Porro impedimentum ad modum praecepti latum a R. P., aut a S. C., aut ab Episcopo, aut a parocho dici solet *vetitum Ecclesiae* et per se obligat sub gravi ex *cap. ult. De matr. cont. cont. interd. Ecc.*, nisi ex causa levi latum sit e. g. propter venerationem alicujus diei festi, aut ob suspicionem impedimenti, cum sponsi certi sint nullum adesse impedimentum, et non adsit scandalum (3).

273. Quaestio est inter canonistas, num consuetudine introduci possit impedimentum. Facile admittunt consuetudine *universali* posse inolescere impedimentum impediens; item et dirimens, si consuetudo expresse probata fuit a R. P., vel etiam tacite seu in via conniventiae, quippe eadem est vis taciti et expressi. Si vero ignoretur a R. P., utrum in via praescriptionis impedimentum ex consuetudine introduci

(1) Sanchez *III, XLVI, n.* 9; De Lugo *Resp. Mor. I, XLV, n.* 2; Ben. XIV *De Syn. XII, V, n.* 4.

(2) Schmalz. *IV, XVI, n.* 6; Sanchez *III, XV, n.* 3, et *VII, VI, n.* 6; Gonzalez in *cap. ult. De clandestina desponsatione, n.* 2; Pirhing *IV, XVI, n.* 1; Reiff. *n.* 4; Santi *n.* 3 aliique ex *cit. cap. ult. De clandestina desponsatione.*

(3) Sanchez *VII, XVII, n.* 1.

Digitized by Google

possit, plerique negant (1), alii probabilius affirmant (2). Quaestio practica non est, quia in praesenti Ecclesiae statu R. P. hanc consuetudinem profecto ante ipsam praescriptionem cognosceret, et expresse vel approbaret vel reprobaret. Consuetudo autem *particularis*, cum, ut diximus, vim legis obtineat a consensu superioris particularis, antiquitus poterat introducere etiam impedimentum dirimens, quando haec eadem potestas erat Episcopis ex cit. *cap.* 1, et 3, *De cognat. spir.* ; hodie non potest nec impedimentum impediens, et tantummodo potest prohibere ipsum matrimonium tempore clauso, et poenam superinducere contra violatores legum ecclesiasticarum. Ex his apparet Ecclesiam posse jure proprio, nativo et originario impedimenta impedientia et dirimentia ferre pro baptizatorum matrimoniis.

274. Princeps autem sive fidelis sive infidelis pro eisdem baptizatorum matrimoniis non potest neque dirimentia neque impedientia impedimenta proprie dicta constituere, nam est prorsus incompetens in res sacras Ecclesiae, et multo magis in eas quae sunt vera et proprie dicta sacramenta. Id non est de fide, quia formaliter definitum non est, et quando Ecclesia nondum mentem suam adeo clare aperuerat, plures DD. etiam catholici competentiam in baptizatorum matrimonium sicuti Ecclesiae, ita et Principi subordinate ad Ecclesiam tribuebant (3). Sed hodie sine magna temeritate id sustineri non potest a catholico, cum RR. PP. omnibus modis docuerint hanc Principis incompetentiam. Declarationes et acta Pontificum, quibus haec exclusiva competentia Ecclesiae vindicatur, vide apud Perrone, et Feje *l.c.*; nos indicamus tantum Leonem XIII in cit. Encycl. *Arcanum*, et cit. *prop.* 68, 69, 70, 71 reprobatas in Syllabo. Multa ex his documentis negant Principi quamcumque competentiam in contractum matrimonii baptizatorum, e. g. Leo XIII, cujus

(1) Fagn. *in comm. cap.* 1, *De cogn. spir. n.* 2 *sequ.*; Pirhing *IV, XI, n.* 10, 11 ; et *XIV, n.* 26, ex *cap.* 1, *De sponsalibus.*

(2) Sanchez *VII, IV, n.* 6 ; Gonzales *in comm. cap.* 1, *De sponsalibus...*; Schmalz. *IV, I, n.* 370 aliique ex *cap. ult. De consuetudine, cit. cap.*1, 3, *De cognat. spirit.*, et quia impedimentum *disparitatis cultus* consuetudine inductum est.

(3) Sanchez *VII, III, n.* 2 ; Pirhing *IV, I, n.* 150 *sequ.*

Digitized by Google

nonnulla verba infra citamus ; alia negant in specie potestatem ferendi impedimenta dirimentia ; omnia innituntur rationi allatae, nempe quia Princeps est prorsus incompetens in sacramenta, quae ratio excludit tum dirimentia tum impedientia. Ex cit. *cap.* 1, *De sponsalibus*..... matrimonium initum contra legem (scriptam aut consuetudinariam) civilem Francorum validum est.

275. Doctissimus Cavagnis in suo praeclaro opere *Inst. Jur. Pub. Ecc. III*, *n.* 184 putat in hypothesi distinctionis realis inter contractum et sacramentum, seu si contractus non esset sacramentum, matrimonium fidelium subjici auctoritati civili quoad vinculum. Huic opinioni non subscribimus : cum enim matrimonium, licet sacramenti dignitate non auctum, semper fuisset res sua vi, sua natura, sua sponte sacra, adhuc Ecclesia tantum et non Princeps quoad fideles competens fuisset. Leo XIII in cit. Encycl. *Arcanum* hac ratione probat exclusivam Ecclesiae competentiam in matrimonialem contractum inter Christianos : « Igitur cum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum, consentaneum est ut regatur ac temperetur non Principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae, quae rerum sacrarum sola habet magisterium. Deinde consideranda sacramenti dignitas est, cujus accessione matrimonia Christianorum evasere longe nobilissima. De sacramentis autem statuere et praecipere ita ex voluntate Christi sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis ejus vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle transferre ».

276. Diximus (n. 274) Principem *sive fidelem sive infidelem* haec impedimenta pro suis subditis baptizatis constituere omnino non posse. Nam nonnulli (1) distinguunt inter Principem fidelem et infidelem, ac infideli tribuunt hanc potestatem quoad matrimonia baptizatorum subditorum, quam negant fideli. Haec distinctio nulli innititur fundamento : imo si Princeps fidelis est incompetens in sacramenta N. L., a fortiori incompetens erit infidelis. Hanc doctrinam D'Annibale *III*, § 294 cum aliis appellat *veriorem*, sed potius cer-

(1) Apud Schmalz. *IV, III, n.* 368 *sequ.* qui eos repellit.

Digitized by Google

tissimam omnino dicere debebat, cum tolerandum nullo modo sit Principem infidelem moderari suis legibus sacramenta nostra. Ad rem S. C. de Prop. Fide ad Vicarium Apost. Tongkini Orientalis « Qualiscumque sit Principum infidelium potestas in stabiliendo talia impedimenta pro matrimoniis suorum subditorum infidelium, prout sunt contractus civiles, Principes laici, multoque minus Principes infideles non possunt constituere impedimenta dirimentia in Christianorum matrimoniis, quae induunt rationem sacramenti : sed stabilire impedimenta dirimentia unice pertinet ad Ecclesiam, ad quam privative spectat judicare de idonea sacramenti materia, quae in matrimonio est contractus. Eadem S. C. nec approbare, nec tolerare potest, ut praefata caeremonia (*Cheolàng*) habeatur pro fidelibus tamquam necessaria pro valore matrimonii Christiani, nec ut omissio talis caeremoniae ab ipsis habeatur tamquam impedimentum dirimens..... » (1).

277. At quamquam Princeps nequeat radicali impossibilitate pro suis subditis baptizatis impedimenta statuere, quae attingant validitatem, aut etiam liceitatem vinculi per se inspectam, tamen potest in nonnullis circumstantiis ratione boni publici, determinando ipsum jus naturale, aliquas conditiones praescribere ab illis implendas, qui volunt matrimonium inire, e. g. ut milites matrimonium non contrahant nisi de venia superioris et certis regulis servatis. Id bene explicat Cavagnis *l. c. n.* 188 : « Aliae sunt dispositiones quae requiruntur pro ordinata et honesta susceptione alicujus sacramenti et in genere pro cujuscumque negotii expeditione attenta tantum rei natura, et aliae quae per accidens supervenire possunt ex extrinsecis adjunctis. Judicium de illis, vel ordinatio positiva in re religiosa ad Ecclesiam spectat : quoad secundas locum habere potest et justum praeceptum alterius auctoritatis puta patrisfamilias, aut Principis, de cujus tamen justitia judicare semper spectat ad Ecclesiam, tamquam ad supremum moralitatis tribunal. E. g. statuere quaenam requirantur pro recta Missae auditione ratione ipsius actus ad Ecclesiam spectat, sed quando Ecclesiae praeceptum non

(1) Collect. Paris. *n.* 849.

Digitized by Google

urget, poterit paterfamilias justa de causa id interdicere filio, puta quia indiget ejus ministerio. Tunc actus fit illicitus non ratione sui, sed per accidens ob extrinsecam circumstantiam ; et praeceptum patris non est religiosum, ideoque non attingit auditionem Missae, quatenus actus est religiosus, sed est ob necessitatem familiarem, ideoque ejus transgressio offendit quidem pietatem, seu obedientiam erga parentes, sed non religionem. Hinc male quis deduceret ex hoc accidentali et extrinseco jure jus esse patrifamilias ordinandi rem religiosam, cum eam non attingat quatenus religio est, sed ratione circumstantiarum. Id et in re matrimoniali evenire potest. Hinc proprie dicta impedimenta matrimonii etiam impedientia ab Ecclesia declarantur vel constituuntur, quamvis ratione alterius virtutis possit aliquid induci et ab alia auctoritate. Sed semper spectat ad Ecclesiae judicium decernere, an haec jure vel injuria interveniat. Hinc Ecclesia inter sua vetita et deficientiam rationabilem consensus parentum pro minoribus recensuit » (1).

278. Praeterea Princeps jure proprio regit civiles matrimonii effectus. Ad hoc rite explicandum distingui debet inter matrimonii effectus inseparabiles ab ipsius substantia, et effectus separabiles, qui licet sint naturales, seu sponte sua fluentes juxta normalem cursum rerum humanarum, tamen non sunt rigorose essentiales. Ad primos pertinent jura et officia reciproca conjugum, legitimitas prolis, patria potestas parentum in filios et horum obligationes in parentes ; ad secundos spectant quantitas dotis, jura successionis conjugum erga parentes sive quoad nobilitatem sive quoad bona, item successionis conjugum reciproce, vel filiorum ipsorum quoad bona aut nobilitatem. Etsi enim conjuges debeant sibi adjutorium, tamen quantitas bonorum materialium ab uxore tradenda viro, seu dos non est jure naturae determinata neque rigorose necessaria ; item a parentibus danda sunt filiis alimenta et educatio regulariter proportionata statui ipsorum, sed haereditas in nobilitate

(1) Vide etiam Feje *n.* 71 sequ. ubi rite animadvertit plures AA. qui tribuunt Principibus potestatem statuendi impedimenta impedientia pro fidelibus, loqui de hisce impedimentis improprie dictis.

Digitized by Google

pendet a jure civili ; item haereditas quoad bona a jure civili potest saltem modificari juxta exigentias societatis (1). Ii effectus separabiles appellari solent *effectus civiles*, vel si etiam primos *civiles effectus* dicere velis, alteri erunt *mere civiles*.

279. Iam vero circa effectus inseparabiles Princeps nihil potest, sed matrimonio valido coram Ecclesia debet illos recognoscere, qui enim admittit causam, admittere debet etiam effectum necessarium : matrimonio autem invalido coram Ecclesia debet eos denegare ; et tum recognitioni, tum negationi civilem addere sanctionem. Effectus autem separabiles seu mere civiles sunt de se temporales, ideoque eos Princeps jure proprio et exclusivo moderatur. Hinc in omnibus legislationibus adsunt, plaudente Ecclesia, leges circa dotem, successiones conjugum ad invicem, successiones filiorum parentibus, parentum filiis... « Item non ipsa (Ecclesia) ignorat, neque diffitetur sacramentum matrimonii, cum ad conservationem quoque et incrementum societatis humanae dirigatur, cognationem et necessitudinem habere cum rebus ipsis humanis, quae matrimonium quidem consequuutur, sed in genere civili versantur : de quibus rebus jure decernunt et cognoscunt qui rei publicae praesunt » Leo XIII in cit. Encycl. *Arcanum*. Hos effectus sua lege determinatos Princeps matrimonio coram Ecclesia valido et licito tribuit, invalido denegat ; illicito tantum ob impedimentum impediens e. g. votum simplex castitatis in Congregatione Religiosa potest negare, aliasve poenas applicare, salva justitia et subordinatione Ecclesiae. Si vero matrimonium coram Ecclesia sit validum et licitum, sed lex civilis servata non est, Princeps nequit parochum testes, contrahentes ipsos punire ob initum matrimonium, sed potest in ipsos contrahentes et testes animadvertere ob omissionem praescriptionum civilium, et in poenam negare etiam civiles effectus, salva justitia (2).

280. Tandem matrimonium initum juxta leges Ecclesiae debet auctoritati civili notum fieri, ut in libros status civilis,

(1) Cavagnis *l. c.* n. 193-194. De Angelis *IV, I, n.* 14.
(2) Cavagnis *l. c.* n. 195 *sequ.* De Angelis *l. c.*

Digitized by Google

ut ajunt, referatur : secus civilis auctoritas merito illud habebit tamquam non initum et omnes civiles effectus denegabit. Relatum autem matrimonium valet et pro civilibus effectibus non a die relationis, sed a die celebrationis. Modus, quo civilis auctoritas initi matrimonii notitiam recipit pro relatione in status civilis tabularia, determinatur conventione inter utramque auctoritatem, ecclesiasticam et civilem. Ita in Columbia, Hispania, Anglia officialis civilis assistit matrimonio religioso, et illud in suos libros status civilis deinde refert. In Austria et nonnullis Americae partibus ipse parochus est simul officialis civilis : qui proinde matrimonium notat et in suo libro parochiali matrimoniorum et in libro status civilis. Alibi parochus aut conjuges authentice officiali civili notificant initum matrimonium.

§ 2ª. — *Quinam ferre possit impedimenta matrimonialia inter infideles* (1).

281. Ecclesia certe nil potest « *quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare ?* » ait Apostolus 1 *Cor. V*, 12. An possit Princeps, est controversia, quae nostris praesertim temporibus inter catholicos libere agitatur. Certum est Principem circa infidelium suorum subditorum matrimonia habere illam potestatem, qua circa matrimonia baptizatorum gaudet (n. 277 sequ.) ; sed quaestio est utrum valeat impedimenta seu dirimentia seu impedientia constituere. Plures inter recentiores negant (2), licet aliqui eorum admittant ferre posse impedimenta impedientia. Proinde juxta hos omnes vinculum matrimoniale inter infideles regitur solo jure naturae.

(1) Si haec nostra thesis de competentia Principis civilis in ipsum matrimoniale vinculum infidelium coincidit quoad substantiam cum relatione perlecta in Academia Parisiensi S. Raymundi de Pennafort, quaeque prostat in ephemeride *Journal du droit canon et de la jurisprudence canonique*, 1890, mense Aprilis et sequ., mirum esse non debet ; nam auctor relationis hanc nostram thesim scriptam prae manibus habuit.

(2) Perrone *De Matr. Christ. lib. II, sect. ult., cap. III.* Marc *n.* 1997. Liberatore *Inst. Eth. p. II, cap. I, a. IV.* Taparelli *Saggio teoretico, n.* 1113 *sequ.* Feje *I, IV.* Martin *De matr. et pot. illud dir. II.* Card. Zigliara *Summa Philosophica, III, pag.* 207 *sequ.*

Digitized by Google

Plerique affirmant (1), dummodo impedimenta lata sint rationabilia : quam sententiam probabiliorem, imo certam habemus praesertim auctoritate SS. CC. RR.

282. Argumentum intrinsecum hoc est. Maxime interest civilis societatis matrimonialem contractum regi positivis quoque legibus. Deficiente igitur inter infideles ante et extra Ecclesiam auctoritate religiosa distincta a civili ab eaque independenti, cujus sit proprium officium regendi matrimonium, rem de se aliquo modo sacram, auctoritas civilis sola potest esse competens, et poterit illas leges ferre jure quodam devolutivo : secus auctor naturae civili consortio satis non consuluisset. Hinc videmus in quacumque societate civili bene composita has leges latas esse. Patroni primae sententiae negant id adeo civilis societatis interesse, et dicunt jus naturae, si servetur, satis esse (2). Respondemus et rationem et ipsum Ecclesiae factum nostram propositionem probare. Nam profecto maxime interest civilis societatis non solum illicita, sed etiam irrita declarari matrimonia e. g. inita sine publica aliqua forma, vel inter pueros ante nuptialem aetatem, vel inter adoptantem et adoptatam, vel inter consanguineos et affines..... quae tamen matrimonia inspecto jure divino valida sunt vel dubia, ideoque semel contracta sustinenda, exceptis matrimoniis in primo gradu consanguinitatis in linea recta, et ante sufficientem mentis discretionem. Haec impedimenta lata ab Ecclesia pro fidelibus nos dicimus cum omni veritate esse et opportuna, et prorsus necessaria bono

(1) Inter recentiores D'Annibale *III*, § 294. Cavagnis *Inst. Jur. Pub. Ecc. III, pag.* 106 *sequ.* Lehmkuhl *II, n.* 727. Zitelli *App. Jur. Ecc., n.* 356. Santi *IV, I, n.* 107. Ballerini ad Gury *II, n.* 802-835. Konings *Theol. Mor. De Matr., n.* 1574. Granclaude *Jus Can. II, I, sect.* 3 et *Canoniste contemporain, août* 1888. De Angelis *IV, I, n.* 11. Nardi *Dir. matr. catt.*, § 15. — Inter antiquos autem fere omnes. S. Alph. *VI, n.* 981. Pirhing *IV, I, n.* 107. Manchat *IV, I.* Schmalz. *IV, I, n.* 367. Verricelli *Tract. De Apost. Miss. XII,* 136. Lessius *De Matr. VII, dub.* 3. Sanchez *VII, III.* Gotti *Theol. Schol. XIII, VII, n.* 27. Fagn. *Comm. cap.* 1, *De sponsalibus, n.* 6. Sylvius *Comm. in suppl. q.* 50, *q.* 5, *c.* 1. Tournely *De Matr., q. III, n.* 2..... aliique, et tandem D. Thomas, de quo infra. Vide Resemans *De competentia civili in vinculum conjugale infidelium.*

(2) Hauser apud Feje *n.* 68.

Digitized by Google

publico civilis societatis : eccurnam talia cum erunt etiam pro infidelibus (1) ?

283. Accedit argumentum auctoritatis, quod ex triplici capite desumi potest.

1° Doctores plerique tum inter recentiores tum inter antiquos hanc sententiam amplexati sunt, ut constat ex notis supra positis. Ipse Perrone *l. c.* affirmat theologiae moralis institutores ac juris utriusque interpretes *communi pene calculo* eam docere : et quomodonam postea sine contradictione affirmare potuerit, eam non esse *adeo communem ac fere unanimem, ut plures arbitrantur supponuntque*, alii videant. Etiam Feje *n.* 368 ait eam esse communiorem. Marc e contrario *l. c.* affirmat primam, cui subscribit, evasisse communiorem inter recentiores, alteram esse apud theologos antiquos magis receptam. Primum verum esse non putamus, licet fateamur numerum patronorum primae sententiae auctum esse. Nonnulla addimus de principe theologorum et philosophorum, quem quisque sibimet favere contendit. S. Thomas ex una parte hanc competentiam Principis in contractum matrimonialem infidelium nullibi denegat. Perrone immerito citat *IV Sent. dist.* 12, *q.* 2, *a.* 2, *ad* 4um, et *quodl. V*, *a.* 15, *ad* 1um, cum in utroque loco agatur de matrimonio Christianorum. Taparelli *l. c.* et Em. Card. Zigliara *l. c.* innituntur 2. 2. *q.* 104, *a.* 5, sed ibi nec vola nec vestigium hac de re. S. Doctor quaerit in eo art: *Utrum subditi teneantur suis superioribus* (in genere sive ecclesiasticis, sive civilibus, sive domesticis) *in omnibus obedire* et docet ex duobus contingere posse, quod subditus suo superiori non teneatur in omnibus obedire. « Uno modo propter praeceptum majoris potestatis..... Alio modo non tenetur inferior suo superiori obedire, si ei aliquod praecipiat, in quo ei non subdatur..... Et ideo in iis quae pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini

(1) Lehmkuhl *l. c.* Resemans *l. c. pag.* 39 *sequ.* Sanchez *VII, III, n.* 2 *et* 5. Hic auctor cit. *n.* 2 ex hac necessitate vult probare potestatem Principis ferendi impedimenta pro baptizatis. In hoc fallitur, quia pro baptizatis providet Ecclesia : sed illa necessitas realis est, atque optime evincit jus Principis pro non baptizatis.

Digitized by Google

obedire, sed solum Deo. Tenetur autem homo homini obedire in iis, quae exterius per corpus sunt agenda ; in quibus tamen secundum ea quae ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo, quia omnes homines natura sunt pares, puta in iis quae pertinent ad corporis sustentationem et prolis generationem. Unde non tenentur nec servi dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo vel virginitate servanda, aut aliquo alio hujusmodi ». Patet igitur haec extranea prorsus esse : docet enim Angelicus obediendum non esse superioribus praecipientibus matrimonium inire, vel castitatem servare (1) ; et si ejus verba illum sensum haberent, qui eisdem tribuitur, excluderent etiam competentiam superioris ecclesiastici in vinculum matrimoniale Christianorum. Ex alia autem parte hanc Principis competentiam S. Thomas aperte affirmat in *IV Sent. dist.* 39, *a.* 2, *ad* 3um. Quaerit ibi Angelicus : *Utrum inter in fideles possit esse matrimonium*, et praeter alias subtiles difficultates tertio loco hanc ponit : « 3° Praeterea sicuti inter fidelem et infidelem est disparitas cultus, ita interdum inter duos infideles, ut si unus sit Gentilis et alter Judaeus. Sed disparitas cultus impedit matrimonium, ut dictum est. Ergo ad minus inter infideles, qui habent cultum disparem, non potest esse verum matrimonium ». Respondet : « Ad tertium dicendum, quod inter infideles est matrimonium, ut dictum est, prout matrimonium est in officium naturae. Ea autem quae pertinent ad legem naturae, sunt determinabilia per jus positivum : et ideo si prohibetur ab aliquo jure positivo apud eos infideles contrahere matrimonium cum infidelibus alterius ritus, *disparitas cultus impedit matrimonium inter eos*. Ex jure enim divino non prohibentur : quia apud Deum non differt qualitercumque aliquis a fide deviet, quantum ad hoc quod est a gratia alienum esse ; similiter nec aliquo Ecclesiae statuto, quae non habet de iis, quae foris sunt, judicare ». Porro illud *impedit matrimonium* significare impedimentum impediens et dirimens, ex usu loquendi D.

(1) S. Alph. *VI, n.* 849. Sanchez *IV, XXIII, n.* 10.

Digitized by Google

Thomae tum in hoc ipso, tum in aliis articulis, nullum prorsus potest esse dubium. Concinit Magister sententiarum in fine *cit. dist.* 39, cujus doctrinam explicat Angelicus : « Legitimum est (matrimonium inter infideles) quod *legali institutione*, *vel provinciae moribus*, non contra jussionem Domini contrahitur ».

284. 2° Haec sententia servatur in praxi ab omnibus missionariis in locis infidelium, prouti Superior Seminarii Parisiensis Missionum ad Exteros nobis ipsis affirmavit. Id nobis maximum pondus habet, eo vel magis quod recepta haec praxis aliquam saltem tacitam S. Sedis approbationem supponat.

285. 3° Tandem, quod omne dubium auferre videtur, S. C. S. Officii et S. C. de Prop. Fide, quae solae de infidelibus agunt, hanc sententiam sequuntur, et juxta eam casus sibi propositos resolvunt. Patroni contrariae sententiae dubitant de existentia, aut authenticitate harum responsionum ; sed nos possumus rem extra dubium ponere, quia praecipua documenta S. C. de Prop. Fide nos ipsi ex archivio desumpsimus ; documenta vero S. C. S. Officii ex ejus archivio habuit Rev. Can. Borgia amicus noster, Archivista S. C. de Prop. Fide, qui nobis gratiose eadem communicavit.

286. Ad S. C. S. Officii quod attinet, in instructione 29 *Oct.* 1739 haec habet «... E perchè il matrimonio legittimo porta seco per condizione, o circostanza necessaria, l'indissolubilità... perciò solo la morte puo render sciolto un tal matrimonio. Dunque se Tizio si è congiunto in legitimo matrimonio con Berta nello stato d'infedeltà *con quelle solennità*, *che secondo le leggi ed usi communi della Cina* dichiarano il contratto vero e legittimo matrimonio, resta sempre vivo il vincolo fra essi, se la morte di alcuno di essi non lo scioglie (1).

Praeterea Vicarius Apostolicus Yun-nan sequens dubium

(1) *Latine* : « Et quoniam legitimum conjugium secumfert indissolubilitatem tanquam necessariam condionem seu circunstantiam, hinc una mors potest illud dissolvere. Proinde si Titius legitimo conjugio junctus est cum Bertha in infidelitate, cum illis solemnitatibus quae *juxta leges et consuetudines communiter receptas in imperio Synensi* necessariae sunt ad verum et legitimum matrimonium, vinculum inter ipsos semper perdurat, donec mors unius illud non abrumpat ».

Digitized by Google

eidem S. C. proposuit : « In istis missionibus saepe evenit, ut minor fratris sui majoris defuncti uxorem ducat, et postea convertatur. Difficillime separari possunt propter prolem jam susceptam, vel periculum ne avertantur a fide. Ipsorum matrimonium invalidum esse videtur, utpote omnino a lege civili prohibitum *etiam sub poena mortis*. Verum post baptismum ad convalidandum eorum matrimonium, satisne est ut tantummodo suum renovent consensum ? ». S.C.S. Officii reposuit 20 *Sept.* 1854: « Praevia dispensatione disparitatis cultus, et primi affinitatis gradus per facultates quibus missionarii gaudent, consensum esse renovandum. Quod si superventura mala deprehendantur, relinquendos esse in bona fide ». Quae responsio supponit impedimentum illud civile dirimere revera matrimonium.

287. Quod attinet ad S. C. de Prop. Fide, instructio 8 *Oct.* 1631, quam S. C. ad missionarios in Indis misit tamquam sententiam theologorum circa facultatem dispensandi cum Indis polygamis, ita incipit: « Indi polygami, qui cum omnibus mulieribus suis convertuntur ad fidem et baptizantur, tenentur dimittere omnes uxores praeter primam, quae sola est vera uxor, si in illius matrimonio nullum intervenit impedimentum juris naturalis *vel positivi conditi ab eorum Principe* » (1).

Insuper D. Langlois Superior in Seminario Parisiensi Missionum ad Exteros, nomine Sac. Eyot, missionarii in Tunkino, duo dubia S. C. proposuit, quorum primum ita se habet : « Vir infidelis qui cum muliere infideli matrimonium inierat, omissa quadam caeremonia, cujus omissio juxta Tunkini leges censetur matrimonii impedimentum dirimens, ab ea muliere discessit et aliam uxorem Christianam duxit, Christianam ipse fidem amplectens baptismum petit. Teneturne primam ab eo derelictam conjugem interpellare, an et ipsa Christi fidem profiteri et cum eo redire velit, an saltem pacifice cum eo et absque Creatoris contumelia cohabitare consentiat ? Si Christiana fieri aut saltem cum praefato viro pacifice cohabitare consentiat

(1) Collect. Paris. *n.* 921.

Digitized by Google

illa mulier, teneturne ad illam redire? Si cum priore hac conjuge facta Christiana reconcilietur, et stet inter ambos verum ac legitimum matrimonium, debetne ab iis renovari consensus? Uno verbo impedimentum dirimens a Principe infideli sancitum, aut apud gentem infidelem antiqua et communi invectum consuetudine, redditne irrita et invalida matrimonia inter viros ac mulieres infideles cum tali impedimento contracta? » (1) Jam vero in Congr. particulari habita in Concellaria Apost. *die* 26 *Junii* 1820 super rebus Sinarum EE. PP. ad proposita dubia responderunt: « .... Ad 14um (*quod est dubium supra relatum*) : Esse nullum primum et secundum matrimonium : non esse hinc locum interpellationi, sed esse locum novo matrimonio, servatis servandis, *et detur instructio* (2) ». Nempe primum nullum fuit ob impedimentum dirimens civile, alterum ob impedimentum disparitatis cultus perfectae. Qua posita responsione Secretarius S. C. scribebat *die* 16 *Martii* 1822 ad D. Langlois : « Hic complicatas mitto Dom. Tuae responsiones ad dubia quae nomine R. D. Eyot missionarii in Tunkino Occidentali proposuisti, ut, arrepta opportuna occasione, ad eumdem transmittas. Instructionem vero, de qua in responsione ad dubium primum, statim ac exarata, et per manus Emorum tradita, ab iisdem approbata fuerit, mittam. Interim ex ipsa responsione S. C. D. Eyot satis intelliget, quid factu opus sit relate ad casum matrimonialem, quem ipse exposuit (3) ».

288. Haec instructio revera prostat in *Actis Congr. Part. super rebus Sinarum ad an.* 1821, *tom. XX*, *pag.* 700 *sequ.* Probabile est hanc instructionem fuisse approbatam a S. C., sed non est certum, quia approbatio haec de facto deest. Nam *pag.* 693 habetur sequens quaestio proposita a Secretario ipsi S. C. *n.* 5° : « Se, oppure con quali modificazioni dar corso alle due istanze accennate al § 6° (4) ». Una ex eis respicit praecise hanc instructionem. Jam vero

(1) *Acta Cong. Part. super rebus Sinarum... an.* 1820 *sequ. pag.* 547.
(2) *L. c. pag.* 565, 566.
(3) *Lettere e Decreti della S. C. e biglietti di Mons. Secretario an.* 1822, *vol.* 303, *pag.* 197.
(4) *Latine*: « Utrum vel cum quibusnam modificationibus expedire oporteat duas instantias, de quibus in § 6 ».

Digitized by Google

responsio ad hanc quaestionem deest. Neque haec instructio reperitur in archivio Seminarii Parisiensis Missionum ad Exteros. Clarus Resemans *pag.* 78 ait in hoc archivio commemorari *peractam* instructionis transmissionem : sed facta accurata investigatione, praeter originale epistolae citatae, nullum aliud hujus instructionis vestigium repertum est. Inutile prorsus est eam exquirere in archivio missionis in Tunkino, quae pluries ab eo tempore aestu persecutionis susdeque versa est, et cujus quoque archivium combustum est. Proinde hanc instructionem damus in nota (1).

(1) Instructio super casu matrimoniali S. C. de Prop. Fide proposito a Sac. Eyot in Tunkini Occidentalis Regno Missionario.

Cum in litteris tuis super quodam matrimoniali dubio hujus S. C. sententiam exquireres, EE. PP. censuerunt tuis votis ita satisfacere, ut opportuna simul instructione tibi significetur quid in iis rerum circumstantiis sentiendum sit. Praestat tamen primo casum referre, qui tuis postulationibus occasionem dedit.

Vir infidelis (sic enim exponebas) qui cum muliere infideli matrimonium inierat, omissa quadam coeremonia, cujus omissio juxta Tunkinici regni leges censetur impedimentum matrimonium dirimens, ab ea muliere discessit, et aliam uxorem Christianam duxit, Christianam ipse fidem amplectens, baptismum petit. Quibus expositis sic requirebas : Teneturne..... (*ut supra*).....

Ut tuis igitur postulatis breviter simul et dilucide respondeatur, ab iis fas est exoriri, quae ultimo loco proponis, nimirum num Princeps infidelis, aut antiqua consuetudo statuere possit inter subditos infideles impedimenta matrimonium dirimentia ? Hac enim quaestione sublata, caeteris postulatis facilius patebit responsio. Scito tamen dum haec requiris, quaestionem te instaurare jam ab *an.* 1786 eorum nomine qui missionarii munere in his iisdem regionibus fungebantur, huic S. C. propositam.

Triplici itaque sub respectu matrimonium communi DD. consensu considerari solet; nimirum ut officium naturae, officium communitatis et sacramentum. In quantum est officium naturae, verba sunt Doctoris Angelici, S. Thomae Aquinatis *in* 4, *dist.* 39, *qu.* 1, *art.* 1, *ad* 4um, statuitur lege naturae, in quantum est sacramentum, statuitur jure divino, in quantum est in officium communitatis, statuitur jure civili : et ideo ex qualibet dictarum legum potest persona effici ad matrimonium illegitima.

Si de matrimonio Christianorum sermo institueretur, dubitari nullo modo potest, quin Principes saeculares suis legibus, quatenus ab Ecclesia adprobatae, adoptataeque non fuerint, nullam haberent potestatem in naturalem matrimonii contractum, ac conjugale vinculum. Ex quo enim Christus D. matrimonium, naturalem scilicet ejus contractum a Deo ipso primitus institutum, ad sacramenti dignitatem evexit, saeculares Principes nullam amplius in illud, ejusque vinculum potestatem retinent. Nam cum res sacra, atque materia sacramenti facta sit, necesse est ut Ecclesiae ordinationi subiaceat, et potestas ecclesiastica civili potestati praevaleat, tamquam pars nobilior, quae ignobiliorem ad se trahere debet. Unde merito Doctor

Digitized by Google

289. Argumenta quae a patronis primae sententiae proferuntur, solida non sunt. Innituntur principiis abstractis,

Angelicus *l. c. dist.* 42, *qu.* 2, *art.* 2, *ad* 4um sic concludit : « Dicendum quod prohibitio legis humanae non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret Ecclesiae auctoritas, quae idem etiam interdicit ».

Sed cum res sit de infidelium conjugio, ratio sacramenti, quae Christianorum matrimonium Ecclesiae ordinationi subjicit, plane cessat : nec enim nondum regenerati salutaribus baptismatis aquis sacramentorum capaces sunt, nec iis qui foris sunt, leges suas edicit Ecclesia. Quare licet inter infideles verum sit matrimonium, tamen ad naturae, et communitatis officium referri tantummodo potest, ac proinde a jure naturae, ac civili plane est moderandum.

Sequitur hinc Principes saeculares sive fideles, sive infideles plenissimam potestatem retinere in matrimonia subditorum infidelium ; ut scilicet appositis impedimentis, quae juri naturali ac divino adversa non sint, eadem non solum quoad civiles effectus, sed etiam quoad conjugale vinculum penitus rescindant. Qui enim ob reipublicae bonum suis legibus ad legitimitatem, validitatemque caeterorum contractuum formam quamdam, et solemnitatem praescribere possunt, cur id in matrimoniali infidelium subditorum contractu efficere nequeant, ratio non est ; et quod de lege Principis saecularis hoc in casu dicitur, intellige etiam de legitima consuetudine, quae vim legis in subditos infideles adepta est.

His ergo constitutis, jam vides quid sentiendum sit de matrimonio a viro infideli cum muliere infideli inito, non servata ea coeremonia seu forma ac solemnitate, quae, sicuti asseris, ad ejus validitatem juxta Tunkini regni leges erat servanda. Porro hujusmodi conjunctio illegitima plane est, nec verum firmumque matrimonium inter eas personas efficere potest, et cum per leges dissolvi mereatur quod contra leges praesumitur, planum est concludere virum infidelem ab infideli muliere, quam eo modo sibi copulaverat, jure discessisse.

At neque meliori jure aliam uxorem Christianam, infideli dimissa, sibi copulavit. Hic tamen sedulo animadvertere, sermonem haberi de viro infideli, qui cum Christiana muliere matrimonium inire praesumpsit, non impetrata Apostolica dispensatione super impedimento ex cultus disparitate matrimonium dirimente.

Certum est enim ab antiqua, rationabili, eaque legitima consuetudine inductum fuisse in Ecclesia impedimentum dirimens ex cultus disparitate, ut verum ac firmum matrimonium iniri non possit inter personas, quarum una fidem per baptismum susceperit, altera vero in infidelitatis tenebris sit. Hinc colliges secundum etiam matrimonium a viro infideli cum muliere Christiana initum plane nullum atque irritum fuisse.

Ergo ex his omnibus primo concludendum est ex parte viri illius, qui modo Christianam fidem amplexus est, nullum plane locum esse interpellationi mulieris infidelis, quam, cum ipse esset infidelis, non servata forma a legibus regni praescripta, sibi copulavit : secundo etiam concludendum est ipsi viro fas non esse in secundo conjugio cum Christiana muliere commorari, eamque pro uxore habere, nisi cum ea verum ac legitimum matrimonium juxta sacrorum canonum sanctiones denuo contraxerit.

Haec profecto sunt, quae EE. PP. censuerunt tibi respondendum super dubio matrimoniali a te huic S. C. exposito.

Digitized by Google

quae distinctione diluuntur. Nonnulla, si prout jacent, sumantur, excludunt etiam competentiam et potestatem Ecclesiae in matrimonium baptizatorum : quod tamen a mente AA. alienum est. Omnia autem probant Principem nec impedimenta impedientia ferre posse pro suis subditis infidelibus; quod tamen P. Perrone *l. c.* cum aliis admittit. Haec argumenta pro scholastica argumentatione inservire utique possent : sed majorem vim non habent. Praecipua indicamus ; alia, quae minoris momenti sunt, praetermittimus.

290. 1° Matrimonium est sua vi, sua natura, sua sponte sacrum : Atqui auctoritas civilis est prorsus incompetens in res sacras : ergo (1).

Resp. *Conc. maj. dist. min.* inter baptizatos *conc.* inter infideles *subdist.* directe *conc.* indirecte seu devolutive *neg.* Haec difficultas post Encycl. *Arcanum* plures dedit contrariae sententiae sectatores. Ut aliquid exinde concludi posset contra nostram sententiam, probandum foret civilem auctoritatem ita esse incompetentem in res sacras, ut ne deficiente quidem auctoritate religiosa independenti, prouti ante et extra Ecclesiam contingit, quidquam circa illas statuere possit, etsi bono communitatis civilis prorsus necessarium. Haec autem thesis est impossibilis : quia ex ea sequeretur Deum auctorem naturae non satis civili consortio ab ea provenienti consuluisse, deficiente omnino auctoritate, quae religionis naturalis publico cultui et exercitio prospiceret in commune bonum ipsius societatis.

291. 2° « Ea quae in individuo sunt de jure vel officio naturae non subjacent potestati civili, sed legi naturae et soli Deo. Atqui matrimonium est in individuo de jure et officio naturae ». Ergo (2).

Resp. *Dist. maj.* quatenus potestas civilis contradicat juri vel officio naturae *conc.* quatenus determinet, compleat, dirigat jus et officium naturae *subdist.* si potestas civilis est aliunde incompetens in illud *conc.* si est competens *neg.* Nonne ille syllogismus aeque impeteret potestatem Ecclesiae in matrimonium baptizatorum ? Equidem humana auctoritas

(1) Marc. *l. c.* Perrone *l. c.*
(2) Card. Zigliara *l. c. pag.* 210.

Digitized by Google

sive civilis sive ecclesiastica nil potest *contra* jus naturale ; sed potest, dummodo competens sit, jus naturale determinare, complere et dirigere pro bono communitatis. Id adeo notum est, ut ulteriori declaratione non indigeat. Lege D. Thomam 2. 2. *q.* 95 *a.* 2, et *IV Sent. dist.* 39 *a.* 2 *ad* 3um, cujus verba dedimus n. 283 ibi « ea quae pertinent ad legem naturae sunt determinabilia per jus positivum ». Jam vero Ecclesia quando fert impedimenta pro baptizatis e. g. impedimentum consanguinitatis et affinitatis praesertim in gradibus propinquioribus, juri naturali non contradicit, sed potius illud determinat, complet et dirigit, et cum sit competens, ejus leges validae sunt. Ita etiam Princeps inter infideles, si impedimenta lata sunt rationabilia : hac unica differentia quod Ecclesia est competens nativo jure, Princeps autem, quia deficit potestas religiosa independens, ita exigente bono publico.

292. 3° Illud quod est anterius nequit regi ab eo, quod est posterius : Atqui matrimonium est anterius civili societate : ergo (1).

Resp. Profecto antequam societas civilis existeret, matrimonium e. g. filiorum Adami non poterat regi a civili auctoritate. Post societatis civilis ortum certe auctoritas civilis nil poterat in matrimonia jam rite contracta : sed nihil aeque poterat in matrimonia, quae postea fiebant ? Haec est quaestio nostra. Haec matrimonia erant civili societate anteriora *quoad speciem* ; sed in se, seu in individuo, ut ita dicam, erant posteriora, utpote in ipsa civili societate inita. Jam vero prioritas originis quoad speciem tantum alicujus rei non secumfert necessario ejus independentiam a subsequente auctoritate, et consequenter hujus incompetentiam in illam (2). Secus quia familia, societas amicalis, plures contractus..... sunt anteriores Statui, essent quoque perfecte independentes a Statu, quod non potest admitti. Igitur distinguenda est major : quod est anterius in specie et in individuo *transeat* ; quod est anterius in specie tantum, non au-

(1) Taparelli, Perrone, Liberatore aliique, *locis citatis.*
(2) Cavagnis *l. c. n.* 183.

Digitized by Google

tem in individuo *subdist.* si quod est posterius est aliunde in illud incompetens *conc.* secus *neg.*

293. 4° P. Perrone *l. c.* haec habet « Potestatis civilis objectum est bonum commune subditorum, prout cives sunt. Totum idcirco hujusmodi obiectum est externum, non autem internum et individuale, quod ab humano principatu nec directe nec indirecte potest attingi, utpote humanae directionis incapax, sed soli Deo atque conscientiae patet. Ast ipse actus, quo fit conventio et ex quo vinculum exurgit, individualis est ac liber, seu pendet a libera voluntate, quae nisi sit contra naturae legem involvatque turpitudinem aliquam, vim suam habet independenter a quavis politica lege, quae non attingit nisi actus externos, eosque legi obnoxios, non autem actus internos, ut paulo ante animadvertimus ».

Resp. Si P. Perrone his verbis intendit, ut videtur, matrimonium esse *actum mere internum*, ex una parte id est prorsus absurdum, et ex altera sequeretur nec Ecclesiam inter baptizatos suis legibus illud attingere, quia receptum est nec Ecclesiae leges afficere actus mere internos. Si vero intendit matrimonium esse *actum mixtum*, seu constare, sicuti alios contractus, consensu interno exterius manifestato, id verum est; sed tales actus non eximuntur a publica potestate competenti, uti est notissimum.

294. 5° « Nequit subjici potestati civili id quod ad jura pertinet mere domestica, personalia et religiosa. Atqui tale est matrimonium vi naturae: ergo (1).

Resp. Praetermittimus illud *religiosa* de quo in prima difficultate. Quoad alia *dist. maj.* si ordinem civilem nullatenus tangunt *conc.* secus *reg.* Fieri enim potest ut jura domestica et personalia intimam relationem dicant ad bonum civilis societatis: quo in casu potestas civilis intervenit, non ut eis contradicat, sed ut ea determinet, compleat, dirigat juxta exigentias boni communis. Porro tale esse matrimonium evidens est: proinde inter baptizatos Ecclesia suis legibus illi providet, inter infideles Princeps. Ex his omnibus satis probata et vindicata est competentia Principis in con-

(1) Liberatore *l. c.*

Digitized by Google

tractum matrimonialem infidelium, et consequens potestas ferendi impedimenta tum impedientia tum etiam dirimentia.

295. Equidem ut haec impedimenta a Principe pro infidelibus lata revera valeant, debent, sicuti quaelibet lex, esse rationabilia, seu non opponi juri divino, et revera conducere ad bonum commune. Huc spectat responsio S. C. de Prop. Fide *an.* 1674. P. Navarette missionarius in Synis exponebat « Circa matrimonia illorum regnorum an valida sint vel non, varietas non parva reperitur in missionariis : de Synarum autem conjugiis alii affirmant, alii vero negant. Philosophus Confucius quinque impedimenta matrimonium dirimentia suae scholae observanda reliquit ; 1° si mulier loquax extiterit ; 2° si ei lepra accesserit ; 3° si sterilis fuerit ; 4° si forte res domesticas suffurata fuerit ; 5° si soceris suis inobediens fuerit. Horum singulis evenientibus, integrum est viro conjugium rescindere, concessa quoque foeminae libertate ad novum cum altero conjugium. Quaeritur an praefata impedimenta praejudicent indissolubilitati matrimonii ». Qualificatores S. Officii reposuerunt « Illa impedimenta, quae narrantur, non sunt dirimentia (1) ». At sunt profecto rationabilia impedimenta dirimentia quae Ecclesia tulit ; ideoque potest utique Princeps eadem statuere pro infidelibus, excepta disparitate cultus inter infidelem et catholicum, quae in casu non esset impedimentum dirimens rationabile. Item merito praescriberet Princeps infidelis sub poena nullitatis, ut matrimonium ineatur in forma publica, aut metum gravem externum injuste ac directe incussum illud irritare.

296. Posita hac Principis competentia et potestate, illud monere debemus, nempe non omnes AA. qui illam admittunt, convenire in eadem explicanda. Nonnulli aiunt Principem impedimenta ferre posse, quia inter infideles matrimonium est contractus mere civilis, non sacramentum (2) ; alii, quia apud infideles Princeps curam habet religionis naturalis (3) ; alii, quibus nos adhaeremus, quia ex una parte negotium matrimoniale positivis legibus moderari quam maxime

(1) Collect. Paris, *n.* 848.
(2) Schmalz. *IV, I, n.* 367. Gavardi *De matr., tom. VI, qu. III, a. I.*
(3) Lehmkuhl *II, n.* 727.

Digitized by Google

interest civilis societatis, et ex alia deest ante et extra Ecclesiam auctoritas religiosa independens, ad quam per se id pertineat : unde ne dicamus civilem societatem carere mediis necessariis ad suum finem consequendum, haec potestas jure quodam devolutivo Principi concedenda erit (1). Pariter non conveniunt, an haec Principis potestas dici debeat *originaria*, vel *ordinaria*. Putamus utramque appellationem eidem convenire. Est *originaria*, quia Princeps eam habet jure nativo et originario, non quidem absoluto sed hypothetico ; nempe in hypothesi qua deficiat auctoritas religiosa independens, cujus id per se proprium est (2). Est *ordinaria*, quia in sensu juris potestas ordinaria dicitur illa, quae non est delegata et adhaeret officio ; atqui talis est haec Principis potestas, nempe non est delegata, et officio adhaeret in memorata hypothesi.

297. Ex hactenus disputatis in hoc articulo sequitur quid dicendum de matrimonio inter partem non baptizatam Titium et partem baptizatam Sempronіam. Si Sempronia est inhabilis impedimento dirimenti ecclesiastico, et Titius est jure civili habilis, omnes admittunt matrimonium esse nullum; matrimonium enim claudicare non potest et ad ejus validitatem requiritur habilitas utriusque partis, in casu autem Sempronia est inhabilis. Ad rem Ben. XIV in epist. *Singulari Nobis* § 8, *die* 9 *Febr.* 1749. « Si mulier cum foedus iniit, dirimenti hoc impedimento detinebatur, hoc satis est, ut matrimonium irritum habeatur directe quoad mulierem, oblique quoad virum, licet hic superioris auctoritati, qui legem tulit, non sit obnoxius : eo ferme pacto, quo si Princeps aliquis subditorum cum exteris commercia sustulisset atque irrita declarasset, ea si forte fierent, inania haberentur, licet non uterque negotiatorum, sed unus tantum esset subditus legislatori ». Hinc impedimentum disparitatis cultus (de quo Ben. XIV *l. c.* loquitur) irritat matrimonium, quia partem baptizatam inhabilem reddit ad contrahendum cum parte non baptizata; et idem repetas de aliis impedimentis. E contrario suppona-

(1) Vide prae caeteris omnibus Cavagnis *l. c.* Altera autem explicatio ab hac tertia explicatione, si res intimius examinetur, reipsa non differt.

(2) Granclaude *Canoniste contemporain, août* 1880.

Digitized by Google

mus Semproniam, remoto per dispensationem impedimento disparitatis cultus, esse jure canonico habilem, et Titium esse jure civili inhabilem, e. g. Sempronia excessit annum duodecimum, sed Titius Hebraeus nondum excessit annum decimumoctavum legislatione Gallica requisitum pro validitate matrimonii. Nonnulli putant matrimonium valere (1), quia jus canonicum in hoc conflictu praevalere debet. D'Annibale *III*, § 294 censet matrimonium esse nullum, ejusque sententiam sine cunctatione amplectimur ; quia una pars est inhabilis, et ad validitatem matrimonii validitas utriusque partis necessaria est, nec Ecclesia incompetens in non baptizatos dici potest in casu reddere habilem partem non baptizatam. Verba allata Ben. XIV etiam huic casui optime quadrant. Insuper doctissimus Pontifex in cit. epistola ut demonstret matrimonium inter Hebraeum et mulierem e protestantium secta fuisse nullum, diligenter investigat « an eorum uterque dum connubium iniit, illius esset impedimenti vinculo irretitus ». Proinde putabat matrimonium esse nullum, etsi Hebraeus tantum impedimento detineretur. Caeterum conflictus inter legem civilem et legem canonicam in casu nullus est : nam lex civilis declarat Titium inhabilem, lex canonica Semproniam habilem, scilicet ad contrahendum cum persona item habili, qualis non est Titius. Foret conflictus, si lex canonica declararet Semproniam habilem ad contrahendum cum Titio civiliter inhabili : sed Ecclesia hoc numquam dixit. Ad formam autem quod attinet, cum exemptio unius propter individualitatem contractus communicetur et alteri quoad actus validitatem, sequitur nec partem infidelem teneri forma civili forte constituta, quia fidelis ab eadem exempta est, nec *per se* partem fidelem forma Tridentina, quia ab eadem exempta est infidelis ; deoque matrimonium sine forma seu civili seu Tridentina *per se* validum esset : sed de hoc alias.

(1) Resemans *l. c. pag.* 2. Granclaude *Canoniste contemporain, juillet* 1887.

Digitized by Google

Articulus III

Quinam impedimentis matrimonialibus teneantur.

298. Impedimentis juris divini seu naturalis seu positivi omnes homines obligari palam est. Impedimentis juris tantum ecclesiastici certe non tenentur non baptizati, et certe tenentur catholici : dubium est an teneantur quoque *haeretici*, *schismatici*, *apostatae*, *excommunicati*.

299. Per se etiam ipsi adstringuntur legibus ecclesiasticis in genere, cum sint subditi Ecclesiae licet rebelles et transfugae, nisi Ecclesia, pia mater, ne peccata multiplicentur, velit illos eximere. Jam vero illos, qui facto proprio culpabili ab unitate fidei et communionis recesserunt, uti excommunicati, apostatae, haeretici atque schismatici facti, non nati, absque dubio Ecclesia non vult a suis legibus eximere, ne ex propria iniquitate commodum utilitatemque sentiant. Illos vero, qui in haeresi et schismate nati sunt, si aliis fortasse legibus Ecclesia illa ratione commiserationis ligare non intendit, vult tamen eos impedimentis matrimonialibus adstringere. Id certissimum est, ac illi AA. catholici, qui de hoc dubitant, nesciunt quid dicant.

300. Sane, ut nonnulla tantum argumenta hujus Ecclesiae voluntatis indicemus, Ben. XIV in Const. *Matrimonia* 4 *Nov.* 1741 declarans valida matrimonia inter haereticos, aut inter partem haereticam et partem catholicam in Belgio et Hollandia sine forma Tridentina, addit hanc clausulam : *Dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum.* Idem Pontifex in aliis constitutionibus indubitanter invalida dicit haereticorum matrimonia cum aliquo canonico impedimento dirimenti inita, e. g. in Const. *Magnae Nobis* 29 *Jul.* 1748, Const. *Ad tuas manus* 8 *Aug.* 1748, Const. *Singulare Nobis* 9 *Febr.* 1749... Concinunt Pius VI in rescripto ad Card. de Frankenberg 13 *Jul.* 1782, in litteris ad Archiep. Pragensen 11 *Jul.* 1789, in literis per S. C. C. missis ad Episcopum Rosnaviensem in Hungaria 20 *Aug.* 1780, et Pius VII in Brevi 8 *Aug:* 1808 ad Archiep. Moguntinum, et

Digitized by Google

Greg. XVI in brevi 27 *Maii* 1832 ad Episcopos Bavariae... (1). Hinc quando ab haeresi vel schismate convertuntur ad Ecclesiam catholicam conjuges, quorum matrimonio obstat impedimentum dirimens juris ecclesiastici, Sedes Apostolica dispensat cum sanatione in radice, et nonnumquam Episcopis speciales facultates concedit dispensandi cum haereticis conversis (n. 418). Non semel vero S. C. C. hujusmodi matrimonia nulla declaravit e. g. 26 *Sept.* 1602, 12 *Jan.* 1605, 2 *Aug.* 1725... De forma Tridentina in ordine ad haereticos loquemur ex professo in *cap. VI*, et ea quae inibi dicemus, hanc doctrinam plene confirmant. Neque dicas exinde magna oriri incommoda, quia matrimonia erunt nulla, filii illegitimi, innumera peccata ; unde praesumi debet Ecclesiam piam matrem ad haec omnia vitanda nolle eos obligare. Nam in primis voluntas Ecclesiae eos suis hisce legibus afficiendi manifesta est ex dictis, et ideo ea praesumptio locum non habet. Praeterea saepe conjuges nati et educati in haeresi, schismate, apostasia sunt in bona fide, praesertim mulieres ; quo in casu bona fides excusat a peccato, matrimonium est putativum, ac proinde proles legitima.

301. Quaeritur utrum ab imperimento dirimenti excuset ignorantia invincibilis ac bona fides ? In genere responsio negativa non patitur difficultatem, quia leges irritantes afficiunt quoque ignorantes (2). Ad rem S. C. S. Officii in instructione ad Episcopum S. Alberti in Canadà *super dubiis de re matrimoniali* ab eodem propositis data *die* 9 *Dec.* 1874. ..... « Quod attinet ad mulierem (Christianam) conjunctam viro infideli, S. C., respondet matrimonium esse nullum ob impedimentum disparitatis cultus. Neque mulieri suffragari ignorantiam invincibilem, in qua versabatur, uti pluries professa est haec S. C., et nominatim die 31 *Mai* 1703 irrita declaravit matrimonia a catholicis cum infidelibus inita in terra et more barbarorum, etsi lex vel consuetudo Ecclesiae inducens impedimentum disparitatis cultus in illa regione sit invincibiliter ignota. Et generatim de omnibus impedimentis jure ecclesiastico inductis in instructione ad Vicarium Apost.

(1) Feje *De matr. mixtis, pag.* 89.
(2) D'Annibale *III*, § 398. Gury *II*, *n.* 787.

Digitized by Google

Siamensem data *an.* 1854 : *Animadvertendum est etiam quoad impedimenta dirimentia ignorantiam invincibilem aut bonam fidem non sufficere ut valide contrahatur matrimonium. Et si quandoque (quod tamen raro credendum est in praxi) illa ignorantia et bona fides excusare valeat a peccato, tamen numquam efficere potest matrimonium validum, quod obice dirimente fuerit irritum* (1). Nihilominus inquirendum est (prout ait Ben. XIV) utrum conjunctio saltem extrinsecam speciem habeat justi matrimonii, et copula non fuerit manifeste fornicaria, seu utrum matrimonium fuerit de facto contractum, et intercesserit affectus maritalis cum consensu naturali (2). Iam vero si ex hac investigatione emerserit extrinseca species justi matrimonii, cum consensus commode renovari potest, R. P. D. Episcopus dispensationem concedat ab impedimento disparitatis cultus juxta facultatem ei factam a S. C. de Prop. Fide. Quod si consensus renovari non possit, vel obstinate nolit, dummodo constet, de ejus consensus morali perseverantia, attentis expositis, S. P. tribuit R. P. D. Episcopo facultatem missionariis quoque sibi subiectis subdelegandam, qua possit in radice sanare, inspectis circumstantiis cujusque casus particularis, matrimonia jam contracta usque ad receptionem praesentis concessionis : in singulis casibus vero difficilioribus recurratur, expositis omnibus adjunctis. His positis possunt tuto sacramenta administrari parti fideli..... « Aliqua difficultas est de impedimento *criminis*, quod Ecclesia tulit in poenam delicti : de qua re suo loco loquemur.

302. Nec impossibilitas petendi et obtinendi dispensationem ab impedimento dirimenti liberat, licet haec impossibilitas sit communis e. g. in aliquo regno, saeviente persequutione, uti patet ex responsione S. C. S. Officii relata n. 308. Et quidem impedimentum urget etiamsi ex una parte peti nequeat et obtineri dispensatio, et ex alia matrimonium praetermitti aut differri non possit sine magno incommodo. Hinc e. g. si quis contraxit impedimentum affinitatis cum sponsa sua de futuro ob fornicationem cum ejus so-

(1) Collect. Paris. *n.* 950.
(2) *De Syn. XIII, XX, n.* 8. *Quaest. Can.* 9, *pag.* 174.

Digitized by Google

rore, et R. P. in hoc impedimento dispensare nolit, ipse ex nulla causa aut infamiae metu matrimonium valide contrahit. Excipe si impedimentum juris ecclesiastici in illis circumstantiis sit in oppositione cum jure naturali ad matrimonium, quia quis a matrimonio simpliciter abstinere deberet; tunc enim impedimentum, quatenus juri naturae oppositum, cessare non est dubium. Casus practicos hujus exceptionis habes n. 623 et n. 965 sequ.

Articulus IV.

Quinam revocare possit impedimenta matrimonialia.

303. Evidens est impedimenta impedientia aut dirimentia juris divini seu naturalis seu positivi nullam humanam auctoritatem posse revocare sine Dei ipsius concessione. Pariter si dubium est an jure divino impedimentum sit necne, etiam humana potestas illud revocandi est dubia, quae proinde numquam exerceri debet. Ecclesia interpres authenticus juris divini potest tantum declarare in his vel illis circumstantiis jus divinum non urgere. De potestate R. P. dispensandi in matrimonio rato fidelium, aut etiam consummato infidelium post unius vel utriusque conjugis conversionem ad fidem, sermo erit in *cap. VIII, art. II.* Quoad impedimenta juris humani applicari debet principium generale de legis revocatione, quod est in *reg.* 1ª *juris* « omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur », quod tamen principium cum mica salis esse accipiendum omnes sciunt. Proinde impedimentum revocari poterit vel a legislatore qui illud tulit, vel ab ejus superiore e. g. impedimentum impediens latum ab Episcopo, vel ab ejus delegato infra terminos delegationis. Loquamur in primis de *abrogatione* et de *derogatione*, deinde fusius de *dispensatione*: illis impedimentum et in genere lex vel ex toto supprimitur (abrogatione) e. g. si impedimentum cognationis spiritualis de medio tolleretur, vel ex parte tantum (derogatione) e. g. si impedimentum consanguinitatis ad tertium gradum reduceretur; hac personae eximuntur, lege ex integro remanente.

Digitized by Google

§ 1. — *De abrogatione et derogatione impedimentis matrimonialibus.*

304. Unica heic quaestio occurrit, sed haec perdifficilis et salebrosa, ait D'Annibale *III*, § 298, *not.* 5, nempe an consuetudo possit abrogare vel derogare impedimentis matrimonialibus juris ecclesiastici tantum, Haec quaestio spectare potest quoque catholicos (n. 307); sed spectat praesertim acatholicos, qui aliqua impedimenta non observant. Ita e. g. in Anglia consanguinitas et affinitas dirimit usque ad secundum gradum inter protestantes jam a pluribus saeculis; primi quidem fuerunt in mala fide, sed deinde cum gubernium catholicismum omnino proscriberet, matrimonia bona fide in illis gradibus protestantes contraxerunt et contrahunt. Haec matrimonia consuetudine suntne valida? Aliis verbis consuetudo contra impedimentum dirimens juris ecclesiastici estne rationabilis?

305. In primis « de impedientibus nemo dubitat jure canonico introductis » ait D'Annibale *l. c.* Haec in abstracto, et revera plura impedimenta impedientia jure canonico introducta consuetudo abrogavit (n. 434). Sed modo impedimenta impedientia *generalia*, quae remanserunt, abrogare consuetudo non potest, quia plus minusve in jus naturale inpingeret. *Generalia* diximus; nam abrogare utique potest impedimentum, quo alicubi tempore clauso ipsum matrimonium prohibetur sine licentia Ordinarii. Quoad impedimenta dirimentia, DD. maxime discordes sunt (1). Vide Schmalz. *IV*, *I*, *n.* 378 *sequ.* ubi hanc quaestionem fuse agitat pro haereticis, in sententiam affirmativam inclinans. Nobis haec statuenda esse videntur.

306. Si agatur de consuetudine *universali* contra aliquod impedimentum, nulla in praxi occurrere potest difficultas. Nam R. P. ante ipsum praescriptionis tempus eam certe cognosceret, et expresse vel probaret, vel reprobaret : in primo casu impedimentum cessaret, in altero subsiste-

(1) Sanchez *XII*, *IV*.

Digitized by Google

ret, omnibus fatentibus. Quid si taceret? Cum consuetudo esset universalis, non apparet ratio qua R. P. efficaciter reclamare non posset: atqui quando legitimus superior cognoscens consuetudinem contra legem potest efficaciter reclamare et tacet, censetur consentire ex *reg.* 43 *juris in* 6°; et hac via conniventiae consuetudo quamlibet legem humanam etiam ante praescriptionis annos abrogare, vel eidem derogare potest. Caeterum examinandum foret, de quonam impedimento agatur, ex quo examine plerumque sequeretur consuetudinem esse irrationabilem. In re haud practica ulterius insistere non juvat.

307. Si agatur de consuetudine *particulari*, certum est consuetudinem revocare posse publicatam Conc. Trid. formam *sess. XXIV, cap. I de ref. mat.*, ita ut matrimonia clandestina, quae antea nulla erant, jam valida sint. De hac re redibit sermo n. 904. Item certum est revocare posse aliud impedimentum dirimens ecclesiasticum vel eidem derogare, quum expresse probata fuit a R. P, aut etiam tacite seu via conniventiae, si R. P. cognoscens consuetudinem, potest efficaciter reclamare et tacet. Simplex silentium in casu acatholicorum hanc tacitam approbationem non arguit: forte enim R. P. tacet, quia ejus reclamatio foret inefficax, et hunc unum effectum haberet, scilicet eos constituendi in mala fide. Quaestio igitur est, an haec consuetudo possit via praescriptionis impedimentum abrogare, vel eidem derogare. Nonnulli affirmant (1), nam *cap. ult. De consuetudine* tradens consuetudinem rationabilem et legitime praescriptam abrogare legem vel eidem derogare, est generale pro omnibus legibus ecclesiasticis, non exceptis impedimentis dirimentibus matrimonium. Plerique negant (2), et ipse Sanchez *l. c.* ait « fere omnes DD. pro constanti asseverant id non posse consuetudinem » quae sententia vera est. Ratio ultima est, quia diversitas disci-

(1) Sanchez *VII, IV, n.* 14 *sequ.* Gonzalez *in cap.* 1 *De sponsalibus. n.* 22. Schmalz. *IV, I, n.* 373, 378 *sequ.*

(2) Fagn. in comm. *cap.* 1 *De cognat. spirit.* et in *comm. cap.* 5 *De cogn. et affin.* cum Glossa in cit. *cap.* 5 *v. non obstante consuetudine*, Ben. XIV in cit. epist. *Singulari Nobis*, 9 *Feb.* 1749, § 19.

Digitized by Google

plinae in hac materia gravissima secum fert incommoda : unde consuetudo particularis est irrationabilis. Ob hanc rationem potestatem ferendi impedimenta dirimentia reservatam fuisse Sedi Apostolicae diximus n. 270. Sed praeterea argumenta etiam positiva non desunt.

308. In primis pro omnibus impedimentis dirimentibus id probat responsio S. C. S. Officii 11 *Mart.* 1868 ad Vicarium Apostol. Japoniae. Expositum fuerat: « Christiani Japonenses de impedimentis matrimonium dirimentibus ab Ecclesia institutis omnino inscii, saepe matrimonia his impedimentis vitiata bona fide contraxerunt, nihil de consangninitate, vel affinitate, vel aliis impedimentis attendentes. Ilic non agitur de impedimentis ad jus divinum pertinentibus, sed tantum ecclesiasticis. Unde quaeritur : 1° Utrum in imperio Japonensi perdurante saeculari persequutione, nec non pastorum et doctrinae privatione perseverante, impedimenta ab Ecclesia instituta totam matrimonia dirimendi vim obtinuerint? Ratio dubii in eo est, quod cum ignorantia de matrimonii natura et impedimentis omnino universalis et invincibilis esset, forsan praesumitur Ecclesia de talibus impedimentis dispensasse, nec non suas leges circa matrimonium in hoc casu totam vim obtinere noluisse. 2° In casu affirmativae suppliciter ac humillime imploro ut Sanctitas Sua dispensationem a radice, qua omnia matrimonia nulla ob impedimenta jure Ecclesiae dirimentia revalidentur, benigne concedere dignetur ». S. C. reposuit : « Ad 1um dubium providebitur in sequenti. Ad dubium 2um : Quoad eos qui sunt in bona fide, R. P. D. Vicarius Apost. sileat. Quoad eos qui in bona fide non sunt, curet ut consensus renovetur, dispensationem concedendo juxta facultates jam sibi factas a S. C. de Prop. Fide. Quod si consensus renovari non possit, vel obstinate nolit, dummodo certo constet de ejus morali perseverantia, supplicandum Ssmo pro gratia, qua idem D. Vicarius Apost. possit in radice sanare, inspectis circumstantiis cujusque casus particularis, matrimonia jam contracta usque ad receptionem praesentis concessionis. In casibus vero difficilioribus recurrat, expositis omnibus cujusque casus adjunctis ».

Digitized by Google

309. Praeterea in specie consuetudo contra impedimentum consanguinitatis et affinitatis etiam in gradibus jure tantum ecclesiastico dirimentibus *reprobatur* explicite in *cap.* 5. *De consang. et affin.* « Ne autem intra gradus prohibitos matrimonium contrahatur, debes publice inhibere, et praesumptores ecclesiastica districtione punire, *non obstante consuetudine, quae dicenda est potius corruptela* ». Patroni contrariae sententiae variis modis ab hoc textu sese extricare vellent, sed irrito conatu (1). Pariter Alex. III in *cap.* 3. *De cognat. spirit.* implicite videtur rejicere consuetudinem *contra* impedimentum cognationis spiritualis, admittens consuetudinem *praeter* legem. Nam haec habet: « Super eo quod a Nobis tua fraternitas requisivit de duorum compatrum filiis: respondemus quod si tales filii fuerint per quorum alterum vel utrumque parentes ad compaternitatem venerunt, eos conjungi nulla ratione sustineas, et conjunctos pontificali auctoritate non differas separare. Caeterum si per neutrum eorum ad compaternitatem ventum fuerit, de his te volumus consuetudinem tuae metropolitanae Ecclesiae vel aliarum circumpositarum inquirere, et diligenter imitari..... ».

310. Quod si consuetudo catholicorum non valet in via praescriptionis impedimentum dirimens abrogare vel eidem derogare, multo minus valere videtur consuetudo acatholicorum. Proinde in exemplo allato putamus impedimentum affinitatis et consanguinitatis in tertio et quarto gradu in Anglia adhuc vigere, et matrimonia in his gradibus contracta esse nulla. Confirmatur quia quoties a conversis ad fidem in Anglia quaestiones de validitate praedictorum matrimoniorum apud RR. CC. positae fuerunt, responsio semper fuit pro nullitate matrimonii sine ulla exceptione. Aiunt qui inter recentiores contra putant, quaestionem de praescriptione legis numquam fuisse hactenus RR. CC. subjectam ; unde ipsae supponebant legem in Anglia adhuc vigere, et ideo nil mirum, si pro nullitate matrimonii reposuerunt. At improbabile omnino est hujus consuetudinis mentionem factam non

(1) Sanchez *l. c.* Gonzalez in comm. *cit. cap.* 5.

Digitized by Google

fuisse in casibus RR. CC. propositis; dicendum ergo potius est RR. CC. huic consuetudini vim non agnovisse abrogandi legem. Neque dicas exinde sequi gravissima incommoda, nempe plerosque ex nobilitate et etiam regia familia esse illegitimos : quia pro legitimitate filiorum sufficit matrimonium putativum, et pro putativo matrimonio bona fides utriusque vel unius partis, quae in casu habetur.

§ 2ª. — *De dispensationibus in impedimentis matrimonialibus praesertim dirimentibus.*

311. « Patrum Conciliorumque decreta super gradibus matrimonium dirimentibus priscis Ecclesiae temporibus tanta habita fuerunt in veneratione, quod Sedes Apostolica spatio plusquam decem saeculorum dispensationes super gradibus praefatis indulgere noluit. Defensores enim divinorum canonum et custodes, non praevaricatores se jactabant Pontifices et Martinus I *epist* 9 : *Canones*, inquit, *ecclesiasticos solvere non possumus, qui defensores et custodes canonum sumus, non transgressores* apud Thomassinum *tom.* 2, *lib.* 3, *cap.* 25, *n.* 9... » (1). Riganti *Comm. in reg.* 49, *Cancell. Apost.*, qui adductis exemplis id confirmat. « Nulla tunc, addit Christianus Lupus, etiam vel augusta licet in sexto aut septimo affinitatis gradu, vel ignoranter contracta, longe minus contrahenda matrimonia dispensabantur, sed cuncta dirimebantur juxta rigorem canonum ». Quinam Pontifex in impedimento matrimoniali primus dispensaverit, certo non liquet. Nonnulli volunt Inn. III saec. XII primum cum rege Othone IV in quinto consanguinitatis gradu dispensasse, idque magna difficultate et maxima impellente causa, et « ea lege ut duo amplissima monasteria fundaret, omne imperium largis eleemosynis et ferventibus orationibus istud ecclesiasticae disciplinae vulnus compensaret » Christianus Lupus *ad can.* 2 *Conc. Rem. p.* 3. Alii longe antè illam aetatem exempla dispensationum reperiri asserunt et citant S. Greg. M. qui *lib. IX epist.* 64, saec. VI exeunte, petente

(1) Aliam rationem, ob quam hujusmodi dispensationes concedi non consueverant, habes n. 677.

Digitized by Google

S. Augustino, Angliae Apostolo, indulsit Anglis recens conversis, ut permanerent in conjugiis quae ante susceptam fidem contraxerant in ipso tertio consanguinitatis gradu (1). At hoc factum S. Greg. M. nullam continere matrimonialem dispensationem palam est. Quidquid de hoc sit, certum est Ecclesiam processu temporum majori benignitate uti consuevisse ; sed aegre admodum frequentiores dispensationes concessit, et Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. V de ref. mat.* ait: « In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa et gratis concedatur ». Juxta disciplinam hodie vigentem Sedes Apostolica facilior est pro bono animarum, exceptis impedimentis aetatis, raptus, voti solemnis, Ordinis Sacri, disparitatis cultus apud Christianas nationes, clandestinitatis, in quibus impedimentis raro dispensatur, licet sint juris ecclesiastici tantum. Modo de dispensationibus matrimonialibus in genere agendum est, praesertim in impedimentis dirimentibus ad nuptias ineundas. Cum vero dispensatio in impedimentis mox citatis ordinarias regulas adamussim non sequatur, hinc de ea loquemur agentes de singulis illis impedimentis. Pariter quoad alias dispensationes ea quae sunt huic vel illi impedimento particularia, expositioni impedimentorum in specie reservamus. Tandem de revalidatione matrimonii nulliter contracti agit *cap. IX, art. I.*

I

De dispensationibus ab ipso Romano Pontifice concessis.

312. Ex dictis n. 303 sequitur R. P. posse dispensare in omnibus impedimentis, quae certe sunt juris ecclesiastici tantum. Conc. Trid. *sess. XXIV, can. III* damnat illos qui dicunt Ecclesiam non posse dispensare in nonnullis illorum graduum qui in *Levit. XVIII* exprimuntur ; nam revera, abolita lege divina caeremoniali et judiciali, nonnulla ex illis impedimentis sunt juris ecclesiastici tantum. Jam vero de disciplina dispensationum matrimonialium a S. Sede concedendarum plura notanda sunt.

(1) Folium S. C. C. *Dubia circa facultates dispensandi ab impedimentis matrimonialibus*, 26 *Apr.* 1873.

Digitized by Google

1°. — *Organa per quae Romanus Pontifex dispensat.*

313. Quisque per se intelligit R. P. qui omnium Ecclesiarum sollicitudine gravatur, in physica esse impossibilitate haec negotia personaliter expediendi. *Secretaria Brevium* concedit dispensationes supremis Principibus et literas revalidatorias seu *perinde valere* super Brevibus ab eadem Secretaria emanatis (1) *S. C. S. Officii* dispensat in impedimentis ortis ex publico delicto ad se spectante e. g. in impedimento mixtae religionis, disparitatis cultus, vel quando polygamia, aut polyandria, aut haeresis suspicio intervenit. Pro locis missionum dispensationes in utroque foro regulariter petuntur mediante *S. C. de Prop. Fide*, et gratuitae sunt, licet quandoque oratoribus imponatur eleemosyna elargienda (2). Nonnumquam Pontifex determinatae Congregationi vel Tribunali dispensationem concedendam committit, praesertim *S. C. negotiis ecclesiasticis extraordinariis praepositae*. Sed praecipua organa quibus S. Sedes dispensationes matrimoniales concedere solet, sunt *S. Dataria*, et *S. Poenitentiaria*, de quibus fusius agendum est.

314. *S. Dataria* dispensat pro foro externo in publicis impedimentis non autem in occultis. Circa ejus dispensationes quatuor potissimum notanda sunt..

315. 1° S. Dataria in dispensationibus concedendis duplicem taxam exigere solet.

Alia, quae proprio nomine dicitur *taxa*, est pro officialibus S. Datariae aliisque expensis necessariis. Haec taxa non eadem est pro omnibus dispensationibus, sed semper reducitur ad pauca scutata. Solvitur etiam in dispensationibus in forma pauperum, et si oratores adeo pauperes sunt, ut eam solvendo sint impares, recurrant potius pro dispensatione ad S. Poenitentiariam. Hanc taxam justissimam in se esse quisque videt: qui enim gratias a Sede Apostolica petunt et obtinent, justam retributionem officialibus persolvere debent, aliasque expensas sustinere.

Alia quae dicitur *componenda* seu *compositio* est eleemo-

(1) Ben. XIV Const. *Gravissimum*, 26 *nov.* 1745, § 5.
(2) M. Van de Burgt. *n.* 9, 54.

Digitized by Google

syna in pios usus eroganda. Determinatur ab ipsa S. Dataria hoc modo : Ordinarius testatur de oratorum censu (n. 317, 318), hic census praesumitur oratoribus afferre quatuor pro quolibet centenario, et pro componenda petitur quota horum reddituum juxta naturam impedimenti, et causas dispensationis, diversa pro diversis nationibus, licet saepe juxta circumstantias etiam minor oblata acceptetur. « Quare nil mirum si pro oratoribus, qui divites seu nobiles existunt, quique dispensationem in gradu secundo petunt, allegando causam privatam, ideoque insufficientem, cum publica requiratur causa in eo gradu, praefinitur componenda ultra 500 scutata, et ubi incestus quoque praecesserit, scutata 540, quemadmodum refert P. La Croix *lib.* 6, *p.* 3, *n.* 932. Gravis enim esse debet componenda in pietatis opera eroganda, ut publicae causae rationem habeat. E converso in gradibus remotioribus, in quibus rationabilis causa privata sufficiens censetur, si talis afferatur, ut adhuc insufficiens sit, praefigitur componenda, quae defectui causae privatae respondeat, nimirum viginti octo seu triginta scutata, uti experientia cognitum est. Verum si ea jam definita, oratores ex integro persolvere nequeant, ad ipsorum instantiam reduci quoque solet juxta eorumdem vires et facti adjuncta » Giovine *II*, § 37. Componenda solvitur semper pro dispensationibus in forma communi, et aliquando etiam pro dispensationibus in forma pauperum. In nonnullis autem nationibus e. g. in Galliis loco componendae proprie dictae oratores offerunt,[1] mediante Ordinario, pecuniae summam, quam S. Dataria acceptat licet inferiorem consueta componenda. Etiam disciplina componendae ab incriminationibus haereticorum facile vindicatur : aequum enim est, ut qui dispensationes impetrant, hanc largam eleemosynam in pios usus erogandam solvant, sive in poenam perpetrati criminis, si ratio dispensationis est copula habita inter oratores, sive ut aliquatenus resarciatur vulneri legi inflicto, et rariora reddantur matrimonia inter impeditos. Neque opponas Conc. Trid. *cit. sess. XXIV, cap. V de ref. mat.* volens dispensationes esse gratis concedendas ; nam juxta declarationem S. C. C. relatam a Corrado *VIII, V, n.* 34 id locum tantum

Digitized by Google

habet in compositionibus, non autem in aliis juribus : proinde taxa pro officialibus non opponitur decreto Tridentino, quoad componendam vero R. P. est supra Concilium.

Tandem notandum est praeter taxam et componendam, quae Datariae solvitur, esse quoque expensas postales et aemolumentum pro agente ecclesiastico, qui pro petitione et expeditione dispensationis laborem suum praestitit. Hoc aemolumentum determinatum est ab ipsa Dataria, et notatur singulis vicibus in rescripto dispensationis illis verbis *pro agentia libellae*.....

In genere has aliasque similes expensas matrimonii causa factas utraque pars aeque sustinere debet, cum agatur de communi negotio, nisi specialis inter partes conventio aliud ferat. At si una pars dispensationem obtinet, antequam alia matrimonium acceptaverit, vel ad matrimonium ineundum tenetur ut damnum illatum reparet, vel post obtentam dispensationem injuste a matrimonio resilit, vel demum post sponsalia impedimentum ex ejus culpa inductum est, ipsa debet integras dispensationis expensas persolvere (1).

316. 2° Dispensationes S. Datariae aliae sunt *in forma communi*, aliae *in forma pauperum*. Est etiam *forma nobilium*, sed haec in eo tantum differt a dispensatione in forma communi, quod major componenda solvitur. Dispensatio in forma pauperum dicitur illa, quae pauperibus, remissa componenda, concedi solet, habens clausulas speciales, quae proprie formam pauperum constituunt : nonnumquam autem datur etiam non pauperibus, exacta componenda, ut patebit ex responsione S. C. S. Officii mox citanda. Exinde intelligitur quaenam sit dispensatio in forma communi.

317. Quaeritur in primis quinam in subiecta materia pauperes dicantur. *Pauperes* sunt tum illi qui labore manuum et industria vivunt, quique *miserabiles* proprio nomine appellantur, tum illi qui in Italia non possident bona ultra summam 300 scutatorum romanorum in capitali (1.611 *fr.*), extra Italiam ultra summam 525 scutatorum dictae monetae (2.819 *francs*). *Fere pauperes* autem appellantur qui hanc summam excedunt, sed non notabiliter. Haec, ut alia docu-

(1) Giovine *II*, § 40. Sanchez *VIII*, *XXXVI*.

Digitized by Google

menta omittamus, tradit S. C. S. Officii vel potius Ben. XIV, in responsione 26 *Sept.* 1754 ad Archiep. Turonensem.

Hic sequentia dubia proposuerat.

« 1° Henricus Maria de Fleury Archiep. Turonensis in Gallia nullam dispensationem circa impedimenta matrimonium dirimentia concedere potest, nisi ex speciali Sedis Apostolicae indulto, quo ipsi potestas data est dispensandi cum pauperibus tantum : quaerit an cum iis solis pauperibus dispensare valeat, qui adeo miserabiles existunt, ut labore manuum, et industria tantum vivant? »

« 2° Ex hypothesi quod cum iis dumtaxat pauperibus dispensare possit, quaeritur an dispensationes hujusmodi ipsis concedere queat... pro causis dumtaxat infamantibus, seu inhonestis, etiamsi alii plures Episcopi iisdem circumstantiis easdem dispensationes pro causa qualibet honesta largiantur. Ratio dubitandi est quod Summus ipse Pontifex, a quo specialem hanc facultatem obtinent, nonnisi pro causa inhonesta cum talibus pauperibus ordinarie saltem dispensat. »

« 3° Si praefatus Archiepiscopus dispensare valet pro causa etiam honesta, potestne dispensare pro iis dumtaxat causis honestis, pro quibus ipsa dispensat Apostolica Sedes, an pro aliis quoque similibus? Sic e. g. Summus Pontifex super impedimento consanguinitatis aut affinitatis dispensat cum puella, quae alii viro propter augustiam loci, vel ob defectum dotis nubere non posset ; possetne etiam dictus Archiepiscopus super eodem affinitatis, aut cognationis sive carnalis sive spiritualis impedimento dispensare cum puella quae alii viro nonnisi difficulter nubere queat, sive ob causas memoratas, sive etiam quia gibbosa est, clauda, vel alias deformis, sive etiam quia aliquis ex ipsius consanguineis in primo, secundo, et tertio aut quarto gradu publica infamia per sententiam judicis notatus fuisset, aut capitali poena damnatus? »

« 4° Debetne Archiepiscopus ab iis quibuscum dispensat pro causa sive turpi sive honesta exigere non solum easdem causas, sed easdem etiam circumstantias aut conditiones, quas in similium dispensationum largitione Summas Pontifex exigere solet? »

Digitized by Google

5° « Pontificio indulto, quod dictus Archiepiscopus obtinuit, datur ipsi facultas dispensandi in tertio et quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu simplici et mixto : potestne vi hujus facultatis dispensare in secundo gradu ad tertium? »

S. C. reposuit « Ad 5um dubium negative. Ad quatuor vero priora significetur quomodo Sedes ipsa Apostolica se gerere soleat in dispensationibus cum pauperibus circa impedimenta matrimonium dirimentia. Tuum enim erit, ut ipse SSmus D. N. addidit, iis iisdem uti regulis, cum delegatus a delegantis moribus et consuetudine vel tantisper recedere nec possit, nec debeat. Deinde subjunxit Sedi Apostolicae ab antiquissimo tempore in more esse non dispensandi in forma pauperum circa tertium et quartum simplicem consanguinitatis, vel affinitatis gradum, nisi vera concurrat paupertas et aliqua ex causis inferius recensendis. *Vere autem pauperes* non utique alii existimantur, quam qui adeo miserabiles sunt, ut labore manuum et industria tantum vivant ; quo fit ut dispensatio in forma pauperum non aliter a Sede Apostolica concedatur, quam si de paupertate dispensandorum constet ex proprii Episcopi attestatione, et ea quidem quae exarata est juxta decretum Urb. VIII (seu verius Alex. VII) quod nimirum : *oratores pauperes, et miserabiles existant, ut ex suis laboribus et industria tantum vivant.* Quia tamen illi etiam *ita pauperes dici merito possunt qui aliqua possident bona*, hinc non denegatur a S. Sede dispensatio in forma pauperum, etiamsi oratores bona in capitali possideant valoris scutorum 300 monetae romanae, si ipsi citra montes degunt, vel, si ultra montes, valoris ducatorum auri de camera 300 summam attingentium scutorum 525 dictae monetae. Quod si bona habeant ad quantitatem usque scutorum vel respective ducatorum 1000 auri de Camera (1) dispensatio nihilominus in forma pauperum conceditur, soluta tamen eleemosyna, quae vulgo dicitur *componenda* scutatorum quatuor (2) pro quolibet centenario, quam SSmus memorat, et vult vel erogandam esse in subsidium pauperum, vel ipsis dispensandis eleemosynae

(1) 5370-9396 *francs*.
(2) 21 *francs*.

Digitized by Google

titulo remittendam, si nihilominus eorum conditione inspecta, pauperes esse videantnr. Amplius vero possidentibus dispensatio in forma pauperum non conceditur, sed sub altera forma *Ex honestis*, quae tamen in facultatibus concessis minime comprehenditur. »

Summae autem hujusmodi intelliguntur deducto aere alieno, et deductis expensis necessariis pro bonorum administratione et oneribus seu ordinariis seu extraordinariis solvendis (1). Et etsi Ben. XIV loquatur tantum de capitali, aequitas postulat ut in determinatione fortunae non solum habeatur ratio capitalis, quod quis actu possidet sed etiam aemolumentorum, quae ex locupleti industria aut ex officio in dies acquirit, si nimirum ingentia illa sint, et necessariam sustentationem multum excedant, uti contingere potest in militiae ducibus, regiis ministris, advocatis, medicis.. Etiam habenda est aliqua ratio fortunae, quam quis non in re, sed in spe habet, si nimirum illam jure expectet ex haereditate patris, avi, etc., qui nullam habent legitimam exhaeredationis causam ; quae tamen non tanti aestimanda est, ac si in re haberetur. « Verum numquam is, qui parentes divites habet, pauper intelligitur ; nisi vel ipse paterna domo sine alimentis fuerit ejectus (De Justis., *n°* 106) vel illi ex lege cogi non possint (ceu penes nos) ad praestandam filiis legitimam, dotem (Reiff., *n°* 301) » D'Annibale *III*, § 355, *not.* 13. Et non sufficit alterutrum oratorem pauperem esse, vel fere pauperem, sed uterque talis esse debet ; ita ut simul computari debeant utriusque partis facultates (2), excepto tamen casu dispensationis in impedimento mixtae religionis, quo fortunae partis acatholicae nulla ratio habetur.

318. Porro de statu fortunae oratorum testari debet in instantia pro dispensatione Ordinarius domicilii, non originis (3) : et si oratores bona etiam in loco originis habent, in dubio opus est, ut vel Ordinarius domicilii ab Ordinario originis indicationem horum bonorum exquitat, vel testes interrogentur, qui de illo fidem facere possint. Episcopus

(1) Giovine *II*, § 18, *n.* 8.
(2) De Justis *I*, *VII*, *n.* 15. Reiff. *App. n.* 397, Giovine *II*, § 18, *n.* 9.
(3) D'Annibale *III*, § 355, *not.* 15. Giovine *II*, § 202.

Digitized by Google

autem illum plerumque desumit ex attestatione parochi, qui re sedulo perpensa et interrogatis ipsis oratoribus, aliisque personis fide dignis, saltem approximative Ordinario indicabit oratorum fortunam. Urb. VIII (vel potius Alex. VII) praecepit hac super re interrogari quoque testes coram Vicario Generali, vel alio ad hoc ab Episcopo deputato, interrogatoriis ab ipsa Romana curia jussu ejusdem Urb. VIII confectis, et ad omnes Ordinarios transmissis, quae sunt tenoris sequentis. « In primis testis moneatur de gravitate juramenti in hoc praesenti negotio ob illius importantiam et gravitatem. *Interrogetur* de nomine, cognomine, patria, aetate, exercitio, et habitatione. *Interrogetur*, an sit civis vel exterus : et quatenus sit exterus a quanto tempore sit in loco, in quo deponit. *Interrogetur*, an ad examen accesserit sponte vel requisitus. *Interrogetur*, an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus. *Interrogetur*, an cognoscat ipsos contrahere volentes et a quanto tempore. Si responderit negative, dimittatur : si responderit affirmative : *Interrogetur*, quid sponsus in omnibus suis bonis generis cujuscumque possideat, et ad quem valorem, et in causa scientiae. *Interrogetur*, quid si bona praedicta locarentur, annuatim ex illis percipere posset, et in causa scientiae. *Interrogetur*, an alibi alia bona habeat, ex quibus majores fructus percipere possit et in causa scientiae. *Interrogetur*, an esse possit quod sponsus alia bona possideat, ipso teste ignorante : si negaverit, det rationem suae negativae. *Interrogetur*, an sciat quam dotem habeat sponsa vel alia bona, et in quo dos consistat an in mobilibus, vel immobilibus. *Interrogetur*, quid dotem locando, percipere posset annuatim : et in causa scientiae. *Interrogetur*, quae onera tam sponsus quam sponsa habeant super bonis praedictis tam ordinaria quam extraordinaria, et in causa scientiae. *Interrogetur*, an sciat inter oratores aliquod parentelae vinculum intercedere, et quale. Si affirmet: moneatur delineare arborem, et dicere quas personas ex illa cognoverit, et quomodo ab aliis reputarentur. *Interrogetur*, an oratores orthodoxae fidei cultores existant, et in causa scientiae. *Interrogetur*, an ipsi testes in Paschate

Digitized by Google

communicaverint ». Fatendum est formalia haec testium interrogatoria in usu amplius saltem ubique non esse. Igitur Ordinarius oratorum censum dignoscens sive ex privata scientia, sive ex parochi informatione vel ex testium depositione dicet oratores esse miserabiles, aut pauperes, aut fere pauperes, aut divites, statum fortunae indicans: quod testimonium Ordinarius gratuito dare debet. In illis autem regionibus, in quibus vera componenda non solvitur e. g. in Galliis, Ordinarius numquam testatur de oratorum censu, sed oratoribus dicit pro hac dispensatione praeter alias expensas offerendam esse pecuniae summam viribus ipsorum proportionatam in pios usus erogandam: deinde si oratores allegantes paupertatem, nullam offerunt, aut non excedentem taxas S. Poenitentiariae (n. 324), Ordinarius instantiam mittit ad S. Poenitentiariam dicens oratores pauperes nihil solvere posse, aut non nisi hanc summam; secus instantiam mittit ad S. Datariam dicens oratores talem pecuniae summam obtulisse, quam S. Dataria acceptat loco componendae. Haec praxis plura graviaque incommoda evitat.

319. Quid vero si oratores paupertatem falso allegantes sive ex dolo sive ex malitia, dispensationem in forma pauperem, remissa componenda, obtinuerunt, aut ante fulminationem dispensationis divites facti sunt? Certum est dispensationem per se valere (1) ex theoria generali de valore gratiae obreptitiae, quam habes n. 353 in nota; cum paupertas non sit causa dispensationis, sed potius ratio, qua dispensatio concessa est in forma pauperum et componenda remissa. Hinc S. C. C. 9 *Sept.* 1679 validam dixit dispensationem in forma pauperum concessam, licet deinde compertum fuisset oratores pauperes revera non esse (2). Et proposito dubio an valeret matrimonium duorum, qui se falso dixerant pauperes in casu, S. Poenitentiaria reposuit 1 *Dec.* 1852 apud Caillaud n. 275: « Juxta exposita matrimonium esse validum, sed oratores teneri solvere jura Datariae Apostolicae ». Et

(1) S. Alph. *VII, n.* 1129 et H. A. *XVIII, n.* 87. D'Annibale *III,* § 356. Scavini *III, n.* 1030. Santi *IV, App. n.* 27. Reiff. *IV, App. n.* 205 cum communi.

(2) *Lib.* 30, *Decret. pag.* 407.

Digitized by Google

merito dicitur oratores teneri solvere jura idest componendam Datariae Apostolicae : nam, tacita falsitate, R. P. gratiam concessurus quidem fuisset, sed in forma ordinaria, et ideo remissio componendae etiam in casu bonae fidei non tenet ex ipso *cap.* 20. *De rescriptis.* Major difficultas de valore dispensationis videtur adesse, si rescripto inserta est clausula: *Dummodo pauperes et miserabiles existant* quae semper adhibetur (1), quaeque importare videtur veram conditionem, sine qua non est concedenda dispensatio. Et revera nonnulli censent dispensationem in hoc casu nullam esse (2), quia illa restrictio afficit ipsam dispensationem ; alii censent et in hoc casu valere (3), quia restrictio afficit tantum formam. Nobis haec altera sententia magis arridet, praesertim ab auctoritatem S. Poenitentiariae in cit. responsione ; non enim dubitamus hanc clausulam in rescripto illius dispensationis, prout de more, insertam fuisse. Stante hac controversia, de rigore juris dispensatio semel concessa habenda est valida, quia actus praesumitur validus, donec contrarium non probetur, et multo magis matrimonium vi illius initum propter favorem juris, quo gaudet ; sed si agitur de matrimonio ineundo nec tempus urget, rursus recurratur ad S. Datariam (4).

320. 3° Si oratores in consanguinitatis vel affinitatis gradu inaequali *ultra primum* juncti sunt e. g. in secundo et tertio, vel in tertio et quarto, S. Dataria dispensat in remotiori, qui trahit ad se propinquiorem, et simul declarat, seu, ut dicitur, dat literas declaratorias, quod propinquioris distantia non obstet, his verbis in rescripto « distantiam vero secundi..... consanguinitatis gradus hujusmodi eis non obstare declares » Ita constituit S. Pius V in Const. *Sanctissimus* 26 *Aug.* 1566. De Justis *II*, *III*, *n.* 39 subdit. « Quae literae declaratoriae ideo fiunt non quia propinquior gradus obstet matrimonio....., sed ad tollenda scandala plebis jura ignorantis, quae putat non esse validam dispen-

(1) Vide formulas dispensationum in Alleg. IV.
(2) Corradus *VIII, VI, n.* 58 *sequ.* De Justis *I, VII, n.* 15. Caillaud *n.* 273 *sequ.*
(3) Giovine *II*, § 74, *n.* 3. Avanzini *Acta S. Sedis V, pag.* 27.
(4) Feje *n.* 695.

Digitized by Google

sationem factam super solo gradu remotiori, imo credit magis necessariam esse super propinquiori, cum juxta illius credulitatem majorem propinquitatem videatur inducere ». Has literas declaratorias dare pro propinquiori, sicut dispensationem concedere pro remotiori, pertinet ad Sedem Apostolicam. Diximus *ultra primum*, quia si gradus propinquior est primus, praxis Datariae est ut dispensatio concedatur in utroque.

321. 4° Tandem sciendum est nullas ordinarie concedi dispensationes a S. Dataria diebus dominicis, aliisque festis : neque tempore vacationum in autumno a die 4 Oct. ad diem 12 Nov., neque per tres hebdomadas a Nativitate D. N. I. C. incipientes, neque per tres hebdomadas ante quadragesimam, neque per duas hebdomadas in Paschate, et per totidem tum in Pentecoste, tum in festo S. Petri. His adde, quod Apostolica Sede vacante, S. Dataria penitus conquiescit, cum Cardinalis Pro-Datarii officium per obitum Pontificis omnino expiret (1).

322. *S. Poenitentiaria* dispensat *nativo jure* tantum pro foro interno in occultis impedimentis (et horum etiam nonnulla excepta sunt), ita ut non dispenset in publicis impedimentis, ejusque dispensatio in occultis pro externo foro non prosit, licet matrimonium in se valeat. Ejus facultates continentur in Const. *Pastor bonus* 13 *Apr.* 1744, qua Ben. XIV illius facultates determinat. Juxta hanc constitutionem S. Poenitentiaria potest dispensare in sequentibus casibus. »

« § 39. In matrimoniis contrahendis possit idem Major Poenitentiarius in foro conscientiae tantum super impedimentis occultis, quae matrimonium non dirimunt, dispensare, vel dispensari mandare ; itemque super omissione denunciationum, etiam ad effectum contrahendi secreto..... At a dispensationibus concedendis super quocumque impedimento ex quovis gradu sive consanguinitatis sive affinitatis ex copula licita seu ex cognatione spirituali proveniente, etiam in foro conscientiae tantum, tametsi impedimentum

(1) Giovine *II*, § 25, *n*. 4. At ab anno 1879 S. Dataria aliquas expedit dispensationes feria sexta tempore vacationum autumnalium. Planchard *n*. 118.

Digitized by Google

sit occultum et periculum scandalorum immineat, in iisdem matrimoniis contrahendis abstineat » (1).

« § 40. In contractis vero matrimoniis a dispensatione seu matrimonii revalidatione in gradibus primo et secundo seu secundo tantum consanguinitatis vel affinitatis ex copula licita etiam in occultis pariter abstineat: praeter quam si in secundo tantum gradu praedicto impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, et oratores simul publice contraxerint et convixerint, et uti conjuges legitimi reputati fuerint. In tertio autem et quarto gradibus occultis in contractis possit dispensare atque etiam in iisdem tertio, et quarto gradibus publicis possit revalidare matrimonia ex causa subreptionis et obreptionis occultae litterarum Apostolicarum nulliter contracta: praeter quam si falsitas consistat in narratione praecedentis copulae, quae antea revera non intercesserat » (2).

« § 41. Quod si aliqui oratores obtinuerint a nostra Dataria dispensationem super gradu prohibito in primo et secundo, vel in secundo tantum, ac etiam in tertio et quarto cum reticentia copulae inter eos sequutae, quam sine honoris detrimento detegere non valeant, et ratione hujusmodi reticentiae petant dispensationem pro matrimonio contrahendo, seu revalidationem matrimonii contracti, possit idem Major Poenitentiarius, si copula sit adhuc secreta, hujusmodi dispensationem, seu respective revalidationem, in foro conscien-

(1) Notare debes duo: 1° Facultas dispensandi in impedimentis impedientibus occultis non comprehendit mixtam religionem, in qua, ut dictum est, dispensat S. C. S. Officii; nec vetitum Ecclesiae, tempus feriatum, probationem status liberi, quae vera impedimenta impedientia non sunt: comprehendit vero sponsalia occulta (non publica), item occultum votum matrimonium impediens, quodcumque tandem illud sit (n. 437 sequ.). 2° In illis impedimentis dirimentibus ideo Major Poenitentiarius abstinere a dispensatione debet, quia licet aliquando haec impedimenta occulta sint ratione notitiae aliorum, tamen sunt publica natura sua (Giovine *II*, § 28. Bangen *II*, *p.* 167, *sequ.* Feje, *n.* 605). At Major Poenitentiarius potest dispensare in publica honestate ex sponsalibus occultis (Ben. XIV, *Inst. Ecc.* 87, *n.* 7) tum de futuro tum de praesenti, ut putamus.

(2) Insuper pro inito matrimonio Major Poenitentiarius potest quoque dispensare in occulta cognatione spirituali, de qua in relata paragrapho mentio non fit (Ben. XIV, *Inst. Ecc.* 87, *n.* 11. Feje *n.* 606), nec non in occulta publica honestate, de qua supra.

Digitized by Google

tiae tantum concedere; facta quando agitur de primo et secundo, vel secundo tantum gradu, compositione 50 ducatorum auri de Camera ad Datariam transmittendorum, ad effectum (ut inconcussi moris est) erogandi in eleemosynas, nisi prior gratia expedita fuisset in forma pauperum, quo casu etiam haec gratia similiter absque ulla compositione expediatur » (1).

« § 42. Si qui vero oratores, obtenta dispensatione a Dataria super impedimento primi et secundi, sive secundi dumtaxat gradus consanguinitatis seu affinitatis cum expressione quidem copulae carnalis, sed tacita occulta et malitiosa intentione in ipsa copula habita ad facilius obtinendam dispensationem, pro revalidatione hujusmodi dispensationis ad dictam Poenitentiariam recurrant, possit idem Major Poenitentiarius desuper absolute dispensare cum miserabilibus personis, explicite affirmantibus se uti tales, et sub illa expressa qualitate et forma miserabilium dispensationes a Dataria obtinuisse: cum iis vero qui non tamquam pauperes, sed uti ex honestis familiis, sive uti nobiles, sive uti illustres, ab eadem Dataria similiter dispensati fuerint, non dispenset, nisi soluta prius in Dataria ad effectum pariter erogandi in eleemosynas, taxa definienda arbitrio ejusdem Majoris Poenitentiarii, pensatis circumstantiis cujuscumque casus, et respectu habito ad praejudicium componendae et ad vires supplicantium. Si tamen isti pauperes essent, ita ut vere et realiter integram summam taxatam, vel aliquam ejus partem solvere non possent, praefatus Major Poenitentiarius opportune in hoc casu provideat, facto verbo, si peculiaris difficultas id postulet, cum SSmo » (2).

« § 43. Super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, seu ex actu fornicario proveniente, quotiescumque adsit rationabilis causa, licet periculum revelationis seu scandalorum non immineret, vel non adesset, in matrimoniis tam

(1) Haec paragraphus locum amplius non habet postquam SSmus D. N. Leo XIII decreto S. C. S. Officii 25 *Junii* 1885 necessitatem exprimendi copulam pro dispensationis validitate suppressit (n. 360).

(2) Rursus et haec paragraphus locum amplius non habet post decretum in nota praec. citatum.

Digitized by Google

contractis, quam contrahendis in foro conscientiae dispensare et dispensari mandare possit et valeat » (1).

« § 44. Super occulto impedimento criminis adulterii, si fuerit cum fide dumtaxat, neutro machinante, commissum, possit tam in contrahendis quam in contractis matrimoniis dispensare. Si vero crimen hujusmodi fuisset, utroque vel altero machinante, patratum, possit in occultis pariter dispensationem concedere, raro tamen et quando necessitas postulaverit, ratione alicujus gravis imminentis periculi, quod prudentia Majoris Poenitentiarii, re praesertim discussa in Cong. vel Signatura, arbitrandum erit (2) ».

« § 45. Declaramus praeterea quod facultates praefatae a Nobis Majori Poenitentiario, et ejusdem Poenitentiariae officio concessae circa dispensationes matrimoniales locum habeant, etiamsi gradus et impedimenta hujusmodi multiplicia sint, quacumque et quantacumque multiplicitate; volentes in litteris hujusmodi dispensationum matrimonialium posse prolem, ubi opus erit, sive suscipiendam sive susceptam, non tamen in adulterio conceptam, in foro conscientiae tantum legitimam decernere, nec non apponi clausulam *Nullius* etc., prouti in hujusmodi materiis hactenus ipsa Poenitentiaria servare consuevit ».

« § 46. Ulterius super casibus quibusvis occulti impedimenti ad petendum licite debitum dispensare aut dispensari mandare possit et valeat ».

323. Eae sunt facultates in re matrimoniali, quae S. Poenitentiariae juxta primitivam suam institutionem demandatae sunt. At *ex speciali concessione* S. Poenitentiaria a saeculo habet nonnullas facultates etiam pro foro externo in impedimentis publicis. Nam subversis civilibus rebus, saeculo superiore exeunte, officia Datariae tacuerunt, atque omnes dispensationes matrimoniales per S. Poenitentiariam, speciali commissa facultate, expediebantur. Rebus

(1) Illis verbis *ex copula illicita seu ex actu fornicario* comprehenditur « omnis copula extra-matrimonialis sive fornicaria tantum existat, sive stupro etiam atque adulterio contaminetur ». Ben. XIV *Inst. Ecc.* 87, *n.* 20.

(2) Vide Ben. XIV *cit. Inst. Ecc.* 87, *n.* 21.

Digitized by Google

in pristinum statum restitutis, ad Datariam redierunt dispensationes omnes, quae forum externum spectant : sed S. Poenitentiariae cumulative cum Dataria manserunt dispensationes pro foro externo ad matrimonium contrahendum favore pauperum in sequentibus impedimentis : *a*) consanguinitatis in quocumque gradu lineae collateralis, excepto primo aequali ; *b*) affinitatis in quocumque gradu lineae collateralis, et etiam lineae rectae, si affinitas provenit ex copula illicita ; *c*) publicae honestatis ; *d*) criminis ex adulterio cum fide data cum clausula : *Dummodo neuter in prioris conjugis necem machinatus fuerit* ; *e*) cognationis spiritualis etiam inter levantem et levatam ac viceversa ; *f*) cognationis legalis : quae tamen dispensatio raro admodum conceditur. Quando novus Major Poenitentiarius eligitur potestatem has dispensationes concedendi per oraculum Pontificium recipit cum clausula: *Dummodo concurrat vera oratorum paupertas per authenticam Ordinariorum attestationem comprobanda.* Quinam veniant nomine *pauperum* vide n. 317. At si matrimonium in facie Ecclesiae contractum fuerat bona fide cum aliquo impedimento, S. Poenitentiaria in eo impedimento dispensat etiam favore non pauperum ad effectum denuo contrahendi sive publice sive privatim coram parocho et testibus. Praeterea quamquam illa extraordinaria potestas S. Poenitentiariae loco Datariae concessa respiciat tantum pauperes, tamen optime advertit Avanzini *Acta S. Sedis II*, *pag.* 62. « Possunt dari casus extraordinarii et urgentes (1) in quibus Ordinarius opportunum existimet supplicari S. Poenitentiariae etiam pro oratoribus non pauperibus. Hoc autem in casu idem Ordinarius peculiaria motiva accurate exponere debet, quibus consideratis, justisque repertis, si S. Poenitentiaria precibus expositis providere non possit suis ordi-

(1) E. g. tempore vacationum Datariae, urgente necessitate ; vel si ad gravia incommoda removenda praestat matrimonium contrahi inter Cajam et Titium, qui eam cognovit et componendam solvere recusat ; vel si necessaria est dispensatio pro foro externo, cum maxima tamen reservatione concessa, licet impedimentum hic et nunc occultum sit ; vel si casus mixti fori contingat ob gravissimas circumstantias nimis complexus. Giovine *II*, § 34, *n.* 2.

Digitized by Google

nariis facultatibus, eisdem tamen prospicit facultatibus extraordinariis, quas a S. P. implorat in consueta audientia, quam in singulis hebdomadis habet Card. Pœnitentiarius Major. In hujusmodi autem adjunctis necesse est, ut Ordinarius peculiarem supplicantium conditionem enarret, et opportunum est etiam ut patefaciat quantum taxae nomine impendere oratores possint, ut sarcta tectaque maneant jura Datariae Apostolicae, in cujus capsam omne id remittitur, quod in officio S. Poenitentiariae solvitur ».

324. S. Poenitentiaria matrimoniales dispensationes sicuti quamlibet aliam gratiam tum pro interno tum pro externo foro gratuito concedit, quod indicat verbum *gratis* rescripto appositum. At concedens pauperibus dispensationes pro foro externo imponit *pro juribus Datariae Apostolicae* sequentes taxas, quas deinde in capsam Datariae, detractis expensis, deponit: Pro primo gradu aequali affinitatis, vel pro primo gradu mixto cum secundo aut ulteriori gradu consanguinitatis aut affinitatis libellas 32: pro secundo gradu libellas 26; pro secundo gradu mixto cum tertio libellas 21; pro tertio aequali, vel pro tertio et quarto, vel pro quarto aequali libellas 16. Impedimentum cognationis spiritualis, publicae honestatis, primi et secundi gradus affinitatis ex copula illicita habentur quoad taxam tamquam impedimenta minora, et pro dispensatione imponuntur libellae 16. Quando plura concurrunt impedimenta, imponitur tantum taxa dispensationis in impedimento majori, e. g. si adest affinitas in primo gradu, consanguinitas in secundo vel tertio, cognatio spiritualis etc., pro dispensatione imponuntur solae libellae 32. Oratoribus ex Galliis, si pauperes sunt, nec aliquam summam sponte offerunt, dispensatio semper conceditur a S. Poenitentiaria sine ulla imposita taxa, sed cum clausula: *Erogata ab eis aliqua eleemosyna judicio Ordinarii juxta eorum vires taxanda et applicanda.* Etiam pro aliis locis S. Poenitentiaria acceptat summas ab oratoribus oblatas minores taxa consueta, si Ordinarius testatur oratores pauperes non posse ulterius aliquid persolvere: imo si testatur oratores adeo esse miserabiles, ut nihil prorsus solvere valeant, dispensatio gratuito conceditur. Proinde ut oratores dispen-

Digitized by Google

sationem a S. Poenitentiaria gratuito prorsus obtineant, non sufficit Ordinarium testari eos esse pauperes et miserabiles, sed requiritur ejusdem testimonium, eos adeo pauperes et miserabiles esse, ut nil dare possint. Quod si oratores fere pauperes sunt, taxae ordinariae adduntur libellae 10, e. g. consanguinei in secundo gradu fere pauperes solvunt libellas 36.

His addimus etiam in S. Poenitentiaria esse ab oratoribus solvendas expensas postales et congruam remunerationem agenti ecclesiastico, si per ipsum matrimonialis dispensatio sive pro externo sive pro interno foro obtineatur. Hac de re Avanzini *Acta S. Sedis I, App. XIII* haec habet. « S. Poenitentiaria numquam mercedem seu remunerationem pro his (agentibus) determinavit; scimus tamen, praxi inspecta, unum circiter scutatum nimirum quinque *francos* posse ab agentibus exigi pro ejusmodi dispensationis rescriptis. Labor qui ab iisdem impenditur gravis non est: reducitur enim ad scribendas preces, concinnandas super Ordinarii fide, easque duplicandas, et S. Tribunali porrigendas: hisce peractis redire debent ad Tribunal ad rescriptum recipiendum, soluta taxa respectiva. Praetereundum tamen non est, quod cum de dispensationibus in gradibus majoribus agitur, istae saepe non conceduntur nisi post exquisitas et repetitas Ordinarii informationes; hinc labor augetur, nec non litterarum expensae, proindeque tenuis nimis redderetur summa indicata. Et e contra agentes jus habent ad expensas, quas faciunt in literis recipiendis et mittendis, quae interdum graves fiunt: hinc pro ratione negotii prudentiae remittitur supplicantium remunerationis majoris vel minoris solutio. Adverti nihilominus debet eos non posse exigere taxas, quae statutae sunt pro Apostolicae Datariae agentibus. Illud enim jus quod iisdem tribuit Dataria, non tribuit S. Poenitentiaria quae sollicita est de pauperum negotiis; exigere proinde non possunt, nisi ratione praestiti officii congruam remunerationem, ac praeterea nihil ».

Igitur si petisti a S. Poenitentiaria dispensationem pro foro externo mediante agente ecclesiastico, persolvis S. Poenitentiariae taxam, et agenti expensas postales ac remuneratio-

Digitized by Google

nem ; si absque agente ecclesiastico, persolvis S. Poenitentiariae taxam et expensas. Si petiisti a S. Poenitentiaria dispensationem pro foro interno mediante agente ecclesiastico, huic persolvis remunerationem et expensas ; si absque agente ecclesiastico, nil omnino persolvis. Quinam haec omnia sustinere debeat vide n. 315 in fine.

Tandem notandum est S. Poenitentiariam quando cum pauperibus dispensat in consanguinitatis vel affinitatis gradu inaequali etiam ultra primum, solere dispensare in utroque gradu, secus ac S. Datariam (n. 320) ; et ideo in rescripto dispensationis S. Poenitentiariae nulla fit mentio declarationis, quod distantia propinquioris non obsit.

325. Quaeritur an valeat dispensatio pro foro externo a S. Poenitentiaria concessa iis, qui falso paupertatem allegarunt, vel qui ante fulminationem e pauperibus divites facti sunt. Nonnulli negant, quia potestas dispensandi pro foro externo S. Poenitentiariae datur tantum pro pauperibus (n. 323) ; delegatus autem ultra limites mandati agens, nihil agit. Alii affirmant, quia mandatum Pontificis ita videtur esse conceptum, ut Major Poenitentiarius possit dispensare, quoties habetur authentica Ordinarii attestatio de paupertate oratorum, sive haec attestatio veritati conformis sit sive difformis. Hanc salebrosam quaestionem ipsa S. Poenitentiaria dirimendam proposuit S. C. C., quae die 26 *Apr.* 1873 reposuit *dilata*. Rursus autem proposita sub dubio. « An validae sint matrimoniales dispensationes pro pauperibus a S. Poenitentiaria in foro externo concessae, quando paupertas falso allegata fuit in casu » S. C. die 28 *Junii* 1873 edixit *nihil innovandum*, idest servetur praxis vigens. Jam vero praxis S. Poenitentiariae, prouti in folio S. C. C. exponitur, haec est. Distinguuntur tria tempora : tempus praecedens dispensationem, tempus subsequens dispensationem et praecedens ejusdem executionem, tandem tempus subsequens executionem. In primo tempore si S. Poenitentiaria certo cognoscit oratores non esse vere pauperes, negotium remittit ad S. Datariam ; si dubitat, informationes petit ab Ordinario, vel urgente necessitate, dispensationem concedit quidem, sed sub expressa conditione : *Dummodo oratores*

Digitized by Google

sint vere pauperes. In altero tempore S. Poenitentiaria deprehendens oratores vere pauperes non esse, vel eosdem remittit ad Datariam pro sanatione defectus paupertatis, vel Major Poenitentiarius, si rerum adjuncta id suadeant, imploratis peculiaribus facultatibus in audientia Ssmi, novam dispensationem concedit, numquam tamen in nova hac dispensatione concedenda utitur iis facultatibus, quibus cum pauperibus dispensare valet. Tandem in tertio tempore S. Poenitentiaria resciens oratores vere pauperes non fuisse, sanationem tribuit non quidem ex propriis facultatibus, sed rem ad Ssmi audientiam in singulis casibus deferens. Jam vero haec praxis S. Poenitentiariae hac intentione seu hoc consilio regitur, ut nempe in casibus particularibus qui proponuntur, aptetur remedium quod omnes anxietates et quaestiones removeat, et in tuto ponatur validitas dispensationis ac matrimonii, relicta canonistis et moralistis quaestione de validate dispensationis in casu (1). Cum igitur S. C. C. in relata responsione simpliciter probaverit stylum S. Poenitentiariae, dicendum est noluisse in puncto juris quaestionem dirimere et litem adhuc sub judice esse (2). Proinde rursus de rigore juris dispensatio semel concessa habenda est ut valida, et multo magis matrimonium ; sed in praxi, si matrimonium est contrahendum nec tempus urget, rursus recurratur ad S. Datariam. At oratores peccare paupertatem falso allegantes, et debere jura Datariae supplere non est dubium. Quod si oratores e pauperibus divites evaverunt post fulminationem dispensationis, patet dispensationem remanere validam, seu impedimentum sublatum advenientibus divitiis non restitui.

326. S. Poenitentiaria vacationes in anno non habet. Et licet ejusdem officium « diebus dominicis et festis de praecepto non pateat, tamen si urgeat alicujus dispensationis necessitas, officiales adiri possunt privatim in suis domibus, qui postulantium preces excipiunt, eosdemque dirigunt, ut quatenus opus sit pro opportunitate negotia expediantur ». Avanzini *Acta S. Sedis I, App. VI.* Sede Apostolica vacante,

(1) Santi *IV, App. n.* 31. Avanzini *Acta S. Sedis VII, pag.* 429.
(2) Santi *l. c.* D'Annibale *III*, § 356.

Digitized by Google

omnes facultates S. Poenitentiariae pro foro externo, aeque ac Datariae, penitus conquiescunt ex cit. Const. *Pastor bonus*, § 53 : e contrario facultates pro foro interno permanent et extenduntur etiam ad casus exceptos. Ita enim statuit cit. Const. *Pastor bonus* § 51..... « Volumus et decernimus ut Major Poenitentiarius, cujus facultas dicto tempore non expirat, sed tantummodo non habet exercitium extra conclave, seu ejus officiales facere et expedire valeant quaecumque ad forum conscientiae pertinent ». Et § 52 « Praeterea concedimus ut si quando aliquod gravius animae periculum immineat cui celeriter occurrendum videatur, re in Signatura diligenter examinata, et Majori quoque Poenitentiario, si in conclavi degat, pro materiae gravitate consulto et approbante, dispensare aut dispensari mandare pro eodem foro conscientiae valeant super illis etiam, super quibus alias, vivente Pontifice, inhibita sit Majori Poenitentiario et Poenitentiariae dispensandi facultas. Ita tamen ut oratores..... ad novum Pontificem post ejus electionem similiter debeant recurrere, aliisque appositis clausulis pro casus natura necessariis et opportunis ».

327. Tandem corollarii loco videamus quid juris in casu, quo oratores duplici impedimento detineantur, altero publico, occulto altero. Nimirum prius obtineant dispensationem in publico a S. Dataria (vel etiam a S. Poenitentiaria, si pauperes sunt) nil dicentes in instantia de occulto impedimento : deinde pro occulto recurrant ad S. Poenitentiariam notantes in instantia et aliud impedimentum publicum fuisse, a quo dispensatio obtenta fuit. S. Poenitentiaria dispensat in occulto, et simul potestate, qua pollet, sanat dispensationem in publico concessam, quae fuerat nulla vitio subreptionis. Si autem quaeras, num oratores possint e contrario prius adire S. Poenitentiariam, et deinde S. Datariam, respondemus DD. communiter affirmare (1), sed negare Giovine *II*, § 5, *n.* 11, quia dispensatio Datariae a S. Poenitentiaria revalidanda est ; et confirmatur ex cit Const. *Pastor bonus*, § 41. Hae rationes revera gravissimae valde movent

(1) De Justis *I, IV, n.* 106. Guttierez *cap.* 124, *n.* 23. Sanchez *VIII XXIII, n.* 7, qui affert quoque exemplum. Schmalz. *IV, XVI, n.* 178.

Digitized by Google

D'Annibale *III*, § 348, *not.* 23, ac proinde in praxi consultissimum erit ab hac sententia non discedere.

2°. — *De causis propter quas dispensationes matrimoniales a Romano Pontifice conceduntur.*

328. Cum impedimenta matrimonialia ab Ecclesia statuta sint generales leges, quae maxime in bonum ecclesiasticae et civilis societatis conferunt, sequitur non esse remittenda, nisi urgente gravi et rationabili causa juxta Conc. Trid. praeceptum *sess. XXIV, cap. V de ref. mat.* (n. 311) et pro omnibus legibus *sess. XXV, cap. XVIII de ref.* Dispensatio sine justa causa concessa a R. P. foret valida, sed illicita. Jam vero causae propter quas S. Sedes dispensare solet, quaeque proinde *canonicae* appellantur, aliae dicuntur *honestae,* quae nec delicti nec infamiae notam habent, aliae *infamantes*, quae delicto vel infamiae oratorum innituntur. Sed jam praecipuas enumeremus.

329. Causae, quas S. Dataria canonicas habet pro dispensationibus concedendis, sunt tantum quatuor sequentes; 1° *angustia loci*, 2° *aetas mulieris ultra XXIV aetatis annum*, 3° *copula habita inter oratores*, 4° *infamia mulieris*, non sequuto matrimonio, ob nimiam cum sponso familiaritatem et copulae suspicionem etsi falsam. Si nulla ex hujusmodi causis in casu adest, dispensatio adhuc obtineri potest, aucta tamen componenda: quod augmentum ipsum est rationabilis dispensationis causa veniens in rescripto sub appellatione *ex certis et rationabilibus causis* et dici quoque solet *causa sine causa*. Oratores pauperes Sardiniae, qui dispensationem in gradibus remotioribus petunt ob aliquam ex praedictis causis, ipsa S. Dataria remittit ad S. Poenitentiariam cum rescripto: *Ex audientia Ssmi... pro petita dispensatione expedienda per officium S. Poenitentiariae,* quae dispensationem expedit *omnino gratis.*

330. At S. Poenitentiaria ac Congregationes quae dispensationes elargiuntur (n. 313), alias plures causas habent canonicas. De eis agit Ben. XIV in cit. responsione ad Archiep. Turonensem, sed plenius eas recenset instructio S. C. de Prop. Fide *super dispensationibus matrimonialibus*

Digitized by Google

9 *maii* 1877 in prima parte ; quam heic referimus, nonnullas animadversiones in notis addentes.

331. « Cum dispensatio sit juris communis relaxatio cum causae cognitione ab eo facta, qui habet potestatem, exploratum omnibus est dispensationes ab impedimentis matrimonialibus non esse indulgendas, nisi legitima et gravis causa interveniat. Quinimo facile quisque intelligit tanto graviorem causam requiri, quanto gravius est impedimentum, quod nuptiis celebrandis opponitur. Verum haud raro ad S. Sedem perveniunt supplices litterae pro impetranda aliqua hujusmodi dispensatione, quae nulla canonica ratione fulcitur. Accidit etiam quandoque, ut in hujusmodi supplicationibus ea omittantur, quae necessario exprimi debent, ne dispensatio nullitatis vitio laboret. Idcirco opportunum visum est in praesenti instructione paucis perstringere praecipuas illas causas, quae ad matrimoniales dispensationes obtinendas juxta canonicas sanctiones, et prudens ecclesiasticae provisionis arbitrium pro sufficientibus haberi consueverunt : deinde ea indicare, quae in ipsa dispensatione petenda exprimere oportet ».

332. « Atque ut a causis dispensationum exordium ducatur, operae pretium erit in primis animadvertere unam aliquando causam seorsim acceptam aliquando insufficientem esse, sed alteri adjunctam sufficientem existimari ; nam quae non prosunt singula, multa juvant *arg. l.* 5 *C. De probat.* (1). Hujusmodi autem causae sunt quae sequuntur ».

333. « 1° Angustia loci sive absoluta sive relativa (ratione tantum oratricis), cum scilicet in loco originis vel etiam domicilii cognatio foeminae ita sit propagata, ut alium paris conditionis cui nubat, invenire nequeat nisi consanguineum

(1) Causa quae (sive una simplex sive complexus plurium) movet seu determinat superiorem ad dispensandum, dici solet *motiva*, *finalis*, *principalis*. Causa vero quae impellit quidem superiorem ad dispensandum sed non movet, appellatur *impulsiva*. Quaenam causa sit motiva, et quaenam impulsiva tantum, diversum est in diversis impedimentis, et aestimari debet tantum *ex jure* et *stylo curiae Romanae*. Nos heic exponimus causas canonicas dispensationum matrimonialium ; deinde de singulis impedimentis agentes dicemus quaenam causa motiva est pro illo impedimento, qnaenam impulsiva tantum.

Digitized by Google

vel affinem ; patriam vero deserere sit ei durum (1) ».

334. « 2° *Aetas foeminae super adulta*, si scilicet XXIV aetatis annum jam egressa hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit non invenit. Haec vero causa haud suf-

(1) Hâc causa ideo datur dispensatio, quia secus oratrix deberet vel innupta manere, vel nubere viro disparis conditionis, vel ex patria exire: quae omnia gravia sunt. *In loco originis vel etiam domicilii* et a fortiori si in utroque, quo in casu dicitur *angustia locorum*. Formula dispensationis diversa est pro diversis casibus. Quid si angustus est locus *quasi-domicilii* ? Non sufficit, si oratrix alibi habet domicilium, in quo habitat ; sed si alibi non habet domicilium, vel habet domicilium, sed in eo non habitat, potest fortasse sufficere : exprimatur igitur in instantia haec angustia loci quasi-domicilii, facta domicilii mentione (Feje *n.* 651). Locus autem heic intelligitur non parochia, sed urbs, vel oppidum, vel suburbium et dicitur angustus si non excedat focos CCC idest quingentos incolas (Dataria Apost. 30 *Aug.* 1847), sepositis infidelibus, haereticis, schismaticis, non autem impiis et incredulis, ut nonnulli volunt, « nec officit quod locus angustus parum ab alio dissitus existat, dummodo ista duo loca sint inter se distincta, ac diversam propriamque denominationem habeant. Aliqua autem distantia requiritur in suburbiis, quae quamvis civitatis partem constituant, nihilominus angustia in ipsis admittitur, cum per milliare (1500 *mètres environ*), aut paulo minus a civitate distant. Ita sentiunt Pyrrus Corradus in *Praxi disp. apost. lib. I, cap. V;* De Justis *De disp. matr. lib. III, cap. II.* Hujusmodi autem doctrinae examussim consonat hujus Datariae Apostolicae praxis ». Haec reposuit S. Dataria interrogata in subiecta materia a S. C. C. in *Valven. Dubia circa dispensationes matrimoniales quoad angustiam loci,* discussa *per summaria precum die* 8 *Mart.* 1884, dum S. Poenitentiaria pariter interrogata reposuit ex actis S. Poenitentiariae constitui non posse regulam generalem et certam ad determinandam loci *angustiam*. Hinc in cit. *Valvensi,* cum parvum oppidum *Rocca Calascio* dioecesis Valvensis a populoso oppido *Calascio* distet 800 *mètres environ,* dirutis viis ita ut iter unius horae cum dimidio sit necessarium ; proposito dubio. « Quando ambo sponsi incolunt Roccam Calasii, pro obtinenda matrimoniali dispensatione potestne afferri pro causa *angustia loci,* quamvis Rocca Calasii non distet a Calasio mille passus ». S. C. C. reposuit « Justa exposita affirmative ». Si in loco ampliori oratrix hanc angustiam patiatur, id exprimatur in instantia, et dispensatio ab alias causas dabitur, non autem ab loci angustiam. *Virum paris conditionis* idest aequalem aetate, genere, opibus, ingenio, principiis religiosis, acceptum mulieri et parentibus (De Justis *III, II, n.* 80), bonae famae (Sanchez *IV, XXVI, n.* 23) et valetudinis, qui non habet filios ex praecedenii matrimonio (De Justis *l. c.*), etc. *Invenire nequeat*, idest nemo paris conditionis eam nubilem per plures annos petat in uxorem (De Justis *l. c. n.* 25 aliique). Id autem moraliter accipiendum est : hinc si adessent duo vel tres (*Acta S. Sedis IX, pag.* 574) paris conditionis, qui eam vellent in uxorem, adhuc angustia loci verificaretur, quia non expedit libertatem matrimonii adeo coarctari. Ex his apparet requiri ut oratrix sit honestae familiae, secus virum paris conditionis semper habebit : *honesta* autem familia ea dicitur, quae artes vi-

Digitized by Google

fragatur viduae, quae ad alias nuptias convolare cupiat (1). »

335. « 3° *Deficientia aut incompetentia dotis*, si nempe foemina non habeat actu tantam dotem, ut extraneo aequalis conditionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. Quae causa magis urget, si mulier penitus indotata existat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere, aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit (2). »

liores, aut mechanicas non exercet (De Justis *l. c. n.* 134). Licet oratrix prius virum vel viros paris conditionis eam in uxorem petentes recusaverit, si modo nullum invenire potest, adhuc causa verificatur juxta Caillaud *n.* 22 post Corradum, et Compans. Quid si recusavit praecise ad dispensationem postea obtinendam, et id in instantia expressum non est? AA. tacent, sed ex analogia cum his quae n. 334 sequ. dicemus de similibus casibus, putamus dispensationem esse subreptitiam. Rursus igitur recurratur ad S. Sedem.

(1) Hac causa ideo dispensatur, ne oratrix innupta manere debeat, vel viro disparis conditionis nubere. *XXIV aetatis annum jam egressa* de momento ad momentum. Aliquando in remotioribus nempe in tertio et quarto a communi stipite, vel in simplici quarto consanguinitatis et affinitatis sive ex uno communi sive ex pluribus et diversis stipitibus, et in cognatione spirituali in altera specie dispensatio conceditur etiamsi mulier solum attingat annum *XXIV*. *Hactenus virum paris conditionis cui nubere possit non invenit* juxta ea quae diximus in nota praecedenti. Si invenit et recusavit, Corradus *VII, II, n.* 93 negat causam verificari, affirmat probabilius De Justis *III, VIII, n.* 30 *sequ.* Giovine *II,* § 91, *n.* 6. Quid si recusavit ad dispensationem obtinendam, quod in instantia tacitum fuit? Giovine *l. c.* citans Corradum docet dispensationem esse subreptitiam. Caeterum non inspicitur in hac causa an locus excedat CCC focos idest quingentos incolas, ut expresse declaravit Pius V illius restrictionis auctor pro causa augustiae loci. Tandem si agitur de vidua requiritur ut aetatem XXX annorum non excesserit.

(2) *Si nempe foemina non habeat actu tantam dotem...* Proinde non obest si dotem habitura sit post mortem parentum, si ii nolint, aut nequeant modo dotare, quin in egestatem decidant. (Sanchez *VIII, XIX, n.* 25. Pontius *VIII, XXI, n.* 23. D'Annibale *III,* § 346, *not.* 4), imo etsi sit certa spes, quod aliquis velit eam dotare e. g. frater, si oratrix nullum jus habeat ad eum cogendum (Corradus *VII, II, n.* 24. De Justis *III, III, n.* 43). Idem juris est si puella dotem renuntiavit ad alium finem etiam inhonestum quam ad dispensationem obtinendam (Sanchez *l. c. n.* 26. Pontius *l. c.* D'Annibale *l. c.* Feje *n.* 657. De Justis *l. c. n.* 60). Quod si renuntiavit praecise ad dispensationem obtinendam, et haec circumstantia tacita est in instantia, AA. mox citati censent dispensationem esse subreptitiam. *Extraneo aequalis conditionis...* fieri autem etiam potest, quod dos sit sufficiens spectata familia oratricis, sed consideratis hujus qualitatibus e. g. quod sit deformis, rixosa, diffamata, revera sit insufficiens (Feje *n.* 656). Haec igitur causa pluribus modis potest existere, qui dicuntur: *propter iusufficientiam dotis*, quando, hoc non obstante, orator mulierem in

Digitized by Google

336. « 4° *Lites super successione bonorum jam exortae* vel *earumdem grave* aut *imminens periculum*. Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti sustineat, neque adest alius, qui litem hujusmodi in se suscipiat, propriisque expensis prosequatur, praeter illum qui ipsam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet : interest enim reipublicae, ut lites extinguantur. Huic proxime accedit alia causa, scilicet *dos litibus involuta* cum nimirum mulier alio est destituta viro, cujus ope bona sua recuperare valeat. Verum hujusmodi causa nonnisi pro remotioribus gradibus sufficit. »

337. « 5° *Paupertas viduae*, quae numerosa prole sit onerata, et vir eam alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis sucurritur viduae ea tantum de causa quod junior sit, atque in periculo incontinentiae versetur. »

338. « 6° *Bonum pacis*, quo nomine veniunt nedum foedera inter regna et Principes, sed etiam extinctio gravium inimicitiarum, rixarum et odiorum civilium. Haec causa adducitur vel ad extinguendas graves inimicitias, quae inter contrahentium consanguineos vel affines ortae sunt, quaeque matrimonii celebratione omnino componerentur, vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiae graves viguerint, et licet pax inter ipsos inita jam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem maxime conduceret (1) ».

339. « 7° *Nimia suspecta periculosa familiaritas*, nec non *cohabitatio* sub eadem tecto, quae facile impediri non possit (2).

uxorem ducere paratus est ; *propter dotem cum augmento*, quando orator vel alius dotem insufficientem augere paratus est ; *pro indotata* quando orator paratus est mulierem indotatam ducere, aut ex integro dotare. Formula est diversa pro diversis modis.

(1) Haec causa appellatur etiam *propter inimicitias*, si graves inimicitiae ortae jam sunt, et de praesenti vigent aliunde quam ex causa matrimonii, et per matrimonium sedandae ; vel *pro confirmatione pacis*, si pax restituta jam est, confirmanda per matrimonium. His accedit causa *propter lites*, seu *extinctio magnae litis*, quae jam exorta est sive inter oratores sive inter eorum consanguineos aut affines, antequam de matrimonio tractaretur, non studiose ad hunc finem quaesita, nondum composita et per matrimonium componenda.

(2) Nisi oratores eidem indulserint, ut facilius dispensationem impetrarent.

Digitized by Google

340. « 8° *Copula* cum consanguinea vel affini vel alia persona impedimento laborante praehabita, et *praegnantia*, ideoque *legitimatio prolis*, ut nempe consulatur bono prolis ipsius, et honori mulieris, quae secus innupta maneret. Haec profecto una est ex urgentioribus causis, ob quam etiam plebeis dari solet dispensatio, dummodo copula patrata non fuerit sub spe facilioris dispensationis; quae circumstantia in supplicatione foret exprimenda (1) ».

341. « 9° *Infamia mulieris* ex suspicione orta quod illa, suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa, cum nempe nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata vel innupta remaneret, vel disparis conditionis viro nubere deberet, aut gravia damna orirentur ».

342. « 10° *Revalidatio matrimonii*, quod bona fide et publice, servata Tridentini forma contractum est: quia ejus dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo, et gravi damno praesertim foeminae *cap.* 7, *De consanguin.* At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Conc. Trid. *sess. XXIV*, *cap. V*, *de ref. mat.* (2) ».

343 « 11° *Periculum matrimonii mixti* vel *coram acatholico ministro celebrandi*. Quando periculum adest, quod volentes matrimonium in aliquo etiam ex majoribus gradibus contrahere ex denegatione dispensationis ad ministrum acatholicum accedant pro nuptiis celebrandis, spreta Ecclesiae auctoritate, justa invenitur dispensandi causa; quia adest non modo gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor perversionis et defectionis a fide taliter agentium et matrimonii impedimenta contemnentium, maxime in regionibus,

(1) Haec causa dici quoque solet *infamia cum copula*, et ob *scandala vitanda*. Copula debet esse notoria, aut proxime divulganda. (Corradus *VII*, *III*, *n.* 1 *sequ.* De Justis *I*, *VII*, *n.* 18 *sequ.* et *III*, *XVII*, *n.* 1 *sequ.* Reiff. *IV*, *App. n.* 94, 347 *sequ.* Feje *n.* 675.) *Dummodo copula...* Haec restrictio amplius vera non est post decretum S. C. S. Officii diei 25 *Junii* 1885 (n. 360 in nota).

(2) Hodie attentis temporum circumstantiis, praesertim prole jam nata et matrimonio civiliter contracto, datur dispensatio etiam in casu malae fidei utriusque partis. Si una tantum pars malae fidei fuit, dispensatio et praeterlapsis temporibus concedebatur.

Digitized by Google

ubi haereses impune grassantur. Id docuit haec S. C. in instructione die 17 *Apr.* 1820 ad Archiep. Quebecensem data. Pariter cum Vicarius Apost. Bosniae postulasset, utrum dispensationem elargiri posset iis catholicis, qui nullum aliud praetexunt motivum, quam vesanum amorem, et simul praevidetur, dispensatione denegata, eos coram judice infideli conjugium fore inituros, S. C. S. Officii *in fer. IV* 14 *Aug.* 1822 decrevit: *Respondendum oratori, quod in exposito casu utatur facultatibus sibi in formula II commissis, prout in Domino expedire judicaverit.* Tantumdem dicendum de periculo, quod pars catholica cum acatholico matrimonium celebrare audeat. »

344. « 12° *Periculum incestuosi concubinatus.* Ex superius memorata instructione *an.* 1822, elucet dispensationis remedium, ne quis in concubinatu insordescat cum publico scandalo atque evidenti aeternae salutis discrimine, adhibendum esse. »

345. « 13° *Periculum matrimonii civilis.* Ex dictis consequitur probabile periculum, quod illi qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matrimonium dumtaxat civile, ut ajunt, celebraturi sint, esse legitimam dispensandi causam (1). »

346. « 14° *Remotio gravium scandalorum.* »

347. « 15° *Cessatio publici concubinatus* (2). »

(1) Quoad *n.* 11, 12, 13, notandum est dispensationem minime esse concedendam, si partes, ut eam extorqueant, minitentur secus se nuptias contracturas coram ministro acatholico, vel cum parte acatholica, aut victuras in concubinatu, aut civile matrimonium inituras esse. Si periculum actus civilis grave est, datur Gallicis oratoribus dispensatio cum clausula: *Cum gravi et diuturna poenitentia salutari.*

(2) E. g. inito matrimonio civili, et si forte copula nondum intercesserit. Quid si initum fuit ad dispensationem obtinendam, quae intentio tacita fuit in instantia? S. Poenitentiaria 18 *Apr.* 1831 apud Caillaud *n.* 45 reposuit hanc intentionem non esse necessario exprimendam in instantia « nam illa intentio oratorum, licet mala, non tamen irritat dispensationem, et idcirco debent oratores quidem peccatum confiteri, si reapse mala fide hoc fecerunt, non est tamen necessarium eamdem inquirere, quod attinet ad forum externum ». E contrario ipsa S. Poenitentiaria concedit Episcopis indultum « sanandi Apostolicas dispensationes, quae nullae redditae fuerint ob..... contractum civilem initum, et oratores omiserant declarare talia fecisse sub spe facilius obtinendi dispensationem ». Hoc indultum proprie loquendo non evincit dispensationem fuisse nullam, quia dari potuit ad omnem an-

Digitized by Google

348. « 16° *Excellentia meritorum*, cum aliquis aut contra fidei catholicae hostes dimicatione, aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute aliove modo de religione sit optime meritus. »

« Hae sunt communiores, potioresque causae, quae ad matrimoniales dispensationes impetrandas adduci solent: de quibus agunt theologi et sacrorum canonum interpretes. Inter caeteros consulendi Pyrrhus Corradus *Praxis disp. apost. lib.* 7 *et* 8, ac Vincentius de Justis *De disp. matr. lib.* 3 ». Huc usque S. C. de Prop. Fide.

349. S. Poenitentiaria dispensationem aliquando concedit etiam propter alias causas, e. g. si parentes matrimonium valde desiderant, aut inter oratores est specialis conditionis aequalitas; aut matrimonium particularem exhibet utilitatem, puta quia vir liber omnino est a servitio militari; aut orator est Romae praesens et sacramentalem confessionem peregit, quo in casu ipsi remittitur medietas taxae pro foro externo, et si in hebdomada sancta est Romae praesens et exhibet schedulam confessionis et communionis, integra taxa ei condonatur; aut sponsi nescientes impedimentum omnia ad nuptias paraverunt, vel magno amore intuitu matrimonii se invicem prosequuti sunt, aut per matrimonium illustris familia conservatur, vel conservantur bona in eadem familia, aut oratores praerogativa regiae dignitatis pollent etc. At S. Poenitentiaria non admittit pro foro externo *causam sine causa* idest largiorem eleemosynam, ideoque instantiam ad S. Datariam remittit, si oratores dispensationem postulant *ex certis rationabilibus causis*, quin ullam singillatim exprimant (1). Huc usque de causis, quas S. Sedes sufficientes habet, licet non omnes pro omnibus impedimentis.

xietatem removendam. Caeterum stante hoc dubio rursus recurratur ad S. Sedem.

(1) Avanzini *Acta S. Sedis II, pag.* 64. Giovine *II* § 34, *n.* 4.

Digitized by Google

3°. — De instantia ad dispensationem a Romano Pontifice obtinendam, et praesertim de iis quae in eadem exprimi debent (1).

350. In primis preces ore tenus factae de rigore juris sufficerent: Sed in praxi scriptae tantum in Romana curia admittuntur.

351. Profecto magis naturale esset illos ipsos qui dispensationem desiderant, instantiam conscribere. Sed quia fideles in his rebus ignorantes plerumque eam redigere non valerent, receptum est, ut illorum ministerio utantur qui eorum animarum curam habent, quales sunt confessarius, parochus, Ordinarius.

Confessarius unius partis scribit instantiam ad impetrandam dispensationem pro foro interno tantum, eamque mittit ad Ordinarium suum, qui eam transmittit ad S. Poenitentiariam, mediante vel praetermisso agente: vel etiam confessarius eam directe mittit ad S. Poenitentiariam, si attentis circumstantiis prudenter judicat secretum confessionis aliter offendi. Abs re non erit hic referre monitum a S. Poenitentiaria interdum transmissum « Quamvis praxis et prudentia doceant casus occultos ad forum conscientiae pertinentes S. Poenitentiariae literis obsignatis ad Emum D. Card. Poenitentiarium Majorem missis, ac nominibus reticitis esse proponendos, tamen aliqui sive ex confessariis sive ex animarum pastoribus ab hujusmodi praxi declinantes, casus ipsos literis apertis ac per procuratores etiam laicos non solum exponere, sed et iisdem procuratoribus illos narrare ad hoc ut super ipsis supplices conficiant libellos S. Poenitentiariae exhibendos, interdum non abhorrent. Quod quidem quantum dedeceat et quantum praeseferat scandali, nemo est qui non videt. Quare S. Poenitentiaria hanc omnino reprobandam agendi rationem e medio tollere cupiens, omnes et singulos confessarios et animarum pastores graviter monet, ut a praedicto recurrendi modo prorsus abstineant. Caeterum si opera alicujus procuratoris

(1) Exempla harum supplicum precum habes in Alleg. IV.

Digitized by Google

in alma Urbe uti velint, literas obsignatas praelaudato Card. Poenitentiario Majori tradendas, suppressis nominibus, ad ipsum procuratorem transmittere quidem poterunt ; ast memoratos casus S. Poenitentiariae proponendos numquam et nullimode narrare seu manifestare audeant » (1).

Parochus scribit instantiam ad dispensationem impetrandam pro foro externo ; parochus, inquam, proprius oratricis, quippe qui dispensationis causas, quae fere omnes se habent ex parte illius, melius cognoscere valeat, sed id non requiritur ad subsequentis dispensationis validitatem. Quod si partes sint mixtae religionis, vel una tantum impedimento detineatur, solus parochus partis catholicae vel impeditae preces expedire poterit. Et si idem sacerdos est parochus et confessarius, ac duplex impedimentum occultum et publicum simul concurrit, ipse debebit duplicem conscribere instantiam aliam pro occulto uti confessarius, pro publico aliam uti parochus. Brillaud *n.* 188 monet parochum instantiam redacturum debere praeter oratores eorumque parentes alias quoque personas fide dignas prudenter interrogare, quae oratores eorumque familias dignoscunt. Parochus scriptam instantiam mittit ad Ordinarium, qui una cum literis testimonialibus eam Romam transmittit ad agentem ecclesiāsticum.

At vero non raro vel parochus exponit tantum Ordinario rerum statum, vel ipsi oratores Ordinarium adeunt cum testimonialibus parochi literis ; et tunc Ordinarius vel scribit ipse instantiam mittitque literis suis testimonialibus munitam ad agentem ecclesiasticum, vel et ipse sua vice rerum statum cum testimonialibus literis ad agentem defert, qui instantiam scribit. Caeterum certissimum est rescriptum dispensationis posse peti et obtineri etiam a tertia persona sine ullo mandato, insciis et quoque invitis nupturientibus, dummodo tamen ipsi dispensationem ante fulminationem acceptent, de qua re postea (2).

352. Instantia ad dispensationem obtinendam a Dataria Apostolica debet esse redacta Latino idiomate, quacumque

(1) *Acta S. Sedis VIII, pag.* 208.
(2) Sanchez *VIII, XXVI.*

Digitized by Google

tandem formula; et inscribitur non Cardinali Pro-Datario, sed ipsi Pontifici qui dispensat, licet per organum Datariae et per manus officialium concessio transeat (1). Unde instantia incipit illis verbis: *Beatissime Pater*. E contrario instantia ad impetrandam dispensationem a S. Poenitentiaria inscribi potest etiam Cardinali Poenitentiario Majori : nec interest si exarata sit Latino vel propriae nationis idiomate; suppetunt enim S. Poenitentiariae pro cujuslibet nationis idiomate interpretes multiplices (2); et pariter neque formula praescripta est, dummodo omnia, quae exprimenda sunt, clare exponantur.

353. Quaenam in instantia exprimi debeant, ne dispensatio desuper concessa viribus careat, rursus rite exponit cit. instructio S. C. de Prop. Fide 9 *maii* 1877 *super dispensationibus matrimonialibus* in altera parte. Eam igitur satis sit referre, et nonnullis notis illustrare.

Post verba relata n. 348 legitur « Sed jam se convertit instructio ad ea, quae *praeter causas* in litteris supplicibus pro dispensatione obtinenda de jure vel consuetudine aut stylo curiae exprimenda sunt, ita ut, si etiam ignoranter taceatur veritas aut narretur falsitas, dispensatio nulla efficiatur (3). Haec autem sunt. »

(1) Corradus *II, I, n.* 30.

(2) Avanzini *Acta S. Sedis I, App. VI in fine.*

(3) Si verum exprimendum tacitum fuit in instantia, dispensatio est *subreptitia*, si falsum expressum fuit, est *obreptitia*. Jam vero theoria generalis pro quacumque gratia tradita ab Inn. III in celebri *cap.* 20. *De rescriptis*, de qua nos fusius in alio tractatu, juxta meliorem DD. interpretationem huc redit. In casu subreptionis sive ex dolo sive ex bona fide : si in instantia tacita sunt ea, quae ex jure, consuetudine et stylo curiae Romanae exprimenda sunt sub poena nullitatis gratiae, haec est nulla ipso jure ; secus valet saltem in forma communi. In casu obreptionis sive ex dolo sive ex bona fide : si in instantia falso expressa est causa, sine qua superior non fuisset gratiam concessurus, haec est nulla ipso jure ; secus valet saltem in forma communi. Quod si in instantia plures gratiae inter se distinctae petitae sunt, et una est nulla ob subreptionem vel obreptionem, si quidem subreptio vel obreptio illam irritans est ex bona fide, aliae valent profecto ; si ex dolo, etiam aliae nullae sunt *in poenam perversitatis*, sed probabilius post judicis sententiam tantum. In dubio gratia semper praesumitur valida (Sanchez *VIII, XXI.* D'Annibale *I*, § 237, *sequ.*) Haec theoria applicetur dispensationibus matrimonialibus.

In primis igitur instructio docet in instantia exprimendam esse causam

Digitized by Google

354. « 1° *Nomen et cognomen oratorum*, utrumque distincte ac nitide ac sine ulla literarum abbrevatione scribendum » (1).

dispensationis. Si causa falsa exposita fuit, seu scientibus seu ignorantibus, locus est *obreptioni* et juxta traditam theoriam judicandum est de valore. Unde si causa falso exposita est unica in instantia, vel etiam si praeter illam aliae sunt verae, sed unaquaeque singillatim est impulsiva, motiva autem est complexus omnium, dispensatio est nulla ; e contrario si praeter illam est causa motiva vera in instantia, dispensatio est valida. Et si quis obtinuit eadem instantia e. g. dispensationem in voto ob incontinentiae periculum, quod falsum est, et dispensationem in impedimento consanguinitatis ob loci augustiam, quae est vera, prima dispensatio est nulla, altera est valida (Giovine *I*, § 117, *n°* 7). sive bona fide illam falsitatem orator affirmaverit, quod nemo negat, sive mala ante judicis sententiam juxta probabiliorem doctrinam. Praeterea utrum et quando necesse sit dicere in instantia causam voluntarie positam fuisse, et ad dispensationem obtinendam, vide quae diximus in notis ad singulas causas. Caeterum cum hodie dispensatio concedatur semper in forma mixta (n. 363), receptum est sufficere pro validitate dispensationis causam esse veram tempore fulminationis (Santi *IV, App. n.* 31. Corradus *VII, VI, n.* 25. Schmalz. *IV, XVI, n.* 158 *sequ.* cum communi) ; nec impedimentum dispensatione sublatum restituitur, si causa deinde ante matrimonium non amplius vera sit, e. g. si mulier quae dispensationem obtinuit propter deficientiam dotis, post fulminatam dispensationem ante matrimonium, dives evaserit.

Deinde instructio enumerat ea, quae de jure, consuetudine, stylo curiae Romanae, necessario exprimenda sunt in instantia pro impetranda dispensatione. Proinde si ea, quae sequuntur, tacita sunt in instantia seu scientibus seu ignorantibus oratoribus, *subreptio* irritat dispensationem ; secus subreptio non irritat. Sed haec melius de singulis. In genere praeter nomem et cognomen et dioecesim oratorum exprimi debent ea omnia quae impedimenti qualitatem et gravitatem determinant.

(1) At in instantia ad S. Poenitentiariam pro dispensatione in impedimento occulto nomina scriptorum tacentur (n. 351), et eorum loco ponitur *N.* vel *Titius*, etc. Quid si in nomine aut cognomine oratorum erratum est, e. g. si loco *Petri* scriptum est *Antonius* ? DD. inter se non conveniunt, an dispensatio valida sit, affirmantibus Sanchez *VIII, XXI, n.* 27. De Justis *I, IV, n.* 54 aliisque innixis *l.* 4, *C. De testam.* ; negantibus Corrad. *VII, V, n.* 4. Reiff. *IV, App., n.* 210. Schmalz. *IV, XVI, n.* 154. Giovine *II,* § 2, *n.* 4 cum aliis ex stylo curiae, quae revalidationem in casu exigit. Hic stylus curiae proprie non probat rescripti nullitatem, quia literae *perinde valere* a Dataria Apostolica dari possunt ad cautelam, et ut examen et quaestio de dispensationis validitate evitetur (Avanzini *Acta S. Sedis, V, pag.* 27). Caeterum ipse Corradus *l. c., n.* 8 excipit, si in aliquo dispensationis rescripto reperiretur verisimilis error consistens in mutatione alicujus literae aut syllabae nullam aequivocationem inducens, ut si diceretur *Antonius* pro *Antoninus Bernardus* pro *Bernardinus*, vel si qui appellatur *Franciscus Antonius*, uno nomine omisso, diceretur *Franciscus* ; nam his casibus putat dispensationem non vitiari. AA. practici docent admitti in curia instantiam pro dispensatione, si in eadem scriptum est nomen oratoris,

Digitized by Google

355. « 2° *Dioecesis originis* vel *actualis domicilii*. Quando oratores habent domicilium extra dioecesim originis possunt, si velint, petere, ut dispensatio mittatur ad Ordinarium dioecesis, in qua nunc habitant » (1).

356. « 3° *Species etiam infima impedimenti*, an sit consanguinitas vel affinitas orta ex copula licita vel illicita, publica honestas originem ducens ex sponsalibus vel matrimonio rato ; in impedimento criminis utrum provenerit ex conjugicidio cum promissione matrimonii, aut ex conjugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione matrimonii ; in cognatione spirituali utrum sit inter levantem et levatum, vel inter levantem et levati parentem » (2).

et loco cognominis scriptum est nomen patris vel matris in genitivo cum vel sine verbo *natus* e. g. *Franciscus natus Pauli* vel *Franciscus Pauli supplicat* etc., dummodo cognomen ex arbore consanguinitatis vel affinitatis constet (Conrad. *l. c. n.* 19. Schmalz. *l. c. n.* 170. Giovine, *l. c. n.* 6).

(1) Scilicet stylus notorius curiae erat ut exequutio dispensationis committeretur Episcopo originis oratricis, non autem Episcopo domicilii, nisi partes id peterent (Corradus *VII, V, n.* 24. Schmalz. *IV, XVI, n.* 171. Giovine *II,* § 2, *n.* 7) : Proinde in instantia scribi debebat dioecesis originis, et si partes domicilium habebant extra diocesim originis, et optabant hujus Ordinario exequutionem committi, id expresse dici debebat. Hodie post decretum S. C. S. Officii, 20 *Feb.* 1888 (n. 365) dispensatio exequenda semper committitur Ordinario, qui literas testimoniales dedit, vel preces transmisit ad S. Sedem, sive sit Ordinarius originis sive domicilii, sive utriusque sponsi sive alterutrius ; Proinde hodie sufficit clare scribere in instantia diocesim, cujus Ordinarius dat has literas testimoniales, vel preces transmittit. Parochiam indicare necesse non est, quam Ordinarius exequutor cognoscit ex parochi literis. Si in nomine dioecesis erratum est, e. g. si loco *Parisiensis* scriptum est *dioecesis Versaillensis*, vitiatur dispensatio, et literae *Perinde valere* obtinendae sunt : non item si erratum est tantum in nomine parochiae, nisi dispensatio data sit ob *loci angustiam* (Schmalz. *IV, XVI, n.* 156. Corradus *VII, V, n.* 28. De Instis *I, IV. n.* 66. Reiff. *App., n.* 316. Sanchez *VIII, XXI, n.* 39). Animadvertit autem Giovine *II,* § 2, *n.* 11. « Quod cum plures adsint in diversiis provinciis vel regnis dioeceses, quae eodem nomine vel fere simili appellantur, valde confert, si hisce in casibus nomini dioecesis adjiciatur in supplici libello illud regni vel provinciae ad quam dioecesis pertinet »... Tandem quando confessarius directe a S. Poenitentiaria petit dispensationem in occulto impedimento pro foro conscientiae tantum, non oportet fieri mentionem dioecesis : confessarius autem scribat suam directionem lingua vernacula distinctis et perspicuis characteribus (Avanzini *Acta, etc. I, App. VI*).

(2) *Species.... impedimenti* idest non unum pro alio, etsi majus prominore expositum fuit e. g. consanguinitas pro affinitate. *Etiam infima*: ideo e. g. in voto castitatis exprimendum est, utrum sit castitatis perpetuae, vel religionis, vel non nubendi (De Justis *I, IV, n.* 184. D'Annibale

Digitized by Google

357. « 4° *Gradus consanguinitatis vel affinitatis aut honestatis* ex matrimonio rato, et an sit simplex vel mixtus, non tantum remotior sed etiam propinquior ; uti et linea an sit recta aut transversa, item an oratores sint conjuncti ex duplici vinculo consanguinitatis tam ex parte patris quam ex parte matris (1) ».

III, § 348, *not.* 20). Error in specie impedimenti irritat dispensationem, quippe quae est strictae interpretationis et non extenditur ultra expressa (Schmalz. *IV*, *XIV*, *n.* 157). Quid si in instantia dictum est impedimentum esse dubium et est certum ? Sanchez *VIII*, *XXI*, *n.* 40 aliique post ipsum putant dispensationem esse nullam, sed falli putamus : nam impedimentum dubium forte existit, et forte non existit, dispensatio autem evidenter data est, quatenus impedimentum existit, et tacitam secumfert conditionem : *Si impedimentum adest* (D'Annibale *I*, § 289, *not.* 16).

Affinitas orta ex copula licita vel illicita. Si nihil in instantia dictum est, intelligitur affinitas ex copula licita (De Justis *II*, *VII*, *n.* 93. Feje *n.* 704). Sed non raro contingit in S. Poenitentiariae officio, ut preces porrectae circa primos affinitatis gradus suspensae maneant, ideo quia clare non exprimitur affinitatis provenientia (Avanzini *Acta S. Sedis II*, *pag.* 127). Quod si dispensatio petatur in tertio vel quarto gradu, jam clare patet agi de affinitate ex copula conjugali. At si cum eadem persona prius locum habuit copula illicita ante matrimonium, et deinde copula licita in matrimonio, hodie ex decreto Greg. XVI 20 *Mart.* 1842 (n. 360) necesse amplius non est exprimere copulam illicitam ante matrimonium. Hinc e. g. si Titius rem habuit cum Sempronia (unde affinitas ex copula illicita), cum qua deinde contraxit et consummavit matrimonium (unde affinitas ex copula licita), volens post uxoris mortem ducere Maeviam ejus sororem, sufficit in instantia mentionem facere de affinitate ex matrimonio. Multoque minus necesse est exprimere copulam saepius repetitam fuisse.

In cognatione spirituali juxta nonnullos radix non est necessario declaranda, an scilicet oriatur ex baptismate vel ex confirmatione (von Schulte *p.* 367. Lehmkuhl *II*, *n.* 809. Sanchez *VIII*, *XXIV*, *n.* 15), quod tamen probabilius negabis cum pluribus aliis (Giovine *II*, § 10. De Justis *I*, *IV*, *n.* 169. Schmalz. *IV*, *XVI*, *n.* 209. Corrad. *VIII*, *VIII*, *n.* 6) ex indubio stylo curiae.

(1) *Gradus....* Si loco propinquioris scriptus fuit gradus remotior e. g. quartus loco tertii, dispensatio certe nulla est ; si e contrario, DD. communiter censent dispensationem valere (Sanchez *VIII*, *XIXV*, *n.* 18. De Justis *I*, *IV*, *n.* 131. Reiff. *IV*, *App. n.* 216. Schmalz. *IV*, *XVI*, *n.* 201. Giovine *I*, § 112. Feje *n.* 703. Lehmkuhl *II*, *n.* 809), sed alii negant (Corradus *VII*, *V*, *n.* 94. Riganti *in reg.* 14 *Cancell. Apost.*), quorum sententia vera est « Hanc regulam vidi ego recognitam in tribunali S. Poenitentiariae » ait Santi *IV*, *App. n.* 2, canonista et tandem Regens ipsius S. Poenitentiariae. Proinde quaestio finita esse debet.

Simplex vel mixtus non tantum remotior sed etiam propinquior. Nempe si linea est aequalis, dicatur in instantia oratores se tangere e. g. in tertio aequali, quod caeteroquin subintelligitur, si alius admixtus gradus non nominetur. Si linea est inaequalis, exprimatur gradus tum remotior tum propinquior : tunc S. Dataria, si propinquior est primus, dispensationem

Digitized by Google

358. « 5° *Numerus impedimentorum*, e. g. si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas, vel si praeter cognationem adsit etiam affinitas, aut aliud quodcumque impedimentum sive dirimens sive impediens » (1).

359. « 6° *Variae circumstantiae*, scilicet an matrimonium sit contrahendum vel contractum; si jam contractum, aperiri debet, an bona fide, saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti; item an praemissis denuntiationibus et juxta formam Tridentini; vel an spe facilius dispensationem obtinendi; demum an sit consummatum, si mala fide

super utroque dabit; si propinquior non est primus, dispensationem dabit super remotiori, et super propinquiori declaratorias (n. 320). Reticito gradu propinquiori, si quidem hic est primus, ideoque dispensatio concessa fuit in remotiori tantum, dispensatio S. Datariae est nulla : si est ultra primum, ideoque praetermissae fuerunt declaratoriae, dispensatio S. Datariae valet, sed declaratoriae a S. Sede petendae sunt sive matrimonio nondum inito, quod secus foret illicitum, sive matrimonio jam contracto, et conjuges, si commode fieri potest, sunt interim separandi (Giovine *II*, § 7, *n.* 4. Feje *l. c.* S. C. C. in *Luceoriensi nullitatis matrimonii* 7 *Sept.* 1720 28 *Febr.*, 28 *Mart.* 1722 cum discursu Secretarii. Ben. XIV in Brevi *Et si pastoralis* 30 *Sept.* 1755). Cum vero S. Poenitentiaria in utroque gradu et remotiori, et propinquiori dispensare semper soleat (n. 324), reticito propinquiori, dispensatio semper videtur irrita. Nonnulli putant necessarium etiam esse exprimere quinam sexus sit in propinquiori, quinam in remotiori, quia difficilius dispensatur ut nepos ducat amitam, quam ut avunculus ducat neptem (Scavini *III*, *n.* 282. Del Vecchio *II*, *n.* 1010. Lehmkuhl *II*, *n.* 809). Ita quidem quoties primus gradus tangitur, uti in exemplo allato ; sed necessarium non est ad valorem dispensationis (Feje *n.* 703), quod ex silentio S. C. de Prop. Fide satis apparet. Pariter si cum secundo vel tertio gradu confluat primus, non sufficit exprimere hos gradus, sed adiici debet etiam provenientia (Conrad. *VII, III, n.* 24. De Justis *I, IV, n.* 12. Giovine *II*, § 7 et 8. Reiff *IV, App. n.* 270), licet non sub nullitate dispensationis (Reiff. *l. c.* De Justis *I, IV, n.* 121. Feje *l. c.*).

Linea an sit recta aut transversa : quod si praetermittitur, in consanguinitate intelligitur transversa, quia in recta frustra dispensatio peteretur. Ob eamdem rationem si petitur dispensatio in primo gradu affinitatis ex copula licita, intelligitur obliqua. Sanchez *VII, XXIV, n.* 14 putat expressionem lineae rectae vel obliquae non esse necessariam, quando agitur de affinitate ex copula illicita.

(1) E. g. si praeter impedimentum dirimens puta consanguinitatis adsit impediens voti, vel sponsalium. Si uterque vel alter est haereticus et reticitum fuit, nonnulli censent dispensationem esse nullam, sed D'Annibale *III*, § 348, *not.* 19 innixus verbis Ben. XIV in Const. *Magnae Nobis* putat valere, etsi profecto illicita sit. At si in rescripto dispensationis adest clausula : *Dummodo inter eos aliud canonicum non existat impedimentum*, quam S. Poenitentiaria semper apponit, non videtur dispensatio executioni mandari posse, quia haec clausula manifeste continet conditionem

Digitized by Google

saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti » (1).

360. « 7° *Copula incestuosa* habita inter sponsos ante dispensationis executionem sive ante sive post ejus impetrationem ; sive intentione facilius dispensationem obtinendi, sive etiam seclusa tali intentione ; et sive copula publice nota sit, sive etiam occulta. Si haec reticeantur, subreptitias esse et nullibi ac nullo modo valere dispensationes super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis et legalis, nec non et publicae honestatis declaravit S. C. S. Officii *fer. IV*, 1 *Aug.* 1886. In petenda vero dispensatione super impedimento affinitatis primi vel secundi gradus lineae collateralis, si impedimentum nedum ex matrimonio consummato cum defuncto conjuge oratoris vel oratricis, sed etiam ex copula antematrimoniali seu fornicaria cum eodem defuncto ante initum cum ipso matrimonium patrata, oriatur, necesse non est, ut mentio fiat hujusmodi illicitae copulae, quemadmodum patet ex responso S. Poenitentiariae *diei* 20 *Martii* 1842, probante s. m. Greg. XVI ad Episcopum Namurcensem, quod generale esse idem Tribunal literis *diei* 10 *Dec.* 1854 edixit (2).

(1) Haec ex lege Tridentina sess. XXIV, *cap. V, de ref. mat.* : « Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere praesumpserit, separetur, et spe dispensationis obtinendae careat: idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, si quidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur poenis ; non enim dignus est qui Ecclesiae benignitatem facile experiatur, cujus salubria praecepta temere contempsit.... ». Non obstante hac lege Tridentina, dispensatio etiam in his circumstantiis conceditur, sed nisi hae circumstantiae in instantia exprimantur, dispensatio foret subreptitia.

Insuper si petitur dispensatio super impedimento affinitatis ex copula licita, exprimatur si nubere velit fratri defuncti viri vidua, quae a viro defuncto prolem habuit, quia in hoc casu dispensatio difficilius conceditur (Riganti *reg.* 49, *Cancell. Apost. n.* 36 *sequ.* ; Giovine *I*, § 308) ex *cap. ult. De divortiis*, cum in V. T. tale matrimonium omnino prohiberetur *Lev. XVIII* et *XX* ; dum permittebatur et mandabatur, si proles abfuisset *Deut. XXV*. Si petitur dispensatio super impedimento affinitatis ex copula illicita, exprimi debet provenientia (Giovine II, § 8, *n.* 11), idest persona cum qua copula habita fuit, et utrum complex in peccato superstes sit an defunctus. Sed haec, nisi exprimantur, non putamus reddere dispensationem subreptitiam.

(2) Quae sub hoc numero tradit instructio de necessitate exprimendi co-

Digitized by Google

361. « Haec prae oculis habere debent non modo qui ad S. Sedem pro obtinenda aliqua matrimoniali dispensatione recurrunt, sed etiam qui ex Pontificia delegatione dispensare per se ipsi valent, ut facultatibus quibus pollent, rite ut par est, utantur ».

362. Ex hac instructione habes quandonam dispensatio vitio irritanti obreptionis vel subreptionis laboret. Si haec nullitas certa appareat, petuntur literae *perinde valere*, de quibus saepe mentio facta est, aut *decretum reformatorium* ; sed si matrimonium jam contractum bona fide est et partes nullitatem ignorant, expedire potest, ut relinquantur in bona fide. Giovine *II*, § 82, *n. 4 sequ.* ita describit literarum *perinde valere* et *decreti reformatorii* naturam et discrimen :

« Si postquam expeditum fuit concessionis mandatum a S. Dataria, subreptionis seu obreptionis vitio infectum mansisse deprehendatur, necesse est ut oratores iterum a S. Sede gratiam impetrent, quae impertitur sanando nullitates prioris concessionis, ut ista adhuc valeat et tuto executioni demandari possit, aeque ac si valida fuisset tempore quo impetrata fuit. Quare super nova supplicatione expediuntur literae in forma *perinde valere*, per quas committitur delegato, ut, negotium reassumens literasque prius impetratas adhuc valere decernens, servata alias carum forma, dispenset et alia efficiat perinde ac si in illis dictum fuisset e. g. ipsos oratores non simplici tertio, sed duplici tertio consanguinitatis gradu esse conjunctos, prolem legitimam nuntiando. Et ideo dicitur concessa in forma *perinde valere*, per quam Pontifex prioris gratiae vim suscitat, eamdemque validam censeri decernit, dummodo aliud nullitatis vitium praeter expressa in secunda supplicatione non obsit. Porro nova supplicatio ita exarari debet, ut primum exponatur

pulam, non amplius vera sunt post decretum S. C. S. Officii *diei* 25 *Junii* 1885, a SSmo D. N. Leone PP. XIII probatum, quo statuitur deinceps dispensationes matrimoniales « etiamsi copula incestuosa vel consilium et intentio per eam facilius dispensationem impetrandi relicita fuerint, validas futuras ». Proinde hoc providentissimo decreto omnes difficultates practicae ac theoreticae, quae de hac copula exprimenda pro validitate dispensationis habebantur, disparuerunt.

Digitized by Google

tenor prioris concessionis, vel summatim referatur ; deinde detegantur nullitatis vitia ; et in fine humiliter exoretur, ut Pontifex priorem gratiam nullitatis vitio, quod exprimi debet, laborantem revalidare dignetur... Quum autem per literas *perinde valere* concessio primum assecuta revalidatur sub expressa vel tacita conditione : *Dummodo aliud non lateat invaliditatis vitium praeter expressum in secunda supplicatione*, ideo si alius defectus detegatur, nova gratia opus erit, quae de stylo Romanae curiae nuncupatur *perinde valere super perinde valere*. Tuncque tertia supplicatio modo praedicto confici debet, et ita toties servandum erit, quousque omnes invaliditatis defectus sanati fuerint.

« In pluribus autem differunt literae in forma *perinde valere* a decreto quod de stylo curiae nuncupatur *reformatorium*, et ita pariter modus impetrandi alterutram gratiam. Etenim conceduntur illae postquam dispensationis mandatum expeditum fuerit a S. Dataria, et ad illas assequendas nova oratorum supplicatione opus est, in qua referenda sunt quae in priori mandato continentur. E converso decretum reformatorium petitur ante praedicti mandati expeditionem, quia reformatio versatur non circa dispensationem expeditam, sed circa oratorum supplicationem primitus exhibitam. Et ad hoc sufficit, ut per ipsum agentem S. Datariae conficiatur nova supplicatio, in qua quod in Ordinarii testimonialibus literis omissum fuerat, suppletur, vel male expressum corrigitur. Quamobrem necesse haud est, ut in nova supplicatione omnia jam antea exposita repetantur, sed satis est, ut ea tantum aperiantur, quae in priori superaddi vel corrigi debent ; quia penes S. Datariam in nova supplicatione inseritur prima jam signata, et dum Pontifici tota facti species reproponitur, uterque supplex libellus porrigitur, ut intelligat quomodo factum ex integro se habeat ».

Quod si obreptio vel subreptio irritans dispensationem dubia sit, dispensatio habenda est valida, quia in dubio standum est pro valore actus, et multo magis matrimonium jam initum (1).

(1) S. Alph. *VI*, *n.* 1133 ; Sanchez *VIII*, *XXI*, *n.* 20 *et* 25 ; Pontius *VIII*, *XVII*, *n.* 41 ; Gury *II*, *n.* 662.

Digitized by Google

4°. — De forma dispensationis a S. Sede concessae, et praecipue de clausulis quas continere solet (1).

363. Antiquitus S. Sedes matrimoniales dispensationes aliquando elargiebatur etiam in forma *gratiosa*; sed in hodierna disciplina eas non concedit, nisi in forma *mixta*, idest Pontifex annuit, ideoque mandat Ordinario ut gratiam concedat, verificatis precibus et sub nonnullis conditionibus. Quid sit forma pauperum, quidve forma communis, aut forma divitum, supra explicavimus.

364. Dispensationi plures clausulae inseri solent, quas executor sedulo servare debebit, alias quidem, quae continent *conditiones*, sub peccato et dispensationis nullitate, alias vero, quae *monitionem* cum praecepto continent, sub peccato tantum. Conditiones a monitionibus distinguere aliquando facile non est. Communiter tradunt AA. esse *conditionem*, si clausula exprimitur verbis *postquam*, *si*, *dummodo*, *non aliter*, *sic nec alio modo*, aut ablativo absoluto; vel si clausula continet quod alias de jure communi necessarium est ad actus substantiam, aut secus nullatenus necessarium. Haec autem vera sunt, nisi ex stylo curiae, et rei, de qua agitur, natura, et communi DD. sensu aliud constet. Hinc clausula quae praecipit id quod alias de juri communi requiritur ad solam actus liceitatem, licet ablativo absoluto expressa, continet simplicem monitionem e. g. clausula: *Praemissis publicationibus* (2). Quaenam sint praecipuae clausulae dispensationum matrimonialium, et quinam earum sensus, modo videndum est.

365. Praecipuae clausulae in rescripto dispensationis S. Datariae in forma ordinaria ob honestam causam ad ineundas nuptias sunt sequentes:

1° *Dilecto filio Vicario (vel Officiali) venerabilis fratris N. in spiritualibus Generali salutem et Apostolicam benedictionem.* Ita quidem usque ad nostra tempora inscribebantur dispensationes S. Datariae in forma communi. Sed

(1) Vide exemplar diversorum rescriptorum in Alleg. IV.
(2) Reiff. *I, III, n.* 157 *sequ.* Zitelli *De disp. matr. pag.* 75. D'Annibale *III*, § 359.

Digitized by Google

decreto S. C. S. Officii, 20 *Febr.* 1888 (n. 405), immutatio hac in re facta est, et plures quaestiones, quae executorem dispensationum matrimonialium S. Sedis respiciebant, remotae. Nam altera illius decreti pars, cui nos aliquas notulas addimus, ita se habet :

« De altero vero quaestionum genere, item approbato et confirmato EE. PP. suffragio, SSmus sanxit :

« 1° Dispensationes matrimoniales omnes (1) in posterum committendas esse vel *Oratorum Ordinario,* vel *Ordinario loci.*

« 2° Appellatione Ordinarii venire Episcopos (2), Administratores, seu Vicarios Apostolicos, Praelatos, seu Praefectos habentes jurisdictionem cum territorio separato, eorumque Officiales seu Vicarios in spiritualibus Generales (3), et, sede vacante, Vicarium Capitularem (4), vel legitimum Administratorem.

« 3° Vicarium Capitularem seu Administratorem eas quoque dispensationes Apostolicas exequi posse, quae remissae fuerint Episcopo, aut Vicario ejus Generali vel Officiali, nondum executioni mandatas, sive hi illas exequi coeperint, sive non. Et vicissim, sede deinde provisa, posse Episcopum vel ejus Vicarium in spiritualibus Generalem seu Offi-

(1) Proinde sive S. Datariae sive S. Poenitentiariae pro foro externo : in dispensationibus enim matrimonialibus pro foro interno nil immutatum est.

(2) At nonnisi postquam Capitulo literas Apostolicas ostenderint, etsi non sint consecrati, exequi possunt dispensationem.

(3) Licet Episcopus non sit consecratus, aut sit suspensus vel excommunicatus. Et si plures sint, quilibet exequi potest, licet unus negotiis matrimonialibus specialiter deputatus sit ; non autem Vice-Officialis, nisi sit Vicarius Generalis.

(4) Hinc rursus quilibet potest, si plures sint juxta consuetudinem *toleratam* in Galliis. At *Officialis Capitularis* vel *Vice-Officialis Capitularis* non potest, nisi sit Vicarius Capitularis.

Caeterum ex errore communi cum titulo colorato, et probabilius etiam sine titulo colorato, suppletur jurisdictio ex celebri *l. Barbarius ff. De officio praetoris* : quod de omnibus dictum sit. Hinc e. g. valet dispensatio fulminata a Vicario Generali, dum communiter ignoratur Vicarium Generalem fuisse ab Episcopo revocatum, aut Episcopum in longinquis ex hac vita migrasse, licet Vicarius Generalis id sciat. E contrario nulla foret dispensatio fulminata a Vicario Generali intruso (Sanchez *III, XXXIII, n.* 59 ; De Justis *I, V, n.* 41 ; Giovine *II,* § 48, *n.* 6).

Digitized by Google

cialem exequi dispensationes, quae Vicario Capitulari exequendae remissae fuerant, seu hic illas exequi coeperit seu minus.

« 4° Dispensationes matrimoniales, Ordinario oratorum commissas, exequendas esse ab illo Ordinario qui literas testimoniales dedit, vel preces transmisit ad S. Sedem Apostolicam, sive sit Ordinarius originis, sive domicilii, sive utriusque sponsi, sive alterutrius eorum : etiamsi sponsi, quo tempore executioni danda erit dispensatio, relicto illius dioecesis domicilio, in aliam dioecesim discesserint non amplius reversuri, monito tamen, si id expedire judicaverit, Ordinario loci in quo matrimonium contrahitur.

« 5° Ordinario praedicto fas esse, si ita quoque expedire judicaverit, ad dispensationis executionem delegare alium Ordinarium, cum praesertim in cujus dioecesi sponsi actu degunt (1) ».

366. 2° *Eorum quemlibet a quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis.... ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes....* Hanc clausulam Dataria omnibus dispensationum rescriptis apponit, et similem S. Poenitentiaria. Absolutio non prodest, ut patet ex ipsis clausulae verbis, nisi ad effectum dispensationis obtinendum, quae ab excommunicato impetrata viribus careret.

367. 3° *Si per informationem eamdem preces veritate niti repereris.* Hanc clausulam ponebat S. Dataria in omnibus dispensationibus. Ex decreto S. Officii, 28 *Aug.* 1888, loco illius, hodie ponit : *Si vera sint exposita.* Hac mutatione concidit quaestio num valeret dispensatio, si exposita quidem vera erant, sed executor inquisitionem praeceptam praetermiserat. Executor vi mandati inquirere debet per se vel per alium (nisi notitia, quam habet, tutam et

(1) Proinde nequit alium, qui non sit Ordinarius, delegare pro dispensatione fulminanda, nisi in rescripto haec facultas facta sit. At certe potest delegare pro verificatione expositorum (n. 367) insuper ex consuetudine potest etiam alii committere absolutionem ab incestus reatu (n. 368). (Conrad. *VIII, II, n.* 19. Giovine *II*, § 64, *n.* 7 *sequ.*), quod tamen negat de Justis *I, VII, n.* 222, et ideo, ut merito censet Reiff. *IV, App. n.* 342, tutius est ut delegatus ipse absolvat.

Digitized by Google

certam reddat illius conscientiam), num omne absit vitium obreptionis, vel subreptionis, idest num causa motiva dispensationis reapse subsistat, et nihil quod exprimi debet, in instantia fuerit praetermissum juxta ea quae supra exposita sunt. Ad hanc inquisitionem peragendam Ordinarius plerumque delegat parochum qui instantiam redegit, quique, si opus habet, interrogat ipsos oratores, eorum parentes, aliasque personas fide dignas, et documenta quae ad rem faciunt, examinat (1). Omnes, qui interrogantur, prae primis oratores, sub gravi tenentur respondere juxta veritatem : hinc si ab impedimento occulto dispensatio pro foro conscientiae obtenta fuerit, dicent nullum aliud obesse impedimentum ; nisi forte illud impedimentum jam publicum evaserit, quia tunc alia dispensatio pro foro externo obtinenda est. Caeterum inquisitio fieri debet num vera sint exposita *in ipso rescripto*. Quod si dispensatio data sit *ex certis rationabilibus causis*, in causam inquirendum non est, quamvis in rescripto legatur alia clausula : *De praemissis te diligenter informes*, quae tunc refertur tantum ad alia quae in parte narrativa rescripti reperiuntur (2).

368. 4° *Vetito omnino ne aliquid muneris aut premii exigere vel oblatum recipere praesumpseris.* Ex decreto S. C. S. Officii, 28 *Aug.* 1885, haec clausula hodie apponitur in fine cujuscumque dispensationis S. Datariae, suppressis aliis clausulis, quae eamdem prohibitionem respiciebant. Vide n. 400. S. Poenitentiaria loco hujus clausulae ponit : *Gratis dispensandi.*

369. In rescripto dispensationis S. Datariae in forma or-

(1) Praxim peragendi hanc inquisitionem fuse describit Giovine *II*, § 83, *sequ.* Vide etiam infra n. 394. Proposito dubio, num bene se gereret quidam Ordinarius, qui, praemissis per parochum seu vicarium foraneum et per testes informationibus pro concedendis literis ad impetrandas apud Apostolicam Sedem dispensationes, inde acceptas literas dispensationis, absque mora, executioni mandabat, easque parochis remittebat, eis praecipiens ne illas contrahentibus manifestarent, nisi vera essent exposita, S. Poenitentiaria rescripsit : « Inquisitio, quae praecipitur in Apostolicis literis matrimonii, ex narratis, quoad substantiam, fieri videtur ». Apud Feje *n.* 738.

(2) Giovine *II*, § 94, *n.* 2. Clausula : *Dummodo copula non intercesserit*, hodie numquam apponitur : de quo proinde executor nullatenus inquirat. D'Annibale *III*, § 360. De Justis *I, IV, n.* 265.

Digitized by Google

dinaria ob causam infamantem ad nuptias ineundas clausulae praecipuae sunt sequentes :

1° *Ab incestus reatu et excessibus hujusmodi, imposita eis prius propter incestum hujusmodi, arbitrio tuo, poenitentia salutari..... in forma Ecclesiae consueta... absolvas.* Haec absolutio datur ab Ordinario in dispensationis fulminatione extra sacramentalem confessionem, uti edixit quoque S. Poenitentiaria, 4 *Jan.* 1839, apud Caillaud *n.* 115 ; ideoque non afficit ipsam peccati labem, sed poenas in incestuosos latas, a quibus ipsi in utroque foro liberantur. Jure communi poenae latae sententiae in incestum statutae non sunt ; sed fortasse statutae sunt jure particulari, a quibus Ordinarius, re ad Apostolicam Sedem delata, ob appositionem manus Pontificis, absolvere, sine aliqua indecentia, regulariter non posset ; ideoque ei datur absolvendi potestas (1). Utrum Ordinarius possit hanc absolutionem impertiendam alteri committere, vide n° 365 notam in fine. Haec clausula continet simplex mandatum (2) ; et absolutio dari potest quoque in distantiam (3). *Imposita eis....* Neque hujus poenitentiae impositio, utpote pars absolutionis, est conditio, non obstante ablativo absoluto. Haec poenitentia remitti solet arbitrio executoris, qui eam determinat, habita ratione diversitatis delicti, personarum, circumstantiarum, temporum ; potest esse quoque privata, licet incestum sit divulgatum, nec necessario gravis esse debet, cum componenda vices suppleat poenae gravioris. *In forma Ecclesiae consueta*, idest juxta formam Ritualis Romani, si commode fieri potest.

370. 2° *Et quatenus contra ipsos causa super praemissis in judicium quoquo modo deducta fuerit, parito judicato.* Nempe si oratores ob incestus crimen in judicium seu ecclesiasticum seu laicale vocati fuerint, Ordinarius sub poena nullitatis dispensationis ab executione supersedere debet, donec vel absoluti fuerint, vel sententiae latae paruerint.

(1) Feje *n.* 743 ; Lehmkuhl *II, n.* 819-4 ; Giovine *II,* § 64, *n.* 3.
(2) De Justis *I, VII,* 208.
(3) Schmalz. *V, XXXIX, n.* 102.

Digitized by Google

371. 3° *Prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam legitimam nuntiando.* Prolem *susceptam*; cum enim inter oratores matrimonium, ob impedimentum, consistere nequiverit, proles non legitimatur per subsequens matrimonium, sed legitimari debet rescripto superioris (n. 1123); et hac clausula R. P. executori potestatem tribuit eamdem pontificia auctoritate legitimandi. Unde sequitur *a*) debere delegatum in exequendis his literis non solum dispensare, sed etiam expresse legitimare prolem ab oratoribus antea susceptam; secus ea illegitima manet; *b*) posse delegatum, si praetermiserit id facere, durante suo officio novum confi-cere decretum, quo legitimet: imo etiam ejus successor id exequi poterit; *c*) legitimationem suum habere effectum ex actu quo delegatus decretum emittit, et nullum habere, si oratores a contrahendo matrimonio recederent; *d*) mandatum effectum habere quoad legitimationem prolis, si post illius executionem uterque vel alteruter orator obierit, antequam matrimonium contrahatur: imo si mors oratoris ante executionem acciderit, potest adhuc delegatus illud exequi, legitimam declarando prolem (1). *Suscipiendam*; sed hoc additur ad abundantiam (2), quia proles suscipienda, vi matrimonii valide iniți, est legitima. Nihilominus executor plene clausulam servet (3).

372. In rescripto dispensationis S. Datariae in forma pauperum ad nuptias ineundas sequentes clausulae praecipuae sunt vel ob causam infamantem vel ob causam honestam:

1° *Dummodo pauperes et miserabiles existant*..... Vi hujus clausulae executor inquirere debet in oratorum paupertatem juxta ea quae diximus n. 317 et 318. Si Ordinarius certus est de oratorum paupertate e. g. ex praevia inquisitione, et nulla probabilis suscipio sit mutationis in eorumdem fortuna, non putamus teneri rursus inquirere. Quod si

(1) Zitelli *op. cit., pag.* 80-81. Giovine *II*, § 66.

(2) Reiff. *IV*, *App. n.* 358.

(3) Clausula: *Et recepto ab eis juramento, quod sub spe facilius habendae dispensationis hujusmodi incestum hunc non commiserint*, hodie non amplius apponitur ex cit. decreto S. C. S. Officii (n. 366), conformiter decreto *diei* 25 *ejusd. mensis et anni* (n. 360).

Digitized by Google

reperiatur oratores forte pauperes non esse, poterit, urgente necessitate, dispensationem executioni demandare, exactis tamen prius S. Datariae juribus (n. 319 in fine).

373. 2° *Remoto, quatenus adsit, scandalo praesertim per separationem tempore tibi beneviso, si fieri potest.* Haec clausula aut alia similis hodie ponitur ex cit. decreto S. C. S. Officii, 28 *Aug.* 1885, loco clausulae : *In primis ab invicem adhuc ad mensem separes*, et clausulae: *Dummodo in praefata separatione permanserint*, quae ponebantur in rescripto dispensationis in forma pauperum ; et clausulae: *Praevia exponentium praefatorum separatione adhuc ad mensem*, quae addi solebat rescripto in forma ordinaria. Hac mutatione plures implexae quaestiones cessaverunt, et modo tota res remittitur prudentiae Ordinarii. De sensu hujus clausulae vide n. 377.

374. 3° *Imposita eis pro modo culpae arbitrio tuo gravi poenitentia salutari, prout juxta prudens tuum arbitrium magis in Domino expedire judicaveris..... absolvas.* Haec absolutio non sacramentalis cum relativa salutaris poenitentiae impositione non est conditio, sed simplex mandatum ; hinc absolutione praetermissa, aut poenitentia non imposita, Ordinarius peccabit quidem, nisi ex gravibus circumstantiis pro bono animarum excusetur, sed dispensatio valet (1) ; multo minus poenitentia imposita, acceptata, sed non impleta nocet validitati dispensationis (2). Si autem quaeras, quaenam sit poenitentia *gravis* et *salutaris*, respondemus sufficere, si talis sit tantum relative, habita scilicet ratione conditionis, aetatis, sexus..... oratorum, idque significare illud *juxta prudens arbitrium tuum*, prout declaravit S. Poenitentiaria, 4 *Jan.* 1839, apud Caillaud *n.* 190. *Per sex menses* jejunium semel in hebdomada, vel confessio saltem semel in mense, vel ter in hebdomada recitatio Rosarii aliaeve orationes aut lectio spiritualis..... foret pro omnibus poenitentia gravis et salutaris (3). Si vero oratores debitam pro suo peccato poenitentiam jam egissent, poterit

(1) De Justis *I, VII,* 208 ; Lehmkuhl *II, n.* 819.

(2) Feje *n.* 472 *l. c.*; Lehmkuhl *II, n.* 819, et declaravit S. Poenitentiaria 4 *Jan.* 1839 apud Caillaud *n.* 105.

(3) Scavini *III, n.* 930 ; Lehmkuhl *l. c.*

Digitized by Google

nunc poenitentia mitigari, modo illa non sit injuncta a S. Poenitentiaria tamquam commutatio. Haec poenitentia utrique oratori imponi debet (1).

375. In rescripto dispensationis S. Poenitentiariae pro foro externo praeter clausulam : *Dummodo pauperes sint*, de qua ut supra, sequentes speciales leguntur :

1° *Erogata ab eis aliqua eleemosyna judicio ipsius Ordinarii taxanda et definienda*, vel *: Erogata ab eis aliqua eleemosyna in pauperes arbitrio ejusdem Ordinarii juxta eorum vires taxanda.* Haec clausula ponitur quando causa est infamans. Hanc eleemosynam definit Ordinarius, et oratores promittunt se illam erogaturos, et necesse minime est hanc eleemosynam fieri ante dispensationis fulminationem, ut reposuit S. Poenitentiaria, 11 *Junii* 1859. Imo si Ordinarius, ob oratorum paupertatem, eorumve malam voluntatem, hanc clausulam praeterire satius duxerit, id remittitur prudentiae ejus arbitrio et conscientiae, ut edixit S. Poenitentiaria, 11 *Nov.* 1890 : quod est contra doctrinam passim receptam. Abs re non erit heic referre sequentem S. Poenitentiariae responsionem. Vicarius Generalis dioecesis M. in Galliis exponebat : « In illa dioecesi, sicut in aliis plurimis Galliae dioecesibus, invaluisse morem, ut cum per parochos petitur dispensatio ab Apostolica Sede super impedimentis matrimonialibus, exigatur a sponsis vel ab alia persona pro ipsis quaedam pecuniae summa, quae, detractis expensis pro dispensatione obtinenda necessariis, destinatur in favorem piorum operum, et sic praeventive ad satisfaciendum conditioni in rescripto S. Poenitentiariae apponi solitae : *Erogata aliqua eleemosyna arbitrio Ordinarii taxanda et applicanda.* Cum vero sponsi, quando praedicta summa exigitur, plerumque ignorent eam inservire ad satisfaciendum praedictae conditioni, quaeritur, utrum ea summa sic soluta eidem conditioni satisfiat ». S. Poenitentiaria, 10 *Julii* 1884, reposuit : « Morem

(1) Clausulae : a) *Si veniam a te petierint humiliter* ; b) *Recepto prius ab eis juramento quod non sub spe facilius habendi dispensationem hujusmodi incestum vel adulterium hujusmodi non commiserint, quodque talia numquam deinceps committant, neque committentibus praestabunt auxilium favorem* ; c) *Peractis ab eis duobus sacramentalibus confessionibus,* non amplius apponuntur ex cit. decreto S. C. S. Officii.

Digitized by Google

exequendi conditionem, de quo in precibus, ubi invaluerit, sicut exponitur, tolerari posse, dummodo sponsi sive ante sive post receptionem rescripti, certiores fiant, se praedictae conditioni satisfacere ope illius pecuniae praeventive solutae ».

376. 2° *Praevia absolutione..... a censuris et poenis ecclesiasticis.., et ab incestus reatibus cum gravi poenitentia salutari*, vel : *Cum congrua poenitentia salutari*, vel : *Cum gravi et diuturna poenitentia salutari*, vel : *Cum gravi et longa poenitentia salutari*. Non dubitamus et hanc absolutionem, ideoque et relativae poenitentiae impositionem, esse simplex mandatum ad analogiam eorum quae diximus n. 374 et 369. Neque haec absolutio est sacramentalis. Poenitentia autem longa protrahi solet saltem ad annum, e. g. semel in mense ad sacramenta accedere, vel semel quavis hebdomada aut jejunare aut recitare Rosarium, vel quotidie Missae assistere, etc. (1). Nonnulli ex stylo curiae distinctionem ponunt inter poenitentiam *longam* et *diuturnam*, quam ajunt protrahendam esse saltem ad triennium (2). Num id verum sit, alii videant : nam utrumque vocabulum in se inspectum idem prorsus significat. Si praecipiatur imponenda poenitentia *gravissima*, plura opera quae gravem constituunt, simul per annum integrum conjungantur.

377. 3° *Praevia oratorum separatione ad tempus Ordinario benevisum*, vel alia similis clausula. Huc spectat sequens S. Poenitentiariae decretum : « In rescriptis dispensationum matrimonialium cum causa infamante, S. Poenitentiaria, suppressis clausulis : *Interdicto quocumque tractu, et exhibita fide peractae sacramentalis confessionis*, nunc, more S. Datariae, clausula utitur : *Praevia oratorum separatione ad tempus Ordinario benevisum*. Ut nulla remaneat haesitatio quoad praxim, quaesitum fuit : 1° An conditioni praecitatae sufficienter satisfiat, si oratores per tempus ab Ordinario praescriptum quoad torum et habitationem separati remanserint, verum aliquos tractus honestos habuerint, v. g. collocuti secum fuerint, se inviserint etc. ? 2° Quid si inter visitationes et colloquia praedicta tractus graviter inho-

(1) Giovine *II*, § 108 ; Scavini *III*, *n*. 930 ; Lehmkuhl *II*, *n*. 820.
(2) DD. mox citati post Bouvier *De matr*., *p*. 317 ; Caillaud *n*. 188.

Digitized by Google

nestos, non tamen incestum, habuerint? 3° Utrum ab iniungenda separatione abstinere possit Ordinarius, si jam constet oratores in respectivis parentum domibus, ut plurimum ab invicem non parum distantibus, separatos habitare, et usque ad diem matrimonii habitaturos? « S. Poenitentiaria reposuit *die 4 febr.* 1884. « *Ad* 1um et 2um tractus de quibus in precibus non obstare quominus rescriptum dispensationis executioni mandetur. Ad 3um negative. » At quod attinet responsionem ad tertium, notandum est S. Poenitentiariam aliquando loco praecedentis ponere clausulam : *Praevia* si FIERI POTEST, *eorum separatione per tempus sibi benevisum, reparato tamen scandalo.*

378. 4° *Dummodo inter eos aliud canonicum non existat impedimentum.* Hinc dispensatio est nulla, si aliud impedimentum existit seu dirimens seu impediens (n. 358 in nota).

379. Tandem in rescripto S. Poenitentiariae pro foro interno praecipuae ac speciales clausulae sunt sequentes.

1° *Discreto viro confessori ex approbatis ab Ordinario.* Ita inscribuntur literae S. Poenitentiariae, quando ipse orator non petiit transmissionem dispensationis ad determinatum confessarium. Tunc igitur ille solus, qui a poenitente eligitur, potest literas aperire et dispensationem exequi, dummodo ad confessiones audiendas sit actu approbatus ab Ordinario loci, in quo fit executio literarum. Hinc non est aptus ille, qui approbatus est ab Ordinario alterius dioecesis, vel approbatus ad audiendas confessiones virorum tantum, cum dispensatio est pro muliere, aut viceversa. Si poenitens indicavit determinatum confessarium, aut si ipse confessarius recursum habuit ad S. Poenitentiariam, literae inscribuntur : *Discreto viro N. confessario.* Antiquitus literae dari solebant : *Discreto viro confessori magistro in theologia vel decretorum doctori ex approbatis ab Ordinario per latorem praesentium ad infrascripta specialiter eligendo* : quo in casu eosdem aperire et exequi poterat tantum confessarius ab Ordinario loci approbatus, et doctoralem lauream assecutus in publica academia presso proprioque sensu intellecta, aliique qui a Sede Apostolica hoc

Digitized by Google

privilegium habebant, prouti erant lectores regulares S. Francisci Minoris Observantiae ex Const. *Exponi Nobis*, 27 *Nov.* 1679 Inn. XI, et Patres S. I, qui ab eorum Praeposito Generali, vel de ejus licentia ab aliis Societatis superioribus ad id specialiter designati fuissent ex Const. *diei* 3 *Apr.* 1582, Greg. XIII. Si ille cui literae redduntur, postquam eas aperuerit, videt se aliquo ex requisitis carere, vel nolit electionem acceptare, opus non est novarum literarum petitione, sed orator primas alteri confessario tradet (1). Tandem si ambo sponsi impedimenti conscii dispensatione indigent, potest quisque confessarium sibi eligere ; quare prior confessarius post fulminatam dispensationem instrumentum reddere debet, ut alter eodem utatur (n. 402) (2).

380. 2° *Si ita est*, vel : *Si vera sint exposita*, vel : *Si preces veritate nitantur*, vel : *Si ita esse per diligentem oratoris examinationem ac post monita et consilia opportuna illi praestita inveneris*. Proinde executor, si sciat aliunde (non autem ex poenitentiae sacramento) exposita esse falsa, a dispensationis executione prorsus abstineat ; si e contrario sciat vera esse, potest absque ulteriori inquisitione ad fulminationem procedere ; secus sedulo investigare debet interrogans poenitentem, eique fidem habens, quin ei deferat juramentum. Quid si hanc investigationem praetermiserit, et exposita de facto vera sint ? Si aliqua ex primis tribus clausulis posita est, dispensatio certe valet, licet confessarius a peccato non excusetur ; si ultima, ipsa dispensatio videtur nulla ; sed certe valet, si confessarius inquisitionem fecit, praetermissis monitis et consiliis (3). Caeterum, ni fallimur, haec ultima clausula non amplius apponi solet.

381. 3° *Audita prius ejus* (vel *eorum*) *confessione....*, *in foro conscientiae et in actu confessionis sacramentalis tantum et non aliter* (vel *in sacramentali confessione tantum*). Scilicet in solo tribunali poenitentiae confessarius, audita poenitentis confessione, literas exequi potest. Propo-

(1) De Justis *I, VIII, n.* 122. Sanchez *VIII, XXVII, n.* 40. Pontius *VIII, XXI, n.* 14. Corradus *VII, IV, n.* 72.
(2) Lehmkuhl *II, n.* 821. Zitelli *pag.* 85, 86. Feje *n.* 747.
(3) Ben. XIV, *Inst. Ecc.* 87, *n.* 34. Zitelli *pag.* 86. Feje, *n.* 748.

Digitized by Google

sito dubio « An poenitens qui voluntarie et malitiose facit confessionem nullam et sacrilegam, dum virtute dispensationis obtentae a S. Poenitentiaria rehabilitatur in beneficio simoniace obtento, aut dispensatur ab impedimento matrimonium dirimente, sit sufficienter dispensatus, et an denuo sit recurrendum ad S. Poenitentiariam » S. Poenitentiaria respondit » Dummodo confessarius literarum S. Poenitentiariae executor servet quae sibi in iisdem literis praescribuntur, tunc datas vigore earumdem literarum dispensationes validas fore, etiamsi contingat poenitentem invalide ac sacrilege confiteri et absolutionem a peccatis recipere. Quod si confessarius advertat poenitentem ex sua indispositione a peccatis absolvi rite non posse, curare debet ut idem poenitens recte disponatur ; vel si disponi nequeat in praesenti, differre debet una cum absolutione a peccatis praedictas dispensationes, nisi forte urgens aliqua necessitas suadeat dispensationes accelerare (1) ». Pariter ad dubium « Num dispensationes super impedimentis dirimentibus occultis in matrimoniis contractis significandae sint statim post susceptam absolutionem, aut priusquam dispositiones praeviae ad absolutionem existant atque absolutio suscipiatur, idque ut citius validitati matrimoniorum provideatur, sicque commercii illiciti occasio arceatur » S. Poenitentiaria 19 *Maii* 1834, reposuit. « Dispensationes, de quibus in casu, manifestandas esse ante absolutionem ; quas tamen confessarius concedere potest, etiamsi absolutionem a peccatis suspendendam censeat (2) ». Similiter S. Poenitentiaria 4 *Jan.* 1839 declaravit. « In exequendis S. Poenitentiariae rescriptis curandum quidem est, ut poenitens ad peccatorum absolutionem disponatur, nihilominus validas fore absolutiones a censuris, dummodo saltem praecesserit accusatio seu confessio peccatorum, quae sacramentalis sit ».

382. 4° *Sublata* vel *remota occasione peccandi* vel *amplius peccandi* vel *postquam omnem recidivae conversationis occasionem abstulerit.* Haec clausula ponitur occasione affinitatis ex copula illicita e. g. inter oratorem et

(1) Apud Carriere, *De matr. n.* 1168.
(2) Apud Caillaud *n.* 372.

Digitized by Google

oratricis sororem vel matrem, aut inter oratricem et oratoris fratrem vel patrem. Occasio voluntaria et proxima tolli omnino debet; necessaria in remotam verti; et si poenitens id promittere renuit, confessarius exequi literas nequit.

383. 5° *Ab incestu et excessibus hujusmodi absolvas*, vel: *A quibusvis sententiis, censuris, et poenis ecclesiasticis, quas propter praemissa quomodolibet incurrerunt, incestu et excessibus hujusmodi absolvas*, vel simili formula. Haec clausula tribuit confessario hac vice absolvendi potestatem, si incestus, vel homicidium cum censura inter casus reservatos recenseantur, et ipse aliunde non habeat potestatem absolvendi a reservatis. Non requiritur forma absolvendi specialis, sed sufficit forma Ecclesiae consueta in absolutione a peccatis. Quod si haec dari nequit, et dispensatio differri non debeat, tunc omissa absolutione a peccatis, praemittitur excutioni absolutio a censuris et poenis, si quas poenitens incurrit juxta formulam, quae praecedit absolutionem a peccatis; quae absolutio a censuris et poenis in hoc casu danda est in tribunali poenitentiae, et dari etiam potest, quamvis post supplicationem copula iterata fuerit (1).

384. 6° *Dummodo nativitas mulieris praecesserit copulam ab oratore habitam cum ejus matre.* Haec clausula ponitur, quando quis vult ducere puellam, cujus matrem cognovit; ponitur, inquam, ad evitandum periculum matrimonii inter patrem et filiam.

385. 7° *Injuncta gravi poenitentia salutari*, vel *gravi et longa*, vel *gravi et diuturna*, vel *gravissima et longa* etc. (n. 376). Aliquando ipsa S. Poenitentiaria poenitentiam indicat: e. g. *Injuncta ei pro tam enormi libidinis excessu gravi poenitentia salutari, ac confessione sacramentali peccatorum suorum singulis scilicet mensibus, ut minimum semel, aut quoties tibi videbitur.* In hoc casu executor variare non potest; illam autem poenitentiam imponere debet non in perpetuum, quando enim S. Poenitentiaria perpetuam vult imponi poenitentiam, id aperte dicit, sed ad notabile

(1) Zitelli *pag.* 88-89. Feje *n.* 750.

Digitized by Google

tempus. Rigorose loquendo sufficit, si duobus tantum mensibus confessio praescribatur; recte tamen monent graves AA. aequitati consentaneum esse ut plurimum, si ea per semestre injungatur (1). Poenitentia imponenda est utrique vel alterutri parti, prouti utraque vel alterutra tantum culpabilis est.

386. 8° *Quodque in pauperes faciant aliquam eleemosynam.* Per hanc clausulam executor debet hortari poenitentem ad aliquam faciendam eleemosynam. At haec non est injuncta, ut in dispensationibus pro foro externo, verbo *erogata*; ideo non constituit conditionem (2).

387. 9° *Et aliis, quae in jure fuerint injungenda*, e. g. poenitentia sacramentali, restitutione, reparatione damnorum, aut scandali, remotione occasionis, etc.

388. 10° *Dummodo impedimentum occultum sit* vel *omnino occultum*: de qua fuse n. 252.

389. 11° *Dummodo aliud non obstet canonicum impedimentum*: etiamsi super isto jam impetrata fuerit in foro externo a S. Dataria dispensatio, de qua nulla mentio facta est in precibus ad S. Poenitentiariam.

390. 12° *Ita quod hujusmodi absolutio et dispensatio latori in foro judiciario nullatenus suffragetur*, vel alio simili modo. Qua clausula significatur, quod si forte impedimentum occultum, a quo poenitens dispensatur, evaderet publicum, adhuc ab Apostolica Dataria impetranda esset dispensatio pro foro externo; et si ad forum judiciarium deferretur, poenitens poenis a jure statutis subjaceret, et ipsa proles reputaretur in omnibus illegitima, licet in foro conscientiae matrimonium valeret (3).

391. 13° *Nullis super his testibus adhibitis aut literis datis, seu processibus confectis, sed praesentibus laniatis, quas sub poena excommunicationis laniare tenearis, ita ut nullum earum exemplum extet, neque eas latori restituas; quod si restitueris, nihil ipsi praesentes literae suffragentur;* vel : *Praesentibus post earum executio-*

(1) Scavini *III*, *n.* 930.
(2) Zitelli *pag.* 89-90.
(3) Giovine *II*, § 109. Zitelli *pag.* 92.

Digitized by Google

nem sub excommunicatione latae sententiae per te combustis, vel *laniatis*. Hinc prohibentur confessario omnia ea, quae pertinent ad forum externum, testes audire, dare poenitenti literas dispensationis, processum conficere..... Et debet sub poena excommunicationis literas *laniare* seu *comburere* ; et quamquam ad poenam effugiendam sufficiat sigillum frangere, et deinde literas per medium lacerare, ita ut in forum externum produci amplius nequeant, tamen literae destruendae omnino sunt, praesertim si habeatur verbum *combustis*. Quae destructio infra breve tempus fieri debet, idest juxta communem sententiam infra triduum post executionem vel saltem post matrimonii celebrationem. At non prohibetur confessarius literarum textum transcriptum non authenticum pro sua instructione asservare, quo casu expedit, ut diem et annum omittat. Literis post executionem latori restitutis, confessarius et lator peccant, nec literae in foro externo suffragantur, sed dispensatio valet. Quando oratores, inter quos nullum existit impedimentum, habentur publice pro conjugibus, sed concubinarii sunt, nec in forma Tridentina contraxerunt, et licentiam a S. Poenitentiaria directe petunt secrete contrahendi coram parocho et testibus, praetermissis denuntiationibus, tunc S. Poenitentiaria in literis parocho datis omittit vocem *laniatis* vel *combustis*, et indicat parocho matrimonium esse adnotandum in libro, ita ut palam omnibus nequeat innotescere, sed « ut testimonium, si forte requiratur, peracti matrimonii tradere possit, causamque suam parochus tueri, si opus fuerit, eodem exemplari literarum S. Poenitentiariae, quas ipse retinebit » Ben. XIV, *Inst. Ecc.* 87, *n.* 55. Quodsi inter praefatos oratores existat insuper impedimentum, solet S. Poenitentiaria praeter literas cum voce *laniatis* vel *combustis* confessario directas pro dispensatione impedimenti, alias sine ea voce dare parocho pro matrimonii celebratione, ut supra (1).

5°. — *De fulminatione dispensationis a S. Sede concessae.*

392. In primis quoad fulminationem *dispensationis pro*

(1) Feje *n.* 753. Giovine *I*, § 370. Zitelli *pag.* 93.

Digitized by Google

foro externo, diximus n. 365 quinam in praesenti disciplina detur executor harum literarum Apostolicarum. Quaeritur, an Ordinarius delegatus possit literas exequi, si interim R. P. moriatur. Responsio affirmativa certa est, si momento mortis Pontificis res non est amplius integra (n. 399), secus DD. inter se non conveniunt, sed communior et vera sententia est dispensationem in suo robore permanere, et Ordinarium posse illam exequi (1). Nam principium canonicum ex *cap.* 36. *De praebendis..... in* 6°, et *cap.* 9. *De off. et pot. jud. del. in* 6° est gratiam *faciendam* expirare morte concedentis, non autem gratiam *factam*: gratia vero dicitur *facta*, quando rescriptum est in forma gratiosa vel mixta, *facienda*, quando rescriptum est in forma commissaria. Atqui rescriptum dispensationis matrimonialis hodie est semper in forma mixta (n. 363). Confirmatur haec doctrina, et extra dubium ponitur ex responsione S. C. EE. et RR. 15 *Jul.* 1740 et 7 *Apr.* 1769 apud Bizzarri *Collectanea etc. pag.* 32, *et* 39.

393. Ordinarius autem nulla pollet jurisdictione ad Apostolicas literas exequendas, antequam exemplar ipsarum originale exhibitum ei fuerit ex *cap.* 12. *De appellationibus*, et Conc. Trid. *sess. XXII. cap. V de ref.* (2). Hinc « nullum est matrimonium quod oratores contrahunt, licet dispensationis literas jam habeant in suis manibus, et deputatus ad dispensandum executor ad id dedisset licentiam; sed requiritur, ut eae literae prius dicto executori praesententur et ab ipso detur... » Schmalz. *l. c.* Imo in tali casu nulliter contrahentes indigent nova dispensatione a Sede Apostolica obtinenda (n. 359), ut declaravit quoque S. C. C. 12 *Jan.* 1606 (3). Quod si authenticum literarum exemplar perierit, aliud obtinendum est, et executori exhibendum.

394. Postquam literae Apostolicae exhibitae ei fuerint, Ordinarius in primis eas recognoscit, si enim falsae aut dubiae appareant, a fulminatione abstinere debet; deinde inqui-

(1) Sanchez *VII, XXVIII, n.* 87. Giovine *II*, § 93. De Justis *I, VI, n.* 503 sequ. aliique plurimi apud ipsum.

(2) Schmalz. *IV, XVI, n.* 222. Giovine *l*, § 83. Zitelli *pag.* 101 cum communi.

(3) Corradus *VIII, IV, n.* 44.

Digitized by Google

rit, an vera sint exposita (n. 366); ac tandem ad fulminationem devenire poterit, omnes clausulas sedulo servans. Propositis dubiis : « 1° Utrum executor ad validitatem executionis quatuor teneatur ponere actus seu decreta distincta idest : actum primum, quo parochum vel alium deleget ad verificationem causarum ; actum secundum, quo executor sive per se sive per alium sponsis impertiatur absolutionem et poenitentiam imponat ; actum tertium, quo sponsis scandalum reparandum injungatur ; actum quartum, quo dispensatio et prolis legitimatio concedatur. Et quatenus negative : 2° Utrum sufficiat ponere duos actus seu decreta, scilicet primum actum seu decretum, quo parochus seu alius delegatur ad verificationem causarum ; secundum actum seu decretum, quo sive per executorem sive per alium impertiatur absolutio, et imponatur poenitentia, scandalum reparandum injungatur, dispensatio concedatur et prolis legitimatio, et quidem ita ut dispensatio et legitimatio concessa intelligatur sub conditione, quod sponsi prius absolutionem obtinuerint et reparaverint scandalum ; 3° Utrum ad validitatem executionis requiratur nova et canonica verificatio causarum vi literarum Apostolicarum instituenda casu quo Ordinarius de causis dispensationis exactam et per juratos testes habitam informationem ceperit antequam preces pro obtinénda dispensatione S. Sedi porrexisset ; 4° Utrum verba : *In utroque foro absolvas*, ita intelligenda sint, ut requiratur duplex absolutio separatim impertienda, una scilicet in foro externo, alia in foro interno ; an ista verba ita intelligenda sint, ut requiratur una tantum absolutio in foro externo impertienda, quae valeat etiam pro interno ; 5° Utrum casu quo separatio sponsorum fieri possit ad effectum reparandi scandalum, ad validitatem executionis sufficiat, ut executor aliis mediis efficacibus scandalum reparandum curet ». S. Poenitentiaria 27 *Apr.* 1886 reposuit : « Ad 1um providebitur in secundo. Ad 2um sufficere, ita tamen ut dispensatio et legitimatio prolis ab ipso tantum executore effici possit. Ad 3um negative. Ad 4um negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Ad 5um expedire ut scandalum removeatur per separationem ; sed non prohiberi, quominus alii

Digitized by Google

modi adhibeantur, qui prudenti judicio Ordinarii sufficiant ad illud removendum ».

395. Si autem quaeras, an Ordinarius extra suum territorium possit mandatum exequi, respondemus : Extra suum territorium potest quidem praestare ea omnia quae sunt actus nudi ministerii vel voluntariae jurisdictionis, uti sunt separatio oratorum, eleemosynae impositio, absolutio, ipsaque impedimenti dispensatio, quia nudum ministerium, vel voluntaria jurisdictio extra territorium exerceri utique potest. At non potest praestare ea quae jurisdictionem contentiosam sapiunt, uti citare et interrogare testes pro expositorum verificatione, cum jurisdictio contentiosa extra territorium exerceri nequeat. Posset vero extra territorium existens citationem et interrogationem testium alteri committere faciendam intra territorium (1).

396. Decretum finale, quo dispensatio conceditur, debet esse in scriptis confectum. Si ore tantum proferatur, certe dispensatio foret illicita ; utrum vero esset quoque invalida, DD. inter se non conveniunt, affirmantibus aliis (2) ex *regula* 27, 52 *Cancel. Apost.* et ex Corrado *I*, *VI*, *n.* 1 et De Justis *I*, *III*, *n.* 31 *etc.*, negantibus aliis (3), quia id nullibi cavetur expresse, et illae *regulae Cancel. Apost.*, ac citati AA. loquuntur de *literis Apostolicis*, quae sententia verior est, sed in praxi prima tutior sequenda. At omnia ea, quae pro clausularum executione praecedere debent, dummodo deinde in scripto fulminationis decreto recolantur, oretenus effici possunt, licet omnia scripto facere praestet (4). Dispensationem publicationum ad matrimonium contrahendum non importare fulminationem dispensationis declaravit S. C. C. in *Civitatis Castelli*, *Nullitatis matrimonii* 18 *Julii* 1778 (5).

397. In hoc autem scripto decreto Ordinarius commemorat mandatum sibi a Sede Apostolica factum, verificationem et implementum clausularum, injungit ea quae injun-

(1) De Justis *I*, *VI*, *n.* 485. Feje *n.* 754.
(2) Reiff. *IV*, *App. n.* 521. Giovine *I*, § 89 ac alibi.
(3) D'Annibale *III*, § 364, *not.* 27. Zitelli *pag.* 103.
(4) Feje *n.* 754.
(5) Sanchez *VIII*, *IV*, *n.* 1. De Justis *I*, *II*, *n.* 28.

Digitized by Google

genda sunt, et tandem dispensat expressis verbis ac auctoritate Apostolica, et prolem legitimam declarat. *Expressis verbis* dicens e. g.: *Dispensamus*: unde satis non est, si rescripserit puta: *Oratores possunt nuptias inire* vel: *Matrimonium contrahatur*. Imo Giovine *I*, § 82 putat hoc in casu dispensationem nullam esse ex cit. *regula* 51 *Cancel. Apost.*; sed probabilius dispensatio valet, quia nullitas nusquam statuitur, cum cit. regula ad signaturas in Romana curia dumtaxat pertineat (1). *Auctoritate Apostolica:* quod si delegatus omiserit, rursus Giovine *l. c.* censet dispensationem esse irritam; quod tamen falsum esse ostendit D'Annibale *l. c. not.* 28, nisi in mandato dicatur explicite *alias dispensationem esse nullam*, prouti in indulto aliquando ponitur (n. 424). *Prolem legitimam declarat* juxta ea quae diximus n. 370. Caeterum formula hujus decreti in omnibus curiis episcopalibus habetur (2). Quod decretum est in numero plurali, idest fulminatio fit in utramque partem, si impedimentum est utrique commune; est in numero singulari, nempe fulminatio fit in unam tantum partem, si impedimentum unam tantum directe afficit e. g. impedimentum voti.

398. Dispensatio suas vires exerit removens impedimentum, quando Ordinarius subscribit decretum, accedente oratorum acceptatione. Scilicet R. P. posset quidem, sed non solet, ne sua beneficia vilescant, dispensationem ad nuptias ineundas elargiri sine acceptatione illius, cui conceditur (3), praesertim si hic impedimentum dignoscit. At petitio dispensationis ab ipsis partibus facta, vel a tertia persona de earum mandato aut tacito consensu, implicitam continet acceptationem. Proinde in hoc casu dispensatio statim valet a momento quo Ordinarius decretum subscribit, etsi partes praesentes non sint; ita ut matrimonium postea initum valeat, licet partes fulminationem ignoraverint, quae tamen in hoc casu a gravi non excusantur; antea vero initum, sit nullum, etsi partes putaverint dispensationem fulminatam fuisse. Si vero dispensatio petita et obtenta fuit a tertia persona, par-

(1) D'Annibale *III*, § 364, *not.* 26.
(2) Eam habes in Alleg. IV.
(3) Sanchez *III, XXVI.*

Digitized by Google

tibus insciis vel etiam invitis, quae neque in praevia informatione monitae de ea fuerint, eamque acceptaverint, juxta doctrinam communiter receptam dispensatio valet quando decretum partibus directe intimatum fuit et ab iisdem ratum habitum ; dum e contrario in sententia Engel *IV, III, n.* 17 *sequ.* quae gravibus rationibus innititur, dispensatio etiam in hoc casu valeret momento subscriptionis. Hinc, ni fallimur, matrimonium medio tempore initum est dubium : in dubio autem favendum est matrimonio. Sed in casu vix practico ulterius heic insistere non juvat, et de eo alias (n. 414, 944) redibit sermo.

399. Mandatum Ordinarii extinguitur *a*) postquam functus est munere suo seu bene seu male. Hinc e. g. si Officialis dubitans de validitate literarum pro foro externo obtentarum dispensare recusavit, deinde potest dispensare, aut potest Episcopus, vel Vicarius Capitularis etc. (1), quia Officialis revera officio suo functus non est. Ast si pronuntiavit literas esse obreptitias vel subreptitias et ideo non exequendas, nec ipse nec alius poterit ulterius sese ingerere, ne partibus quidem consentientibus, licet postea, re melius perspecta, sic per errorem pronuntiasse cognosceret, quia hac sententia totam suam jurisdictionem consumpsit (2). « Nisi forte aliquid pronuntiaverit vel *ex sua persona* v. g. falsum esse, vel non videri sibi missum mandatum, quod planum est ; vel *non servata mandati seu juris forma*..... quia nihil agit.... e. g. si jussus absolvere in foro sacramentali extra illud absolverit ». D'Annibale *l. c.* pluribus citatis. *b*) Revocatione ipsi Ordinario intimata ante fulminationem. R. P. qui potestate pollet ferendi impedimenta tum ad modum legis tum ad modum praecepti, posset quidem post fulminationem impedimentum jam sublatum restituere ; at id non posset S. Dataria, aut S. Poenitentiaria sine auctoritate specialiter obtenta. *c*) Renuntiatione Ordinarii facta ipsi R. P. acceptanti. Oratores ante fulminationem possunt quidem dispensationi renuntiare ; quo in casu Ordinarius non debet sub poena nullitatis eamdem fulminare ; at mandatum perdurat.

(1) De Justis *I, VI, n.* 486 *sequ.*
(2) Sanchez *VIII, XXVII, n.* 39. De Justis *l. c.* D'Annibale *I*, § 77, *n.* 55.

Digitized by Google

Hinc e. g. si oratores modo nuptias ineunt cum tertiis personis, et tandem vidui facti vellent matrimonium inter se contrahere, Ordinarius receptum mandatum exequi potest (1). Post fulminationem oratores habiles sunt, ita ut neque ipsi neque Ordinarius valeant impedimentum restaurare: proinde vidui facti a matrimonio inito cum tertiis personis libere possunt absque nova dispensatione inter se coire nuptias (2). An impedimentum affinitatis rursus enascatur inter Titium et Sempronìam, ita ut nova dispensatio necessaria sit, si post dispensationem copula denuo ponatur inter Titium et Maeviam Semproniae consanguineam, vide n. 704.

400. Pro executione matrimonialis dispensationis Ordinarius nihil omnino quocumque titulo exigere potest, aut sponte oblatum acceptare, sub poena excommunicationis latae sententiae, prout in ipsis literis statuitur, salva cancellarii mercede in *Taxa Innocentiana* determinata (n. 137), et expensarum refectione. Nec prodest contraria dioecesis consuetudo; haec enim legem quidem abrogare potest, at non praeceptum singulis vicibus repetitum (3). Nonnulli hanc prohibitionem intellexerunt de muneribus vel praemiis magni valoris; sed immerito, cum verba generalissima quodcumque munus vel praemium comprehendant. Ratio prohibitionis fuit, ne executor muneribus corruptus minus probe officium suum obiret. At si delegatus, non obstante hac prohibitione cum censura, aliquid exegerit vel acceptaverit, dispensatio foret valida etsi illicita; quia nullitas nusquam cavetur. Erat autem etiam nulla dispensatio in forma pauperum ante cit. decretum S. C. S. Officii 25 *Aug.* 1885, quia rescriptum S. Datariae continebat clausulam: *Et nihilominus absolutio et dispensatio a te facienda nullius sit roboris vel momenti*, quae per cit. decretum suppressa est. Haec confirmantur ex responsione S. C. C. in *Granaten. et Mindonien.* 28 *Jan.* 1882. Nam in Hispania universalis et immemorialis erat consuetudo, qua non solum cancellarius, sed

(1) Sanchez *VIII, XXXII, n.* 6. Giovine *I,* § 98, *n.* 3. D'Annibale *III,* § 364, *not.* 30 contra De Justis *I, VI, n.* 340.

(2) D'Annibale *l. c.* S. Alph. *I, n.* 197. De Justis *l. c. n.* 336. Pontius *VIII, XVIII, n.* 20.

(3) D'Annibale *III,* § 364, *not.* 25. Giovine *II,* § 55. Reiff. *IV, App. n.* 319.

Digitized by Google

etiam Officialis in executione omnium dispensationum matrimonialium pro foro externo a S. Poenitentiaria vel a S. Dataria concessarum etiam in forma pauperum aliquid acciperet et exigeret. Propositis dubiis : « 1° An et quomodo tolerari possit consuetudo in casu ; 2° An et quomodo consulendum in casu ». S. C. reposuit : « Ad 1um negative in omnibus. Ad 2um consulendum Ssmo pro sanatione in radice dispensationum et matrimoniorum, quae nullitatis vitio laborant, et pro absolutione ad cautelam, et condonatione quoad executores ». Absolutio a censuris datur *ad cautelam*, quia Hispani Officiales ex bona fide excusari poterant (1). In eodem sensu eadem S. C. rem definiverat 20 *Jan.* 1767. At vero quaesitum fuit : « Utrum in prohibitione exigendi ab executoribus dispensationum Apostolicarum comprehendantur etiam informationes captae ad preces efformandas et testimonium super ipsarum veritate ad dispensationem non exequendam, sed obtinendam. Et quatenus affirmative deprecatur pro opportuno remedio ». S. C. reposuit die 16 *Mai* 1885 *negative*. Pariter post factam executionem executor potest aliquid gratis datum recipere, sed non exigere.

401. Haec quae huc usque diximus de fulminatione dispensationis pro foro externo, facile applicabis, servatis servandis, fulminationi *dispensationis pro foro interno* : sed nonnulla specialiter de ea notanda sunt. Nam haec dispensatio fulminatur in ipso confessionis actu, prouti S. Poenitentiaria praescribere solet (n. 381) ; quod si in rescripto haec clausula desit, fulminari potest etiam extra confessionem. Formulas hujus absolutionis ad confessariorum usum habes in Alleg. IV. Confessarius scilicet post datam absolutionem a peccatis, et post recitatum *Passio,* etc. juxta Rituale Romanum, formulam fulminationis pronuntiat ; si vero absolutio a peccatis dari non potuit, formulam pronuntiat, caeteris omnibus praetermissis. Haec fulminatio viva voce perficitur ; et quamquam nil vetet quominus confessarius formulam legat, quam fortasse memoria non tenet, tamen illam scriptam formulam poenitenti dare non debet.

(1) Santi *IV, App. n.* 57.

Digitized by Google

402. Si impedimentum ex una tantum parte se tenet, e. g. votum simplex castitatis, aut si impedimentum est utrique parti commune, sed unius tantum culpam conjunctam habet, e. g. affinitas ex copula illicita, in solam partem impeditam et culpabilem fit fulminatio et proinde satis est, ut ipsa confessarium adeat. Si impedimentum est utrique parti commune, et utraque pars est ejusdem impedimenti conscia ac culpabilis, in utramque fulminatio fieri debet, et ideo utraque pars adire debet confessarium eumdem aut diversum. Ad rem S. Poenitentiaria 15 *Nov.* 1748 « S. Poenitentiaria ad propositum dubium circa executionem literarum suarum, quibus committitur facultas dispensandi super occulto matrimonii impedimento cum duobus ejusdem impedimenti consciis, respondet quod, quamvis hujusmodi literae dirigantur confessario per latores eligendo, necessarium tamen non est, quod unus idemque confessarius ab utroque eligatur ad has literas exequendas ; sed potest unus confessarius ab uno ad id eligi, alter ab altero. Tunc autem prior confessarius post dispensationem uni ad formam literarum concessam, debet literas S. Poenitentiariae poenitenti tradere, ut per illum alteri parti tradantur, quae similiter easdem literas secum exequi faciat per alium confessarium, cujus erit in hujusmodi casu, confecto negotio, literas lacerare. Et quamvis impedimentum hujusmodi esse soleat, ut sublatum quoad unum maneat eo ipso sublatum quoad alterum, nihilominus mens S. Poenitentiariae est, ut erga utramque personam literae executioni mandentur ; sin minus ad auferendum impedimentum, quod per priorem cum una dispensationem jam ablatum praesupponitur, saltem ad congruas poenitentias salutares utrique imponendas, quas non convenit ab uno tantum exigi, ubi communis est culpa » (1). Ita quidem si literae S. Poenitentiariae inscribuntur in genere: *Discreto viro confessario ex approbatis ab Ordinario*; si vero inscribuntur determinato confessario, haec literarum transmissio fieri non potest, et ideo si una pars hunc confessarium adire recusat, novae literae cum generica inscrip-

(1) Apud Collet *Traité des dispenses, III*, 41.

Digitized by Google

tione a S. Poenitentiaria obtinendae sunt. Imo si confessarius electus minus bene munere suo functus est, quia e. g. dispensavit in impedimento non legitimans prolem susceptam, pars adhuc potest iisdem literis forte non laniatis alium confessarium adire pro prolis legitimatione (1). Tandem si duplex obtenta fuit dispensatio, alia pro externo, alia pro interno foro, prius fulminetur dispensatio pro foro externo, et deinde dispensatio pro foro interno (n. 327).

403. Demum notandum est, si agatur de literis matrimonialibus pro foro conscientiae tantum, neque cancellarium seu notarium pro suo labore aliquid posse percipere. S. C. C. apud Corradum *VII*, *VI*, *n.* 14 edixit « in literis absolutionum et dispensationum in foro conscientiae tantum nihil a quoquam accipi posse, quemadmodum Romae fit, et declaravit Greg. XIII ». Proinde confessarius Ordinario, et orator confessario expensas tantum reficere debet. At post fulminatam dispensationem aliquid sponte oblatum acceptare de rigore juris non prohibetur (2).

II

De dispensationibus ab Episcopo aliisve infra Romanum Pontificem concessis.

404. Quisque videt Episcopum aliosque omnes infra R. P. non posse jure proprio et originario dispensare in impedimentis matrimonialibus, cum agatur de legibus generalibus Ecclesiae, si excipias votum non reservatum, aut prohibitionem ab ipso Episcopo, vel ab ejus praedecessore, vel a parocho factam. Sola igitur Sedis Apostolicae facultas, aut consuetudo immemorialis vel saltem centenaria, unde posset R. P. benignus assensus legitime deprehendi, dispensationem ab eis datam reddere potest validam licitamque. Seposita consuetudine, quae in praxi vix umquam constituet titulum legitimum et tutum, remanet Episcopos aliosque infra R. P. non posse in impedimentis matrimonialibus dispensare, nisi haec facultas ipsis a Sede Apostolica facta fuerit. Jam vero haec facultas aliis praeter R. P. aliquando facta

(1) De Justis *I*, *VIII*, *n.* 120. Sanchez *VIII*, *XXVII*, *n.* 40.
(2) Giovine *II*, § 55.

Digitized by Google

est ad modum legis semel pro semper, ita ut sit *ordinaria* licet a S. Sede derivata sive voluntate expressa sive voluntate non expressa. E contrario saepius haec facultas conceditur ad modum mandati sive *particularis* ad dispensandum inter duas determinatas personas, quo in casu est potius dispensatio in forma commissaria vel mixta, de qua supra, sive *generalis* ad dispensandum in genere in determinato impedimento sub appositis limitationibus et nomine R. P., ita ut haec dispensandi facultas sit *delegata*. Istiusmodi generales facultates aliae quidem dicuntur *ordinariae* et aliae *extraordinariae* (1); sed id significat tantum S. Sedem primas semper concedere et concessisse, alteras vero primis superaddere; at tum illae, tum istae sunt delegatae.

1° *De dispensationibus ab Episcopo aliisque concessis potestate ordinaria.*

405. Expressa R. P. voluntate haec potestas facta est Episcopis aliisve, quoties lege lata S. Sedes eis hanc potestatem concessit. Exemplo sint literae, quas jussu Ssmi D. N. Leonis XIII Card. Monaco *die* 20 *Febr.* 1888 ad omnes Ordinarios misit. « De mandato Ssmi D. N. Leonis XIII S. C. S. R. et U. I. nuperrimis temporibus duplex quaestionum genus expendendum propositum fuit. Primum respicit facultates quibus, urgente mortis periculo, quando tempus non suppetit recurrendi ad S. Sedem, augere conveniat locorum Ordinarios, dispensandi super impedimentis publicis matrimonium dirimentibus cum iis qui juxta civiles leges sunt conjuncti, aut alias in concubinatu vivunt, ut morituri in tanta temporis angustia in faciem Ecclesiae rite copulari, et propriae conscientiae consulere valeant: alterum spectat ad executionem dispensationum, quae ab Apostolica Sede impertiri solent.

» Ad primum quod attinet, re serio diligenterque perpensa, approbatoque et confirmato EE. PP. una mecum Generalium Inquisitorum suffragio, S.S. benigne annuit pro gratia, qua locorum Ordinarii dispensare valeant per se sive per

(1) Collect. Paris *n.* 31, 32, 33.

Digitized by Google

ecclesiasticam personam sibi benevisam aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, super impedimentis quantumvis publicis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro Presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente.

» Mens autem est ejusdem S. S., ut si quando, quod absit, necessitas ferat, ut dispensandum sit cum iis, qui sacro Subdiaconatus aut Diaconatus ordine sunt insigniti, vel solemnem professionem religiosam emiserint, atque post dispensationem et matrimonium rite celebratum convaluerint, in extraordinariis hujusmodi casibus Ordinarii de impertita dispensatione S. Officii Congr. certiorem faciant ; et interim omni ope curent, ut scandalum, si quod adsit, eo meliori modo, quo fieri possit, removeatur, tum inducendo eosdem, ut in loca se conferant, ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum si id obtineri nequeat, injungendo saltem iisdem spiritualia exercitia aliasque salutares poenitentias, atque eam vitae rationem, quae praeteritis excessibus redimendis apta videatur, quaeque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum ». Alteram decreti partem habes n. 365.

Circa praecedentes facultates Ordinariis demandatas propositum fuit sequens dubium. « Utrum Ordinarii in casibus extremae necessitatis facultatem dispensandi super impedimentis publicis matrimonialibus in mortis articulo literis S. C. S. Officii sub *die* 20 *Febr.* 1888 concessam parochis et universim confessariis approbatis modo generali antea subdelegare valeant necne ? » S. C. S. Officii *feria IV*, *die* 9 *Jan.* 1889 reposuit : « Supplicandum Ssmo, ut decernere et declarare dignetur eos, quibus potestas hujusmodi supracitatis hujus S. C. literis diei 20 *Febr.* 1888 data fuit, posse illam delegare habitualiter parochis tantum, sed pro casibus dumtaxat in quibus deest tempus ad ipsos recurrendi, et periculum est in mora ». Eadem vero die et feria Ssmus D. N. in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita benigne annuere dignatus est juxta EE. et RR. PP. suffragia. Praeterea eadem S. C. *feria IV*, *die* 23 *Apr.* 1890 declara-

Digitized by Google

vit nomine parochorum « comprehendi omnes qui actu curam animarum exercent, exclusis vice-parochis et capellanis » (1).

406. Voluntate Pontificis non expressa facta est haec potestas, quando lex explicita deest, sed voluntas Pontificis aliunde colligitur. Id accidit in sequentibus casibus.

407. 1° Episcopus, et, sede vacante, Capitulum, et deinde Vicarius Capitularis (2), non autem Vicarius Generalis (3), nisi forte Episcopus absit et facile adiri nequeat (4), possunt ex tacita voluntate Pontificis hanc communem doctrinam cognoscentis et minime reprobantis, dispensare et alios ad dispensandum delegare sive in casibus particularibus sive modo generali, cum eorum potestas sit ordinaria, quando impedimentum est dubium non quidem dubio juris, quia tunc impedimentum non adest (n. 254) sed dubio facti. Nimirum extante hoc dubio, factum, ideoque impedimentum forte existit et forte non existit, cum probabilius Ecclesia in hoc dubio non suppleat (n. 255); sed si existit, Episcopus aliique possunt sua dispensatione ad cautelam illud removere (5). Proinde etsi impedimentum postea certum appareat, non oportet novam dispensationem impetrare. Nonnulli id negant exemplo excommunicationis, a qua quis absolvitur in articulo mortis, et in quam reincidit recuperata sanitate; sed immerito prorsus, quia conjuges nequeunt in impedimentum et nullitatem matrimonii reincidere (6).

Illud potius quaeri potest, si impedimentum postea publicum evaserit, utrum opus sit nova dispensatione: de qua quaestione haec habet D'Annibale *l. c.* « Recepta sententia est

(1) *Canoniste contemporain*, janvier 1891.

(2) De Justis *II, II, n.* 165. D'Annibale *III,* § 357, *n.* 26.

(3) Sanchez *II, XL, n.* 12. Pontius *VIII, XIII, n.* 5.

(4) S. Alph. *VI, n.* 613. D'Annibale *l. c.* Ea scilicet ratione qua dispensat Episcopus, cum R. P. facile adiri nequit.

(5) S. Alph. *I, n.* 190, *VI, n.* 902. Sanchez *II, XL.* Pontius *VIII, XIII.* Feje *n.* 636. D'Annibale *l. c.* cum communi. S. C. C. 18 *sept.* 1852 hac de re interrogata respondit « consulat probatos AA., et in casibus gravioris dubii recurrat ad S. Sedem saltem ad cautelam ». Quod si S. C. S. Officii (cit. n. 255) tribuit etiam pro hoc casu dispensandi potestatem, id videtur esse ad abundantiam.

(6) D'Annibale *III,* § 357, *not.* 27.

Digitized by Google

dispensationes hujusmodi dari (perinde quasi a S. Poenitentiaria) quoad forum dumtaxat internum : quo admisso consequens est dicere opus esse, atque ideo conjuges interim esse (ab Episcopo non a parocho) separandos. Et ita De Justis *II, II, n.* 151, 153, sed non bene ex Corrado *VII, VI, n.* 35. At utrum hoc admittendum sit, dubitat Pontius *VII, XIII, n.* 5. Et recte : 1° quia haec doctrina, cujus auctor videtur fuisse Enriquez, deducta est ex Trid. *XXIV, R.* 6, quod (*Prol.* § 316) heinc longissime distat. 2° Quia non bene Episcopi heic dispensare dicuntur quasi S. Poenitentiariae loco ; quippe haec regulariter dispensat *ad infamiam* tantum, illi et ad *damna* vitanda ; alias nefas eis esset dispensare in his, quae non sunt occulta natura sua (§ 355, *not.* 5). Demum 3° quia nulla subest ratio, cur data ex tacita delegatione R. P. ejusque loco dispensatio rata esse non debeat quoad forum externum in his impedimentis, quae ad forum externum pertinent. Sane quae damna studemus avertere, dum impedimentum latet, ea et longe deteriora reintegramus cum innotescit... ».

408. 2° Episcopus aliique, ut supra, possunt ex tacita Pontificis voluntate, etiam positivis declarationibus confirmata, dispensare et alios ad dispensandum delegare, tum in casibus particularibus, tum modo generali, quando matrimonium est *contractum* et sequentes concurrunt circumstantiae (1). *a*) Conjuges bona fide matrimonium contraxerunt ob facti vel juris ignorantiam etiam crassam non autem affectatam (2). Sufficit etiam si unus tantum fuit in bona fide, ignorans scilicet impedimentum (3). *b*) Contraxerunt, inquam, in facie Ecclesiae, omnibusque adhibitis solemnitatibus, aut his legitime sine fraude dispensatis. Hinc Episcopus aliique dispensare nequeunt, si matrimonium fuit clandestinum, aut spretis publicationibus initum. *c*) Matrimonium fuit consummatum : sed plures non immerito hujus conditionis nullam

(1) Sanchez *II, XL, n.* 3. Pontius *VIII, XIII, n.* 2. Fagn. *in cap.* 8, *De filiis presbyt.* Corradus *VIII, IV, n.* 41, referens declarationem Sixti V. S. Alph. *VI, n.* 1123. Ben. XIV *De Syn. IX, II, n.* 2 cum communi.

(2) D'Annibale *III*, § 357, *not.* 22.

(3) Giovine *I*, § 336, *n.* 6, citans S. C. C. S. Alph. *VI, n.* 1124, cum communi.

Digitized by Google

mentionem faciunt (1). *d*) At matrimonium fuit et est nullum ob impedimentum occultum, in quo R. P. potest et solet dispensare, sed modo pseudo-conjugibus notum. Non posse Episcopum aliosque dispensare, si impedimentum est publicum, et posse si est occultum, edixit S. C. C. in *Aegitanien. Dispensationum* 19 *Apr.* 1692. Nam propositis dubiis : « 3° An Episcopus dispensare possit in foro conscientiae tantum in impedimentis dirimentibus matrimonium, et post ejus publicationem et confirmationem detectis et quatenus affirmative ; 4° An possit, quando ignorantia impedimenti concurrit in uno tantum contrahentium ; 5° An possit, quando ob moram habendae dispensationis propter distantiam locorum magnum daretur periculum incontinentiae et scandali ; 6° An possit, quando impedimentum provenit ex parte foeminae passurae jacturam vitae, famae, et scandali, si illud detegeret ». S. C. reposuit : « Ad 3um et 4um non posse, secluso scandalo, de quo in quinto dubio ; posse autem quatenus impedimentum non sit publice detectum. Ad 5um et 6um affirmative quoad forum conscientiae tantum » (2). Quid vero si impedimentum sit publicum natura sua, etsi de facto occultum ? DD. inter se non conveniunt : ex una parte relata verba S. C. C. *Posse quatenus impedimentum non sit publice detectum*, viderentur non obscure indicare Episcopum et in hoc casu dispensare posse ; ex alia autem parte hanc potestatem Episcopo demit principium a Ben. XIV *l. c.* traditum : *Plus potestatis tribuendum non est Episcopo quam habeat Major Poenitentiarius* ; et haec sententia in praxi servetur. Diximus *occultum sed modo pseudo-conjugibus notum* ; quia si conjuges adhuc illud ignorant, Episcopus aliique dispensare nequeunt, sed conjuges relinquantur in bona fide et dispensatio a S. Sede petatur (3). *e*) Et ex una parte separatio conjugum fieri nequit sine scandalo et infamia, et ex alia periculum incontinentiae est, si non separantur. *f*) Nec dispensatio in impedimento facile obtineri potest

(1) Feje *n.* 634-5°.
(2) Vide folium S. C. C. in *Constantien. dispensationis*, 23 *Apr.* 1768.
(3) Feje *n.* 634-1°.

Digitized by Google

a S. Sede vel ab ejus delegato, nec per epistolam (1) aut per telegraphum. Proinde paupertas vel rusticitas, de qua nonnulli, non apparet quomodo causam sufficientem praebere possint.

Si igitur eae omnes circumstantiae simul adsint, Episcopus aliique possunt ex communi DD. calculo in eo impedimento dispensare. At eorum dispensatio prodest tantum « pro foro conscientiae, non autem pro foro externo ; non enim plus potestatis tribuendum est Episcopo quam habeat Major Poenitentiarius Papae, qui in praedicto rerum eventu impedimentum aufert, ut matrimonium convalescat solum in foro externo. Quocirca si impedimentum antea occultum postea detegatur, et deducatur ad forum contentiosum, opus erit nova dispensatione a S. P. impetranda » Ben. XIV *l. c.*

409. 3° Episcopus et in genere Ordinarius potest dispensare, quando matrimonium est *contrahendum* et sequentes circumstantiae simul verificantur : *a*) impedimentum obest occultum in quo R. P. potest et solet dispensare. Episcopum non posse dispensare, si impedimentum est publicum, bene tradit, ut alia documenta omittamus, S. C. S. Officii in instructione 8 *Junii* 1756 ad Episcopum de Panama « Noveris quidem impedimenta dirimentia vel a Conciliis Generalibus universam Christi Domini Ecclesiam repraesentanibus, vel a RR. PP. supremis universae Ecclesiae pastoribus imposita esse. Quapropter nullus particularis Episcopus adjudicare sibi potest auctoritatem in hujusmodi publicis impedimentis, quaevis urgeat necessitas, valide et licite dispensandi. Hinc sub *die* 13 *Martii* 1660 propositum fuit sequens dubium vedelicet : *An Episcopus in casu urgentissimae necessitatis possit ante contractum matrimonium in impedimento publico dispensare*. Et S. C. Card. Conc. Trid. interpretum respondit negative. Quin imo institutum deinde fuit examen super opinione quae asserebat id Episcopo licere ; et S. R. U. I. censores theologi, quibus praefatae opinionis examen demandatum est, sequens protulere judicium : *Propositio asserens Episcopum posse dispensare in publico impedi-*

(1) S. Alph. *VI, n.* 1123. D'Annibale *l. c.*

Digitized by Google

mento consanguinitatis pro matrimonio contrahendo sive in articulo mortis sive in alia urgentissima necessitate, in qua contrahentes non possint expectare dispensationem Sedis Apostolicae, est falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa et seditiosa. Hoc censorum judicium S. C. C. sub *die* 19 *Jan.* 1661 probavit et confirmavit. Sola itaque Apostolicae sedis facultas, vel praeter hanc immemorabilis consuetudo, aut saltem centenaria, unde posset R. P. benignus assensus legitime deprehendi, dispensationem in publicis impedimentis dirimentibus reddere potest validam licitamque ». Si impedimentum est de facto occultum, et natura sua publicum, rursus putamus in praxi habendum esse uti publicum. *b*) Ex una parte matrimonium protrahi nequit sine magno damno, aut scandalo vel infamia personarum, et ex alia dispensatio facile peti non potest a S. Sede vel ab ejus delegato nec per epistolam. DD. rei explicandae gratia duo exempla afferunt : si ageretur de matrimonio in articulo mortis ineundo ad prolem legitimandam, vel reparandum honorem mulieris, vel graves sedandas inimicitias... et obesset impedimentum e. g. affinitatis ex copula illicita ; item si parata essent omnia ad matrimonium, ita ut absque scandalo et personarum infamia differri nequeat celebratio, et simile impedimentum deprehenderetur. At certe non sufficeret prava voluntas utriusque partis, quae possent, si vellent incommodum tollere (1).

In his circumstantiis Episcopo potestatem dispensandi Sanchez *II, XL* nullius praecedentis Doctoris auctoritate fretus primus omnium vindicavit, quem deinde DD. communiter secuti sunt, licet Fagn. in *cap.* 18 *De filiis praesb.* hanc doctrinam graviter reprehendat et exagitet. S. Poenitentiaria numquam illam probavit, sed tamen semper cavit, ne aliquid diceret, ex quo videretur illam reprehendere. Igitur haec doctrina hodie est communis (2), et quisque tuto illam in praxi sequi potest. Tantum DD. illam diversi-

(1) Feje *n.* 635. Caillaud *n.* 335.

(2) Sanchez *l. c.* Pontius *VIII, XIII, n.* 6. Reiff. *IV, App. n.* 62, 63. D. Justis *II, II, n.* 129. S. Alph. *VI, n.* 1222. D'Annibale *III,* § 357. Santi *IV, App. n.* 11 *sequ.*

Digitized by Google

mode explicant, cum nonnulli doceant Episcopum praesumpta delegatione dispensare, alii melius censeant impedimentum in illis circumstantiis cessare, quod Episcopus declarat (n. 768). Caeterum omnes admittunt petenda esse a S. Sede dispensationem pro foro externo, si impedimentum deinde innotescat. Hae sunt ordinariae Episcoporum aliorumve facultates dispensandi in impedimentis dirimentibus.

410. Quaeritur num Episcopus sua ordinaria potestate uti possit, postquam recursus ad Sedem Apostolicam factus fuerit; e. g. si dispensatio a S. Poenitentiaria petita est, sed vel orator qui matrimonium inire debebat, jam moriturus decumbit; vel partes matrimonio nullo unitae, quae prius erant in bona fide, jam impedimentum noscunt; vel tandem cum impedimentum dubium sit, Episcopus ipse jam vellet dispensare. Ratio dubitandi ex eo desumitur, quia appositione manus Pontificis negotium ad Sedem Apostolicam avocatur. Sed, hoc non obstante, putamus responsionem affirmativam verissimam esse, praesertim in casu necessitatis, de quo supra; quia hic recursus ad R. P. conditionem partium nequit reddere deteriorem. Sane S. Sedes in tanta temporum angustia et in gravissimis illis circumstantiis verius impedimentum non urget, si agitur de matrimonio contrahendo, et sinit ab Episcopo dispensari, si agitur de contracto, ut consulat animarum saluti, et scandala in populo evitentur: quis autem dicet S. Sedem id amplius nolle, quia recursus ad eam factus fuerat? Major difficultas est in casu impedimenti dubii praeter necessitatem ob allatam dubitandi rationem. Sed appositione manus Pontificis adimi Ordinario et etiam delegato potestatem agendi nullo jure probatur: et quamquam rei sese immiscere in foro externo sit temerarium et valde dedeceat, tamen in interno ex justa et gravi causa licitum esse potest, ut recte ostendit D'Annibale *I*, § 77, *not.* 63 (3a *edit.*).

411. Non convenitur inter DD., num stylus curiae Romanae servari debeat pro validitate dispensationis ab Episcopo aliove potestate ordinaria concessae. Haec quaestio non respicit dispensationem in casu necessitatis datam super impedimento ad matrimonium ineundum, quia tunc Ordinarius

Digitized by Google

potius declarat impedimentum non urgere ; pariter pro dispensatione in matrimonio contracto, dummodo conditiones expositae verificentur, causa canonica semper adest, nempe revalidatio matrimonii bona fide initi : tandem certe dispensatio dari potest tum in forma mixta, tum in forma commissaria et gratiosa, quae diversas clausulas secumferunt. His positis, nos non videmus, qua ratione *ipse stylus* curiae Romanae sit obligatorius in casu, ita ut e. g. dispensatio in impedimento dubio affinitatis illicitae ab Episcopo potestate ordinaria concedi debeat sub poena gravis peccati, *praemissa absolutione non sacramentali et imposita eleemosyna*. Sed expedit ipsum in omnibus servari, eo vel magis quod quandoque difficile sit determinare, utrum aliquid exigatur ex solo curiae stylo, an etiam ex jure communi (1) : praeterea si quae ipse Episcopus pro valore statuit, ea quoque inferiores servare oportet pro valore dispensationis.

412. Utens ordinaria dispensandi potestate, Episcopus certe imponere nequit componendam : nam, aliis rationibus praetermissis, id prohibet Conc. Trid. cit. *sess. XXIV, cap. V de ref. mat.* (n. 315). At dubitatur, num possit mercedem aliquam exigere ? Responsio est negativa, si Episcopus dispensat in matrimonio contracto ; quia non praesumitur R. P. eidem ampliorem potestam concedere, quam Majori Poenitentario, qui omnimode gratis dispensat (2). Idem dicas, si dispensat in matrimonio ineundo, sive admittas in casu esse veram dispensationem ex praesumpta R. P. delegatione ob rationem mox allatam, sive putes esse potius simplicem declarationem ; quia foret absonum Episcopum posse mercedem exigere, quando declarat; non posse, quando dispensat. Tandem si dispensat in impedimento dubio, res clara non est. Caeterum, concurrente aliquo delicto, posse eleemosynam ad modum poenae injungere, non dubitamus.

2°. — *De dispensationibus ab Episcopo aliisve concessis potestate delegata.*

413. Generalia dispensandi indulta S. Sedes eadem con-

(1) Feje *n.* 697 *in fine.*
2) Giovine *II*, § 39, *n.* 3.

Digitized by Google

cedere non solet pro omnibus locis : unde quaenam indulta habeat Episcopus hujus vel illius dioecesis, aut Episcopi hujus vel illius nationis, est potius quaestio facti, quam juris. Pro locis missionum dantur Vicariis Apostolicis a S. C. de Prop. Fide ; extra loca missionum dantur Episcopis vel Ordinariis nationis, aut Episcopo vel Ordinario dioecesis a S. Poenitentiaria, vel ab aliqua Congregatione, non exclusa S. C. de Prop. Fide, auctoritate R. P. Porro de hoc indulto generatim spectato plura notanda sunt.

414. 1° In primis videamus quandonam indultum valere incipiat. Si ipse indultarius, vel tertia persona de ejus mandato, aut saltem eo conscio indultum petiit, omnes admittunt indultum statim valere *a tempore datae*, ut ajunt (1). Hinc e. g. indultarius si hoc modo obtinuit indultum, quod datum est die 15, et ab eodem receptum die 17 Novembris, duabus illius diebus intermediis eodem valide utitur, etsi illicite, ignorans concessionem. E contrario si R. P. indultum concessit motu proprio vel ad petitionem tertiae personae, inscio indultario, communis sententia est indultum non valere, nisi quando eidem indultario directe exhibitum fuerit et ab eodem acceptatum, seu non valere nisi *a tempore praesentatae*, ut dicitur (2). Quamquam vero haec sententia communis sit, tamen Engel *IV, III, n.* 17 *sequ.* argumentis non spernendis putat etiam in hoc casu indultum valere a tempore datae, ita ut dispensatio vi indulti forte concessa ante ipsius indulti praesentationem et acceptationem foret valida, ac proinde validum matrimonium. Hanc sententiam vera probabilitate non vacare diximus n. 398, et de ea alias etiam redibit sermo : proinde in dubio pro initi forte matrimonii valore standum esse putamus.

415. 2° Quoad indultarii personam inspiciendum est cuinam indultum inscribatur. Nam si datur *Titio Episcopo dioecesis N.* vel etiam *Episcopo dioecesis N.* aut *Episcopis Galliae*, eodem uti non potest Vicarius Generalis aliusve. Si vero datur *Ordinario dioecesis N.* vel *Ordinariis in Gallia*, tunc, cum non solum Episcopus, sed et Vicarius Genera-

(1) Salmat. *XVIII, I, n.* 69. D'Annibale *I,* § 225, *not.* 25.
(2) Salm. *l. c. n.* 64 *sequ,* D'Annibale *l. c.* Sanchez *III, XXXVI.*

Digitized by Google

lis vere et proprie sit Ordinarius, indultum competit et Episcopo, et Vicario Generali, aut Vicariis Generalibus, si plures in dioecesi sint, et Officiali, dummodo sit Vicarius Generalis (1). Mortuo indultario, utrum indultum extinguatur vel ad quasnam personas transeat, vide n. 365.

In indulto expresse tradi solet subdelegandi potestas non solum pro casibus particularibus, sed etiam modo generali. Si haec clausula deesset, indultarius juxta communem sententiam subdelegare potest etiam generaliter pro omnibus occurrentibus casibus tam praesentibus quam futuris (2); sed plures id negant, aut in dubium revocant, quia revera quoties S. Sedes subdelegandi facultatem vult concedere, eam sollicite exprimit in indulto (3). Caeterum facta potestate subdelegandi, delegatum debere ejusdem limites in omnibus servare palam est.

416. 3° Delegatus dispensare nequit, nisi cum suis subditis, idest cum iis qui in suo territorio habent domicilium vel (quidquid nonnulli in contrarium dicant) quasi-domicilium (4), aut sunt vagi et in territorio actu commorantur. Quid vero si unus tantum ex sponsis est subditus? Responsio habetur in declaratione S. Poenitentiariae 4 *Sept.* 1839. « Quilibet Ordinarius agendo cum facultate non ordinaria, sed a S. Sede absolute, simpliciter, et absque ulla conditione delegata, dispensando cum suis dioecesanis potest dispensare super aliquo canonico impedimento etiam in casu quo una persona impedimento ligata est suae dioecesis, altera alienae, quia ea facultas a Papa procedit, et sublato impedimento ex una parte cum qua dispensare valet, etiam pars altera libera evadit, cum ligamen non amplius inter utramque partem existat ». S. Poenitentiaria idem tradidit *die* 13 *Mart.* 1806 respondens ad Episcopum Cameracensem, eique adhaeret S. C. de Prop. Fide 9 *Sept.* 1861 ad Vicarium Apost. Mandurens. Opus non est animadvertere haec non valere, quando impedimentum non est correlativum, sed ex

(1) Giovine *I*, § 94. Brillaud *n.* 101 *sequ.*
(2) S. Alph. *VI*, *n.* 1125. Pontius *VIII*, *XIII*, *n.* 5. Sanchez *II*, *XL*, *n.* 14. Salm. *V*, *IV*, *n.* 12. Giovine *I*, § 86.
(3) Feje *n.* 632, *c.* Carriere *n.* 1102. Craisson *n.* 4402.
(4) Vide responsionem S. C. S. Officii relatam n. 420.

Digitized by Google

una tantum parte se tenet, e. g. impedimentum voti ; in hoc enim casu delegatus dispensare nequit, nisi pars impedimento ligata suae jurisdictioni subdatur : item in impedimento mixtae religionis, aut disparitatis cultus necesse est, ut pars catholica sit subdita, cum dispensatio in casu in eam cadat. At non cum omnibus suis subditis indultarius semper dispensare potest : nam praeter acatholicos, de quibus supra, saepe in ipso indulto limitationes adsunt, quas praetergredi nefas est. Nonnulla afferamus exempla.

417. Indultum dispensandi *cum pauperibus* vel *cum vere pauperibus* non valet nisi pro iis qui revera pauperes sunt in sensu canonico (n. 317). Huc spectat responsio S. C. C. *diei* 26 *Apr.* 1873. Pius IX Const. *Multis gravissimis* 28 *Jan.* 1864 Ordinariis Siciliae dederat potestatem dispensandi *favore illorum qui vere pauperes sunt in tertio et quarto gradu consanguinitatis et affinitatis sive simplici sive duplici ac etiam mixto dummodo primum non attingat.* Jam vero Episcopi Siciliae plura dubia circa hanc potestatem proposuerunt, inter quae « 3° An valide ab iisdem Ordinariis dispensari possint ii, qui pauperes non sunt in casu. 4° An valide dispensentur ii, qui falso paupertatem allegarunt in casu ». Et S. C. C. reposuit negative.

418. Aliquando indultum respicit tantum haereticos vel infideles conversos e. g. in *formula I art.* 6 legitur « Dispensandi quoad matrimonia praeterita etiam in secundo gradu solo (affinitatis vel consanguinitatis), dummodo nullo modo attingat primum gradum, cum iis qui ab haeresi vel infidelitate convertuntur ad fidem catholicam ». Hac igitur potestate Episcopus uti nequit pro utraque parte catholica, sed tantum pro haereticis et infidelibus conversis.

Caeterum hanc potestatem rite admodum explicat S. C. S. Officii in instructione *diei* 3 *Mart.* 1825 ad Archiep. Quebecensem, in qua sub dubio 6° post relatum cit. *art.* 6 *formulae I* haec leguntur. « De quo quaeritur an per matrimonium praeteritum intelligendum sit conjunctio quae obtinuisset inter virum catholicum et mulierem haereticam, vel inter virum fidelem et mulierem infidelem, vel viceversa, ita ut praedicta facultate uti liceat quando alterutra tantum

Digitized by Google

pars contrahens ab haeresi vel infidelitate redit ad fidem catholicam.

« Resp. Manifestum est per matrimonia praeterita, in quibus uti possunt Episcopi vel missionarii facultate sibi ab Apostolica Sede delegata dispensandi, ut in dubio, intelligi non conjunctiones quascumque etiam fornicarias, sed eas tantummodo quae juxta mores regionum vel infidelium vel haereticorum formam habeant et figuram matrimonii, habeanturque pro legitimis matrimoniis (1), quae tamen irrita sunt ob ecclesiasticum impedimentum secundi gradus affinitatis vel consanguinitatis. Intelliguntur itaque matrimonia hoc obstante impedimento nulliter contracta ab iis, qui legibus subduntur Ecclesiae. Hujusmodi porro sunt matrimonia : 1° fidelium cum infidelibus inita absque Apostolica dispensatione super cultus disparitate ; 2° catholicorum cum haereticis ; 3° denique haereticorum pariter cum infidelibus vel etiam inter se, quippe et ipsi Ecclesiae legibus tenentur. Non autem intelligenda veniunt matrimonia inter utramque partem infidelem. Qui enim Ecclesiae legibus non ligati, ut infideles, valide jam contraxerunt, opus non habent, neque postquam ad fidem conversi fuerint, dispensatione, ut in contracto matrimonio remanere possint ; quia quod validum initio fuit, revalidatione non indiget (2). Primum autem et secundum dumtaxat casum ponit auctor dubii, tertium nec attigit ; atque in illis duobus casibus, quia una pars jam catholicam profitetur religionem, atque idcirco per alterius conversionem ambo conjuges jam sunt catholici, cum iis dispensari licite posse non ambigit, sed tantum quaerit, an ad hujusmodi solummodo casus extendatur dispensandi facultas. Hinc patet quod ad quaestionis elucidationem etiam de tertio casu habenda est ratio, quaerendo nimirum an ad hunc quoque casum facultas extendatur, ita ut ea uti liceat tam si una tantum, quam si utraque pars convertatur ad fidem. Respondetur autem extendi. Et re quidem vera si

(1) Proinde licet inita sint sine forma Tridentina in loco vigenti. Feje, *n.* 625.

(2) Hinc sensum praedicti indulti assequutus non est Giovine *I*, § 341, *n.* 7 aliique post ipsum.

Digitized by Google

convertitur vel infidelis vel haeretica, remanente altera in sua haeresi, habetur casus dubii praecedentis, scilicet matrimonii mixti catholicos inter et haereticos. Sicut igitur S. Sedes interdum dispensat etiam in hujusmodi matrimoniis ab impedimento affinitatis et consanguinitatis, sic et illi dispensare possunt, quibus concessa est facultas dispensandi cum iis, qui ab haeresi vel infidelitate convertuntur ad fidem catholicam. Quod si convertitur pars haeretica, perseverante altera in infidelitate, jam est casus matrimonii catholicorum cum infidelibus, ac tunc quae graves adessent causae dispensandi super disparitate cultus, eaedem et gravia evaderent motiva dispensandi quoque super affinitatis impedimento. Si vero convertitur uterque conjux, jam nec locus remanet dubitandi de facultatis extensione ad effectum, ut cum eis licite dispensari possit ».

419. Num indultum dispendandi super *matrimoniis huc usque nulliter contractis* valeat, si matrimonium fuit non solum nullum ob impedimentum dirimens, sed insuper clandestinum, quaestio est inter DD. Hodie simili indulto addi solet *coram Ecclesia*, et tunc responsio negativa evidens est. E contrario responsio affirmativa est evidens, si indultum expresse id concedit; secus negativa est adhuc probabilior, quia S. Poenitentiaria 28 *Mart.* 1816 rescripsit : « In verbis *in matrimoniis huc usque nulliter initis* intelligi dumtaxat matrimonia nulliter contracta coram Ecclesia ». Praeterea disputatur num delegatus uti possit illo suo indulto, et dispensare cum suis subditis, qui mala fide, idest cum scientia vel serio dubio impedimenti, nuptias iniverunt. Si mala fides fuit ex una parte tantum, omnes DD. affirmant : si ex utraque, non conveniunt inter se, sed responsionem negativam extra dubium ponere videtur declaratio S. C. S. Officii *diei* 22 *Dec.* 1723 : « Facultas dispensandi in tertio etc. (*formula I, n.* 6) non extenditur ad illos, qui scienter contraxerint matrimonium in gradibus prohibitis, et in fraudem legis, sed requiritur nova particularis dispensatio S. Officii ». Jam vero in ea facultate nihil particulariter hac de re habetur : proinde declaratio S. Officii intelligenda est de quolibet indulto, nisi aliud verba ferant. Revera cum mala utriusque fides in praxi

Digitized by Google

Sedis Apostolicae reddat dispensationem difficiliorem ex Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. V de ref. mat.*, non praesumitur S. Sedes voluisse concedere potestatem dispensandi in casu, nisi expresse dicat.

420. 4° Nisi indulti verba aliud ferant, delegatus etiam extra suum territorium residens dispensare potest quoque cum subdito, qui pariter est extra territorium. At si in indulto adsit clausula : *Nullo modo iisdem* (facultatibus) *uti possit extra fines suae dioecesis* (vel vicariatus), haec exigit, ut tum dispensans tum dispensatus praesens in territorio sit.

Episcopus Southwarcensis quaesiverat :

« 1° In *formula II* (verba latine reddita recitamus) edicitur ut Episcopus qui iis a Pontifice facultatibus donatus est, *nullo modo iisdem uti possit extra fines suae dioecesis*. Sed idem alias facultates solet a S. Sede obtinere, quibus haec non apponitur limitatio, e. g. ut possit in matrimoniis mixtis dispensare. Mihi videtur quoties alicujus rei facultatem R.P. rogatus cuilibet facit, haec limitatio implicite apponi, ita ut duobus Southwarcensis dioecesis subditis, qui forte Plymuthi commorantur, ut ibi mixtum matrimonium inire queant, concedere per dispensationem non possim. Quaeso te, S. Pater, ut edisseras utrum haec sententia vera sit ; idest quoties indultum ea verba *nullo modo* etc. minime praefert, haec semper in eodem subaudienda esse.

« 2° Frequenter contingit, ut sive vir sive mulier aliquo vel dirimente, vel impediente impedimento obstrictus vel obstricta, super quo dispensandi facultate praediti sumus, Liverpolium v. g. matrimonium cum alio vel alia ibidem commorante ineundi causa adire velit. Sciscitor utrum hunc vel hanc e mea dioecesi discedentem omni impedimento liberare possim directe dispensando, atque ita, impedimento sublato, Liverpolium mittere, ubi alter ex sponsis commoratur, ad matrimonium ibidem ineundum.

« 3° Si duo ex subjectis meae dioecesis, inter se consanguinei vel affines, velint, omni impedimento absoluti, Liverpolium, nuptias ibidem ineundi causa, proficisci, quaero, an Aposto-

Digitized by Google

lico indulto uti possim pro matrimonio, quod extra dioecesis meae finem ineundum erit, permittendo.

« 4° Cum in dispensando super matrimoniis mixtis Ecclesia catholico viro aut mulieri cum Anglicana muliere aut viro (in quos directe cadere Ecclesiae beneficia non debent) inire nuptias permittere soleat, a quonam Episcopo concedi dispensatio potest, cum catholicus vel catholica venit ad matrimonium extra suam dioecesim ineundum ».

S. C. S. Officii *fer. IV, die* 22 *Nov.* 1865 reposuit :

« Ad 1um : clausulam : *Nullo modo uti possit extra fines suae dioecesis* ita intelligi debere, ut facultates sub ipsa comprehensae exerceri tantummodo possint cum propriis subditis in dioecesi existentibus actu quo conceditur gratia. Eamdem tamen clausulam non subintelligi in facultatibus, quae Episcopis ab Apostolica Sede conceduntur, nisi fuerit expressa, vel aliter constet de mente S. P., vel nisi subiecta materia eam requirat. Facultatem vero dispensandi super impedimento mixtae religionis concedi cum clausula : *Dispensare valeat intra fines suae dioecesis ;* eam proinde exerceri non posse nisi cum subditis actu existentibus intra fines propriae dioecesis, servatis caeteroquin iis quae traduntur in responsione ad 4um.

« Ad 2um et 3um : affirmative, nisi obstet tenor Apostolicae concessionis, impetrata tamen venia pro celebratione matrimonii ab Episcopo loci, ubi ipsum matrimonium contrahitur.

Ad 4um catholicos viros vel mulieres dispensari posse, justis accedentibus causis, super impedimento mixtae religionis ab Episcopo hanc facultatem habente, cujus sunt subditi ob domicilium vel quasi-domicilium in ejus dioecesi acquisitum, dummodo in eadem dioecesi actu existant quando dispensationem recipiunt : dispensationem vero ita obtentam executioni tradi posse, ubicumque mixta connubia contrahi permittuntur, nisi aliquid aliud obstet judicio Ordinarii loci, in quo contrahitur matrimonium ; secus pro dispensatione ad Apostolicam Sedem recurrendum esse».

421. « 5° Caeterum indultarius caveat, ne suo indulto utatur ultra praefixum tempus, aut determinatum numerum

Digitized by Google

casuum. Nam hoc indultum dari solet ad tempus determinatum e. g. ad quinquennium, vel pro determinato numero casuum, vel ad tempus determinatum et simul pro determinato numero casuum, vel ad tempus determinatum et simul pro determinato numero casuum in quolibet anno : dispensatio autem concessa elapso tempore, vel exhausto casuum numero foret irrita. Vicarius Apost. Pudicherien. quaesiverat, utrum obtenta jam facultate dispensandi decem tantum in casibus pro quolibet anno super impedimento secundi mixti cum primo consanguinitatis et affinitatis gradu, si forte in uno anno pro decem casibus dispensationi locus factus non fuerit, in subsequenti anno dispensare posset etiam in casibus, qui superfuerint. S. C. de Prop. Fide 7 *Jun.* 1853 reposuit negative « ex aperta concessionis declaratione, qua nonnisi decem in casibus in quolibet anno, ubi necesse fuerit, dispensandi tribuitur potestas, atque indultorum verba, prout sese exhibent, esse intelligenda. Hinc negative quoque respondendum dubio quarto loco proposito inferes, nimirum per facultatem dispensandi super impedimento secundi mixti cum primo haud tributum indultum dispensandi quoque, quando primus cum tertio mixtus deprehendatur ».

Indultarius etiam elapso tempore potest dispensare, si res non est amplius integra, idest si tempore indulti aliquo modo ea de re agere coepit, e. g. mandavit vocari illum cum quo dispensandum est, inquisivit de causa dispensationis, vel alium similem actum jurisdictionis exercuit (1). Quid si subdelegavit tantum? Si subdelegatus aliquid agere coepit, potest dispensationem elargiri, secus non potest nec subdelegatus nec subdelegans, quippe qui subdelegando nihil exequitur, sed potius alii opus exequendum committit (2).

Si autem quaeras a quanam die decurrere incipiat tempus in indulto praefixum, respondemus, nisi aliud dicatur in indulto, incipere a die receptionis. Revera ad dubium. « An initium quindennii, ad quod conceduntur facultates, desumendum sit a die *datae* illarum, an a die quo ipsae perve-

(1) Sanchez *VIII, XXVIII.* De Justis *I, VI, n.* 498. D'Annibale *I,* § 78, *not.* 62. Giovine *I,* § 93, *n.* 2.

(2) Sanchez *l. c.* De Justis *l. c., n.* 270. D'Annibale *l. c.* Feje *n.* 632-*d.*

Digitized by Google

niunt ad dioecesim et ad manus Episcopi, cui conceduntur ». S. C. de Prop. Fide 22 *Jan.* 1759 reposuit : « esse computandum a die receptionis, et non a die datae (1) ». Aliquando vero in ipso indulto dicitur tempus computandum esse a die datae, quod tamen non significat indultarium eodem indulto ante praesentationem et acceptationem uti posse (n. 414).

422. 6° Et insuper in genere indultarius dispensationem concedens sequatur omnes illas regulas, quas Romana curia servat. Id tradit Ben. XIV (n. 317), et S. C. de Prop. Fide (n. 361), et S. Poenitentiaria expresse declaravit die 1 *Junii* 1858. Nam cum Officialis dioecesis N. duo dubia proposuisset « 1° An Episcopus quando vi specialis cujusdam indulti Apostolici in aliquo impedimento matrimonium dirimente dispensat, necessario et ad valorem dispensationis sequi debeat easdem illas regulas, quas in curia Romana observant, ubi ipse summus Pontifex in eodem impedimento iisdemque impedimenti gradibus dispensat. 2° An copula incestuosa ..... est exprimenda..... Si affirmativa detur ad utrumque dubium responsio, supplicat humillime praefatus Officialis Beatissimo Patri, ut omnia matrimonia, quae ob duplicem illum defectum in supradicta dioecesi invalide forent contracta, plenitudine suae Apostolicae potestatis in radice sanare dignetur ». S. Poenitentiaria ad utrumque propositum dubium reposuit affirmative ; et insuper de speciali et expressa Apostolica auctoritate concessit eidem Officiali potestatem in radice sanandi et consolidandi matrimonia, quae vigore dispensationis sic, ut praefertur, impertitae nulliter contracta fuerant, prolesque sive susceptas sive suscipiendas legitimas decernendi et renuntiandi, jubens praesentes literas cum attestatione impertitae executionis in cancellaria episcopali caute ac diligenter pro quocumque eventu futuro custodiri.

423. Hinc *a*) delegatus nequit dispensare nisi propter causam canonicam, quae in praxi S. Sedis motiva est, et habere debet tamquam impulsivam tantum vel prorsus inefficacem

(1) Apud Zitelli *De disp. mat. pag.* 48, *in nota.*

Digitized by Google

eam causam, quae talis est in praxi Romanae curiae, secus non solum illicite sed et invalide dispensat. *b*) Preces verbales et melius scriptae vernacula aut latina lingua exhibeantur a confessario partis pro foro interno, a parocho praesertim oratricis pro externo, et omnia exprimantur, quae n. 353 sequ. exposita sunt. *c*) Dispensatio dari debet in scriptis: hinc S. C. de prop. Fide 12 *Jan.* 1869 rescribendum jussit Vicariis Apostolicis Indiarum « 2° Dispensationes (matrimoniales) in scriptis concedentur, facta expressa mentione indulti Pontificii ». At oretenus concessa valet, nisi in inculto habeatur clausula irritans qualis non est haec: *Tenor hujusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis, ad quod fuerint concessae.* Ad rem S. C. de Prop. Fide 24 *Apr.* 1861 ad Archiep. Dublinensem: « Il terzo dubbio risguarda il *n.* 7 *della formola VI* dove si dice *tenor hujusmodi* etc., dalle quali expressioni ella è stata condotta a credere, che la dispensa debba darsi in iscritto, mentre altri opinano in questo diversamente. Ora su cio posso dirle che in realtà il S. Officio, e questa S. C. hanno più volte dichiarato esser mente della S. Sede che, quando non vi siano veri ostacoli, debba osservarsi la detta clausula nel senso inteso dalla Signoria vostra. Ove pero per qualunque causa non si dia la dispensa in iscritto, ma *oretenus*, si trova dichiarato, che cio non la rende invalida, giacchè nella formola non si contiene alcuna clausula irritante » (1). *d*) In hoc autem scripto dispensationis decreto exprimi debent clausulae, quas indultum exprimendas praecipit, etsi earum omissio validitati dispensationis non noceat, nisi indultum clausulam irritantem contineat. Ita e. g. in indulto aliquando legitur: « hae vero dispensationes matrimoniales... non concedantur nisi cum clausula: *Dummodo mulier rapta non sit, vel*

(1) « *Latine*: Dubium tertium respicit *n.* 7 *formulae IV*, ubi dicitur: *Tenor hujusmodi* etc. Quibus verbis tu putavisti dispensationem esse in scriptis concedendam, dum alii aliud sentiunt. Jam vero hac in re respondere possum, quod S. C. S. Officii, et haec S. C. saepius edixerunt mentem S. Sedis esse, ut praedicta clausula juxta sententiam A. T. esse servandam, nisi vera obstacula adsint. At si quacumque demum de causa dispensatio detur non inscriptis sed oretenus, declaratum fuit id eamdem invalidam non reddere, cum in formula nulla clausula irritans contineatur ».

Digitized by Google

si rapta fuerit in potestate raptoris non existat, et in dispensationibus hujusmodi declaretur expresse illas concedi tamquam a Sedis Apostolicae delegato, ad quem effectum etiam tenor hujusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis ad quod fuerint concessae ; *alias nullae sint* « In hoc casu dispensatio, quae illa omnia non contineat, erit manifeste nulla. Aliquando vero illa ultima clausula irritans in indulto deest, et tunc dispensatio in qua fuerit aliquid praetermissum, est valida, et etiam licita, si illud ratione circumstantiarum servari non potuit. Sane quaesitum fuit « An dispensatio super impedimento matrimoniali ab Ordinario juxta consuetas facultates Apostolicas concessa, quamvis graviter illicita, tamen valida sit, quando data est *informis*, propterea quod tenor facultatis a S. Sede delegatae, vel tempus *ad quod* expressa non sint, vel quia telegraphice paucis verbis, vel oretenus tantum concessa sit. Dubium hoc oritur ex omissione clausulae *alias nullae sint* in facultatibus Ordinariis Americae nunc concessis, quae clausula olim in hujusmodi facultatibus expresse apposita fuerat ». S. C. S. Officii 19 *Junii* 1875 reposuit : « Affirmative, dummodo reapse mulier rapta non fuerit, vel si rapta, in potestate raptoris non existat. Clausulas vero servandas adamussim esse, quantum tamen rerum, temporum, locorumque adjuncta ferre possunt ». Pariter S. C. de Prop. Fide 22 *Nov.* 1860 quoad clausulas in *formula I, n.* 10 rescripsit Vicario Apost. Tunkini Centralis omissionem clausulae : « *Dummodo mulier rapta non fuerit* etc. concessionis validitati non officere ; nihilominus quantum rerum temporumque adiuncta ferre poterunt, praedictas clausulas omnino esse exprimendas ». Quod confirmavit etiam in literis 26 *Jan.* 1877 ad Episcopum Natchetensem. Exinde sine ulla cunctatione deduces validam esse, etsi illicitam, dispensationem, in qua contra indulti praeceptum expresse declaratum non sit illam concedi tamquam a Sedis Apostolicae delegato, nisi clausula irritans in indulto legatur (1).

424. Haec patiuntur exceptionem. Nam indultarius con-

(1) D'Annibale *III*, § 364, *not.* 28.

Digitized by Google

cedens dispensationem nequit aliquid exigere, non obstante contraria consuetudine, nisi simul haec facultas a S. Sede ei facta fuerit (1): quo in casu intra limites obtentae facultatis continere se debebit. Huc spectat inter plura documenta quae cumulari facile possent, instructio S. C. de Prop. Fide 4 *Julii* 1793 ad Archiep. Quebecensem *circa consuetudinem jam pridem invectam exigendi quamdam pecuniae taxam in elargiendis dispensationibus matrimonialibus.* Legitur enim « Probe nosti tales dispensationes gratis concedendas esse, quemadmodum jubent Conc. Trid. Patres *cap. V, sess. XXIV de ref. mat.* Quid enim turpius ac magis a sacris canonibus absonum, quam pacto pretio relaxare saluberrimam impedimentorum dirimentium disciplinam tam sancte ad nuptiarum honestatem ab Ecclesia constitutam? Quapropter cum hujus generis dispensationes inter eas, quae sunt gravioris momenti, recenseantur, et magis instet periculum, ne judex ab Apostolica Sede delegatus muneribus corrumpatur, hinc factum est, ut in aliquibus indultis, et in iis praesertim, in quibus dispensandi in proximioribus gradibus facultas ab eadem Apostolica Sede conceditur, ea conditio adjiciatur, ut dispensatio gratis concedatur, alias nulla sit. Illam igitur consuetudinem probare minime possumus, eamque ut penitus evellas, enixe volumus et rogamus. Neque enim excusari vel diuturno usu potest, neque confirmari eo quod rariores ita dispensationes fiant, cum multi illam taxam solvere aut non possint, aut recusent. Usu quippe nulla consuetudo invalescere potest, quae est contra legem saepius in Pontificiis literis repetitam, quod dispensationes impedimentorum gratis concedantur. Rariores autem dispensationes facere metu taxae solvendae indecorum est: sola enim animarum utilitas spectanda est in dispensando, praeterea nihil. Attamen cum pauperum inopiae, cui potissimum sublevandae ea erat invecta consuetudo, nec nos oblivisci oporteat, nec de-

(1) Hanc facultatem S. C. C. 3 *Julii* 1634 negavit Episcopis Hiberniae, S. C. de Prop. Fide 14 *Jan.* 1716 Archiepiscopo Armen. Naxivanen. Tandem eadem S. C. 12 *Jan.* 1869 pluribus Vicariis Apostolicis illam facultatem petentibus tantum permisit divites excitare ad praestandas eleemosynas, non per modum conditionis et praecepti, sed admonitionis.

Digitized by Google

ceat ; idcirco tibi ac successoribus tuis indultum a S. P. impetravimus, ut liceat in dispensationibus matrimonialibus aliquam pecuniam exigere, iis tamen legibus ac conditionibus, quas in eodem indulto hic allegato expressas perleges. Ita nec alendis pauperibus deeris, nec lucri cupidus videberis, nec abs te Apostolicae Sedis beneficium vendi insimulaberis ».

Hic referre quoque juvat causam *Cameracensem* propositam per *summaria precum* S. C. C. die 12 *Aug.* 1882. Cardinalis Regnier Archiepiscopus Cameracensis indultum a s. m. Pio IX obtinuerat exigendi sequentes taxas, ita ut, quod excederet necessarios cancellariae sumptus, esset in pia opera impendendum.

Pro literis ordinationum testimonialibus libell . .	1.50
Provisionibus canonicatuum	24 »
Parochiarum 1ae classis	24 »
— 2ae classis.	18 »
Succursalium quae tria incolarum excedunt millia.	12 »
Succursalium quae mille non habent incolas. . .	6 »
Pro literis vicariorum.	3 »
Dispensationibus super uno banno	3 »
Super tempore prohibito	3 »
Super impedimento cognationis, consanguinitatis et affinitatis tertio gradu aequali et infra.	6 »
Pro dispensationibus erectionis confraternitatis	3 »
Viae SS. Crucis.	3 »

Jam vero Archiepiscopus successor postulabat : « 1° Ut taxam pro dispensationibus super impedimento cognationis, consanguinitatis et affinitatis tertio gradu aequali et infra determinare possit juxta facultates oratorum ad instar curiae Romanae ; 2° Ut si quid, demptis necessariis cancellariae sumptibus, supersit, id non solum in pia opera, sed ad necessaria vitae erogare posset et valeat ». S. C. reposuit : « Attentis peculiaribus circumstantiis, pro facultate utendi enunciata taxa a s. m. Pio IX indulta, usque ad novas S. Sedis ordinationes, facto verbo cum Ssmo ».

425. 7° AA. passim affirmant indultum dispensandi ge-

Digitized by Google

nerale esse latae interpretationis, ita ut fieri valeat argumentum a majori ad minus, dum ipsa dispensatio est strictae interpretationis. At principium ita late positum: *Indultum est latae interpretationis*, est cum mica salis accipiendum ; nam privilegia in genere tantum valent quantum sonant, et praeterea contrarium docet aperte S. C. de Prop. Fide 7 *Jun.* 1853 in verbis relatis n. 421 ad Vicarium Apost. Pudicherien., et S. C. S. Officii 18 *Maii* 1869 (n. 428). Proinde limites indulti generalis determinandi sunt potius ex praxi et mente S. C., quae illud concedit, quam ex aliquo principio abstracto.

426. Hinc indultum generale extendi nequit ab uno impedimento ad aliud, licet minus grave, nec ab una ejusdem impedimenti specie ad aliam, nec ab una linea ad aliam, nec a matrimonio contracto ad contrahendum et viceversa (1). Huc spectat responsio S. C. S. Officii 4 *Julii* 1831. Vicario Apost. Tunkini Occidentalis quaerenti: « Se la facoltà di dispensare negli impedimenti di consanguinità ed affinità abbracci la facoltà di dispensare nell' impedimento di publica onestà proveniente da matrimonio rato e non consummato ; ovvero il missionario che gode la facoltà di dispensare nei due primi impedimenti, ha bisogno di nuova facoltà per dispensare nell'impedimento di publica onestà (2) »? S. C. reposuit negative quoad 1^{am} partem, affirmative quoad 2^{am}. Quod si admittas impedimentum publicae honestatis permanere, consummato matrimonio (n. 721), certum est indultum dispensandi super impedimento affinitatis ex copula licita, comprehendere etiam impedimentum publicae honestatis ex eodem matrimonio rato et relativis sponsalibus, et dispensationem in illo impedimento dispensationem in hoc altero secumferre.

427. Indultum generale dispensandi in gradu determi-

(1) Giovine *I*, § 102.

(2) *Latine:* « An facultas dispensandi in impedimento consanguinitatis et affinitatis complectatur etiam facultatem dispensandi in impedimento publicae honestatis ex matrimonio rato et non consummato, vel missionarius, qui gaudet facultate dispensandi in primis duobus impedimentis, nova facultate indigeat ad dispensandum in impedimento publicae honestatis ».

Digitized by Google

nato e. g. tertio, certe non extenditur ad gradum propinquiorem e. g. secundum. Communiter DD. admittunt istiusmodi indultum, utpote favorabile, et latae interpretationis, extendi ad remotiorem e. g. ad quartum ex *reg.* 53 *juris in* 6° « cui licet quod est plus, licet utique quod est minus ». Veremur, ne id verum sit; nam, ut supra diximus, privilegia in genere tantum valent, quantum sonant, et praeterea contrarium deducitur ex doctrina S. C. S. Officii relata in cit. n. 428, et ex responsione S. C. de Prop. Fide ad Vicarium Apost. Pudicherien. relata cit. n. 421. Pariter indultum generale pro aliquo gradu mixto cum alio (1) certe non comprehendit eumdem gradum mixtum cum propinquiori; communiter tradunt AA. comprehendere eumdem gradum mixtum cum remotiori. Rursus id falsum esse putamus; propter rationes mox allatas, et S. C. de Prop. Fide *l. c.* id aperte excludere videtur.

E contrario indultum generale absolute concessum dispensandi in aliquo gradu comprehendit etiam eumdem gradum multiplicem, licet in dispensatione super aliquo gradu certe non contineatur multiplicitas. Ad rem S. Poenitentiaria 20 *Apr.* 1883 : « Questa S. Penitenzieria al quesito fatto piu volte, se l'Ordinario munito della facoltà Apostolica di dispensare puta in secondo grado di consanguinità, possa dispensare anche quando detto grado è molteplice, cioè proveniente da due o piu stipiti, ha risposto sempre affermativamente (2) ». Hinc S. C. S. Officii die 19 *Junii* 1861 declaravit : « Episcopos, qui facultatibus gaudent *formulae VI*, atque ideo facultate dispensandi in tertio et quarto simplici et mixto tantum in contrahendis, posse dispensare in tertio et tertio, in quarto et quarto, nec non in tertio mixto cum quarto, *sive gradus ab uno*, *sive a duplici stipite proveniant* ». Et propositis dubiis : « 1° An in multiplici consanguinitate seu cum consanguineis, qui ex

(1) Quotuplici sensu gradus dicatur *mixtus* vide n. 672.

(2) *Latine* : « Haec S. Poenitentiaria quaestioni saepius propositae, an Ordinarius qui Apostolica gaudet facultate dispensandi puta in secundo gradu consanguinitatis, possit dispensare etiam quando praedictus gradus est multiplex, idest proveniens a duobus vel pluribus stipitibus, reposuit semper affirmative.

Digitized by Google

multiplici stipite invicem conjuncti sunt, Ordinarius dispensare possit juxta facultates a S. Sede impetratas tenoris sequentis : *Dispensandi in tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis gradu simplici et mixto tantum, et in secundo, tertio et quarto mixtis, non tamen in secundo solo quoad futura matrimonia ; atque dispensandi in utroque foro pro catholicis ejus jurisdictioni subjectis in matrimoniis sive contractis sive contrahendis super impedimento secundi gradus consanguinitatis vel affinitatis in linea transversali aequali pro* 100 *casibus* ? 2° An in multiplici affinitate dispensare possit ». Eadem S. C. die 19 *Junii* 1875 reposuit : « Ad 1um et 2um affirmative, scilicet Episcopos, qui facultate gaudent quinquennali dispensandi in tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis gradu simplici et mixto tantum, et in secundo, tertio et quarto, non tamen in secundo solo, quoad futura matrimonia, posse dispensare in tertio et tertio, in quarto et quarto, in tertio mixto cum quarto, nec non in tertio et quarto cum secundo mixtis, *sive gradus oriatur ex uno, sive ex multiplici stipite* ».

Si vero indultum multiplicitatis limites ponat, ultra eos facultas deest. Huc spectat responsio S. C. C. *diei* 26 *Apr.* 1873. Cum enim Episcopi Siciliae recepissent eam facultatem, de qua n. 417, quaesiverunt. « 1° An Siciliae Episcopi dispensare valeant in tertio vel quarto consanguinitatis aut affinitatis gradu triplici, idest ex triplici stipite proficiscente in casu? 2° An iidem Ordinarii dispensare valeant, quando consanguinitas vel affinitas reperiatur in tertio vel quarto gradu duplici, et simul concurrat alius gradus mixtus ex tertio et quarto idest a tertio alio stipite proveniens in casu ?..... » Et S. C. reposuit negative ad omnia.

428. Indultum dispensandi in pluribus impedimentis non comprehendit eadem impedimenta simul unita, nisi indultum hoc etiam expresse caveat. Ad rem S. C. S. Officii 18 *Maii* 1869 : « Ritiensi per massima incontestabile che l'uso di più facoltà non puo cumularsi nello stesso caso per la regola generale, che vieta in materia di dispensa l'accumulamento, e percio (d'altronde) le dette facoltà sono di stretto diritto, come le dispense stesse, e quindi debbono

Digitized by Google

strettamente interpretarsi, nè extendersi al di la di quel che suonano, cioè dell' espressa vôlontà del concedente. Laonde non facendosi nelle varie facoltà di dispensa pei varii gradi parola alcuna che accenni a cumulativa, ne deriva che chi è di quelle munito, non puo farne uso simultaneamente nello stesso caso » (1).

Hinc cum quaesitum fuisset : « 1° *Formula I, n.* 6 facultatem tribuit dispensandi in quibusdam consanguinitatis et affinitatis gradibus. Dubitatur num particula *et* copulative an disjunctive intelligenda sit ». S. C. S. Officii 2 *Julii* 1884 reposuit : « Ad 1um verba formulae ita accipienda esse, ut facultas concessa intelligatur dispensandi tam ab impedimento consanguinitatis, quam ab impedimento affinitatis sejunctim tamen, non vero quando utrumque impedimentum in uno eodemque casu concurrit ». In eodem sensu reposuit S. Poenitentiaria 18 *Jan.* 1883. Nam Episcopus N. indultum diei 15 *Nov.* receperat *dispensandi in matrimoniis contrahendis super tertio et quarto simplici vel mixto consanguinitatis vel affinitatis gradu, modo secundum nullimode attingat.* Vi hujus indulti putavit sibi competere facultatem dispensandi in matrimoniis contrahendis super impedimento sive consanguinitatis sive affinitatis in tertio et in quarto gradu non solum unico, sed et duplici, triplici et amplius, ac etiam in consanguinitate et affinitate simul junctis. Sed deinde dubitans proposuit S. Poenitentiariae sequentia dubia : « 1° An vi indulti 15 *Nov.* possit Episcopus dispensare in consanguinitate vel affinitate in gradibus ibidem determinatis, etiam quando idem gradus multiplicantur ; 2° An in consanguinitate et affinitate simul junctis ; 3° Quatenus negative petit sanationem quoad praeteritum, et facultatem quoad futurum ». S. Poenitentiaria

(1) *Latine* : « Habetur tamquam regula certissima, quod usus plurium facultatum nequit in eodem casu cumulari ob principium generale quod prohibet in materia dispensationis cumulationem : hinc (aliunde) praedictae facultates sunt stricti juris, sicut ipsae dispensationes, et ideo sunt stricte interpretandae, neque extendi valent ultra id, quod sonant idest ultra explicitam voluntatem concedentis. Proinde cum facultates dispensandi in diversis gradibus nullum contineant verbum, quod permittat cumulationem, sequitur delegatum non posse eisdem simultanee uti in eodem casu.

Digitized by Google

respondit : « Ad 1um affirmative. Ad 2um providebitur in sequentibus. Ad 3um eadem S. Poenitentiaria de speciali et expressa Apostolica auctoritate omnia et singula matrimonia, quae huc usque ob comulatam facultatem dispensandi simul super consanguinitate et affinitate nulliter contracta sunt, in radice sanat, et convalidat, prolesque sive susceptas sive suscipiendas exinde legitimas decernit, ac respective declarat. Praesentes autem literae in cancellaria episcopali diligenter custodiantur, ut pro quocumque futuro eventu de matrimoniorum validitate, et prolium legitimitate constare possit. Ad futurum vero quod attinet, eidem Episcopo facultas tribuitur, ut ipse sive per se sive per suum Vicarium Generalem dispensare valeat super consanguinitate et affinitate simul junctis in gradibus determinatis in articulo secundo indulti 15 *Nov.* pro decem casibus dumtaxat ».

Hinc etiam Episcopus, qui facultatem habet dispensandi in impedimento consanguinitatis et affinitatis, et in impedimento mixtae religionis, in neutro dispensare potest absque indulto speciali, quando simul concurrunt. Posito dubio : « Se i Vescovi ed i Vicarii Apostolici nei regni Britannici possano in virtù delle facoltà ordinarie e straordinarie loro accordate dalla S. Sede dispensare negli impedimenti di consanguinità e di affinità coi loro diocesani o sudditi, quando una parte dei contraenti sia cattolica, l'altra acattolica » (1). S. C. de Prop. Fide 24 *Nov.* 1802 reposuit negative « nisi pars acatholica prius vere et de facto haeresim vel schisma abjuret ».

Imo suppone oratorem ligari duplici impedimento, et ab altero Episcopum dispensare posse, alterum vero esse R. P. reservatum ; suppone Sedem Apostolicam in impedimento reservato dispensavisse, et deinde notum fieri impedimentum non reservatum. Episcopus vi indulti nequit ab hoc dispensare, sed rursus petenda est dispensatio in impedimento reservato seu revalidatio concessae dispensationis, exprimendo

(1) *Latine* : « An Episcopi vel Vicarii Apost. in Britanniae regnis possint vi facultatum ordinariarum vel extraordinariarum ipsis a Sede Apostolica concessarum dispensare in impedimentis consanguinitatis et affinitatis cum suis dioecesanis seu subditis, cum una contrahentium pars est catholica, et alia acatholica ? »

Digitized by Google

in instantia circumstantiam de utriusque impedimenti concursu. Sane haec dispensatio fuit nulla, cum pro validitate dispensationis necesse sit omnia impedimenta in eodem libello exprimere (n. 358).

429. Indultum generale dispensandi in aliquo impedimento implicat potestatem legitimandi prolem jam natam, excepta adulterina ; non autem mandatum ad dispensandum in casu particulari. Haec tradit S. Poenitentiaria 1 *Julii* 1859: « Quoad indulta, quibus a S. Sede per S. Poenitentiariam conceditur Ordinariis facultas dispensandi in quibusdam impedimentis matrimonii, mentem S. Poenitentiariae in concedendis his facultatibus fuisse et esse, dispensationem ab impedimentis matrimonialibus importare etiam legitimationem prolis susceptae, excepta adulterina. Quoad vero rescripta dispensationum, quae in casibus particularibus sive a Dataria Apostolica sive a S. Poenitentiaria conceduntur, facultatem legitimandi prolem jam susceptam non comprehendi, nisi expresse apposita fuerit in iisdem rescriptis ; atque in hoc casu petendam esse novam facultatem ad hoc ut executor prolem jam susceptam legitimam decernere valeat » (1). Pariter indultum generale dispensandi secumfert potestatem absolvendi a censuris ad effectum dispensationis consequendum.

430. Indultum generale pro foro interno non extenditur ad forum externum. Unde delegatus pro foro interno dispensare nequit in eodem impedimento, si publicum est ; imo si post concessam dispensationem in impedimento occulto, hoc publicum evadat, matrimonium quidem revera valet, sed dispensatio pro foro externo est obtinenda (n. 322). Indultum autem absolute datum comprehendit utrumque forum.

431. 8° Tandem indultum praeterquam per lapsum temporis, aut praefixi numeri casuum, de quo supra, cessare potest pluribus modis. *a*) Morte Pontificis si datum foret cum clausula : *Ad beneplacitum nostrum*, quae tamen inseri non solet. Extra hunc casum non cessat morte Pontificis,

(1) Caillaud *n.* 337.

Digitized by Google

cum gratia sit facta, nec per *regulam* 14 *Cancel. Apost.* initio novi pontificatus, nec morte Majoris Poenitentiarii, aliave ejus officii cessatione (1). *b*) Revocatione facta auctoritate R. P. et indultario intimata (2), quae revocatio etiam sine causa est valida et licita. At indultarius etiam post eidem intimatam revocationem posset dispensationem expedire, si res non est amplius integra, nisi aliud in revocationis decreto statuatur. *c*) Morte indultarii, si datum fuit *Titio Episcopo dioecesis N.* (3). Hinc Vicarius Capitularis, et Episcopus successor debent indultum rursus obtinere, ut eodem uti possint. Indultum vero datum *Episcopo Dioecesis N.*, mortuo indultario, transit non quidem ad Vicarium Capitularem, sed ad Episcopum successorem. Tandem indultum datum *Ordinario dioecesis N.*, mortuo indultario, transit sive ad Vicarium Capitularem, sive ad Episcopum successorem, ejusque Vicarium Generalem. Haec eadem repetas, si indultarius aliam ob causam officium suum deserit (4). Quod si indultarius ante mortem, vel antequam ab officio recederet, potestatem dispensandi alicui subdelegavit, hic, re non amplius integra, bene potest dispensationem elargiri, non autem re integra. *d*) Demum renuntiatione ipsius indulti facta Pontifici acceptanti ex *cap.* 7, *De procurat. in* 6° ; sed hic casus vix practicus est. Haec de impedimentis matrimonialibus in genere satis sint.

(1) Riganti *in reg.* 14. *Cancell. Apost. n.* 49. Feje *n.* 632 *in fine*.
(2) Exemplum praebet Ben. XIV in Const. *Nimiam licentiam* 18 *Maii* 1743, qua adimit Poloniae Nuntio facultatem dispensandi in trina matrimonii denuntiatione et in forma Tridentina.
(3) Giovine *I*, § 94, *n.* 2. Sanchez *VIII, XXVII, n.* 6 cum communi.
(4) Schmalz. *IV, XVI, n.* 220. Reiff. *IV, App. n.* 298. Giovine *I*, § 94, 95.

Digitized by Google

SECTIO II

DE IMPEDIMENTIS IN SPECIE.

Articulus I.

De impedimentis impedientibus in specie.

432. Jure veteri et novo Decretalium plura aderant impedimenta impedientia, quae, omnibus fatentibus, ab aula recesserunt usu contrario aut positiva lege. Impedimenta haec obsoleta erant sequentia.

1° *Catechismi.* Qui enim respondebat pro infante quando supplebantur caeremoniae post baptismum in necessitate collatum, contrahebat cognationem quamdam spiritualem sicut patrinus baptismi in eisdem gradibus, et cum eisdem personis, quae tamen nuptias impediebat tantum ex *cap.* 5. *De cognatione spirituali*, et clarius *cap.* 2 *ejusd. tit. in* 6°, ubi Bonif. VIII *cit. cap.* 5 interpretatur. Quoniam vero illae caeremoniae continent fidei Christianae instructionem et professionem, hinc hoc impedimentum impediens dictum fuit *catechismi.* Illud sublatum esse a Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. II de ref. mat.* modo fatentur omnes, et declaravit etiam S. C. C. apud Gonzalez in *cit. cap.* 5. *De cognat. spirit.* (1).

2° *Criminis.* Statutum enim erat, ut nonnulla graviora delicta praeter alias poenas secumferrent impedimentum impediens matrimonium cum quacumque muliere. Talia delicta erant : *a*) incestus, de quo vide n. 683; *b*) raptus sponsae alienae ex *can.* 34, *c.* 27, *q.* 2; *c*) uxoricidium injuste et privata auctoritate perpetratum ex *can.* 5, *dist.* 32, *q.* 2; *d*) occisio presbyteri ex *cap.* 2. *De poenit. et pecc. remiss.*; *e*) matrimonium attentatum cum moniali ex *can.* 13, *c.* 27, *q.* 1, et *cap.* 6. *De poenit. et pecc. remiss.*; *f*)

(1) Lege folium S. C. C. in *Ventimiliensi cognationis spiritualis*, 8 *Julii* 1782.

Digitized by Google

malitiosa susceptio propriae prolis, aut baptismi malitiosa collatio, nempe ad impediendam debiti redditionem ex *can.* 5, *c.* 30, *q.* 1 ; *g*) interfectio propriae prolis ex *cap.* 1. *De iis qui filios occiderunt.* Convenitur inter DD. impedimentum ex his criminibus ortum contraria consuetudine disparuisse.

3° *Publicae poenitentiae.* Antiquitus enim publice poenitentes non poterant tempore hujus satisfactionis licite nuptias inire. Publicam poenitentiam non amplius in usu esse in Ecclesia nemo ignorat (1).

433. Praetermissis hisce obsoletis impedimentis impedientibus, AA. ea quae adhuc vigent, solent passim his versiculis restringere.

Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum.

Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

At vero poetae clausis oculis fidendum non est. Ipse enim, fortasse ut metro consuleret, et nonnulla recensuit, quae non sunt impedimenta impedientia matrimonium, si proprie loqui velimus, scilicet *Ecclesiae vetitum* (n. 272) et *tempus feriatum* (n. 926 sequ.), illud quidem quia non ex lege (n. 247), sed ex praecepto arcet a nuptiis (2), hoc autem quia eo vetantur solemnitates nuptiarum, sed per se non vetantur nuptiae (n. 928 sequ.) ; et alia omisit, quae sunt vera ac proprie dicta impedimenta impedientia, idest impedimentum *mixtae religionis*, et impedimentum *indignitatis ratione peccati*, vel *censurae*, vel *ignorantiae catechismi*. Proinde nostro judicio impedimenta impedientia quae hodie urgent, sunt : *sponsalia*, *votum*, *mixta religio*, *indignitas ratione peccati*, *censurae*, *ignorantiae catechismi*. Omissio solemnitatum idest sive publicationum, sive formae lithurgicae huc non spectat juxta ordinem n. 248 statutum. Cum vero de sponsalibus actum sit *cap. I*, modo alia tria exponenda sunt. In scholio sermo erit de consensu parentum in matrimonium filiorum.

(1) De his obsoletis impedimentis vide Clericatum *Dec. XXXVII, n.* 14 *sequ.* Feje *n.* 548. Gury-Ballerini *II, n.* 776.

(2) D'Annibale *III*, § 297.

Digitized by Google

§ 1. — *De impedimento voti.*

434. Votum in genere est promissio deliberata Deo facta de bono meliori et possibili. Per se votum matrimonio oppositum illud non irritat, sed impedit tantum : quia per promissionem alicujus rei alteri factam quis non amittit dominium in rem ipsam, et ideo post votum homo adhuc dominus est corporis sui, et ita illicite quidem, sed valide potest illud dare alteri, scilicet uxori, in qua datione consistit matrimonii sacramentum, quod indissolubile est (1). At sine dubio Ecclesia statuere potest, ut votum aliquod nuptias dirimat; et tunc illud votum jam erit impedimentum non modo impediens, sed etiam dirimens, quod mox melius determinamus.

435. Vota quae matrimonio opponuntur ad sequentia reduci possunt: 1° votum non nubendi seu caelibatus, 2° votum virginitatis, 3° votum (perpetuae) castitatis, 4° votum suscipiendorum Sacrorum Ordinum, 5° votum ingrediendae Religionis (2). De singulis breviter.

436. 1° Votum *caelibatus* pro objecto habet *non contrahere matrimonium*. Proinde si vovens non contrahit matrimonium, sed peccat contra castitatem, non peccat contra votum, ideoque unum tantum peccatum est. E contrario si ipse contrahit matrimonium, directe peccat graviter contra votum (3), sed matrimonium valet, quia votum lege Ecclesiae dirimens factum non est; et insuper ipse non prohibetur ratione voti, quominus matrimonio utatur petens et reddens debitum, siquidem hoc non est voti objectum (4). Soluto conjugio, objectum voti rursus possibile est, ideoque votum rursus, ut videtur, urget, impediens secundas nuptias (5). Tandem hoc votum numquam est reservatum.

(1) S. Thomas 4 *dist.* 38, *q.* 1, *a.* 2, *q.* 2 qui hanc pulchram ratiocinationem applicat tantum voto simplici, putans solemne continere translationem dominii : vide *art. sequ.* § 4, *n.* 567.
(2) Lehmkuhl *II*, *n.* 719.
(3) Lehmkuhl *l. c.* Marc *n.* 1991. Scavini *n.* 827.
(4) Feje *n.* 562. Giovine *I*, § 151, *n.* 3. Sanchez *IX*, *XXXIII*, *n.* 22. Schmalz. *IV*, *VI*, *n.* 114. Lehmkuhl *II*, *n.* 720. Marc *n.* 1992.
(5) Giovine *l. c.*

Digitized by Google

437. 2° Votum *virginitatis* (1) pro objecto prohibito habet illud *primum opus carnale consummatum*, quo virginitas amittitur, idest si agitur de viro, voluntariam seminis effusionem sive per copulam, sive per pollutionem, si agitur de muliere, copulam, aut innaturalem corporis integritatis laesionem culpabiliter factam. Proinde si vovens modis praedictis amittit virginitatem, peccat directe contra votum, et si modus, quo amittit virginitatem, est de se illicitus, duplex grave peccatum committit contra votum et contra castitatem ; si autem alio modo peccat contra castitatem e. g. cogitatione, tactibus, osculis...., non peccat contra votum, nisi in quantum periculo sese exponit ulterius procedendi, et ita laedendi votum. Contrahens matrimonium sine dispensatione a voto, valide quidem contrahit, quia Ecclesia hoc votum numquam fecit dirimens, sed tamen, si adhuc est virgo, graviter peccat contra votum, tum quia habet voluntatem consummando matrimonium votum formaliter violandi, tum quia votum servare sibi *jure impossibile* reddit, cum, altero conjuge postulante, debitum reddere teneatur. Sed non modo validum sed etiam licitum foret matrimonium in triplici casu : *a*) si vovens firmum habet propositum non consummandi matrimonium, et infra legitimum tempus Religionem profitendi : at in hoc casu nisi alteram partem de hoc suo animo certiorem faciat, plerumque eam decipiendo graviter peccaret ; *b*) si ipse firmum habet propositum non petendi, et simul divina revelatione cognoscit nec alteram partem petituram esse ; *c*) et multo magis si ad servandam in conjugio virginitatem utraque pars ex pacto se devinxit : in quo ultimo casu juxta nonnullos ipsa matrimonii validitas nutaret (n. 858). Matrimonio semel inito, vovens prima vice petere non potest, quia directe contra votum ageret ; sed post amissam virginitatem petere utique potest, quia voti objectum ita evasit impossibile, ut non amplius in rerum natura existat. Attamen reddere debet, licet exinde amittat virginitatem Deo promissam ; nam alteri parti jus habenti obligatur, et ita non reddere est ipsi moraliter impossibile, utpote illicitum.

(1) De hoc AA. passim silent, quia potius votum castitatis quam *formale* virginitatis a virgine emitti solet.

Digitized by Google

Nec obligari potest ratione voti ad Religionem cum votis solemnibus ante consummationem matrimonii ingrediendam et profitendam, quia id plus est quam quod voto promisit. In primo autem bimestri vovens, si cogitat de Religione amplectenda, certe potest non reddere, et ideo, ut putamus, debet, urgente voto : si nolit Religionem amplecti, potest et debet reddere, cum obligatio reddendi suspensa verius non sit (n. 962). Soluto matrimonio, si amplius virgo non est, aliud inire libere potest ; secus votum rursus urget. Neque hoc votum est unquam reservatum.

438. 3° Votum *castitatis* perpetuae pro objecto habet abstinentiam ab omni delectatione venerea sive externa sive interna, sive licita sive illicita. Proinde si vovens peccat contra castitatem etiam actu mere interno, duplex peccatum grave perpetrat, et contra castitatem et contra votum. Contrahens matrimonium aliquando invalide quoque contrahit, quia Ecclesia sua lege illud votum irritans reddidit : quandonam id verificetur exponimus *art. sequ.* § 4. Praeter hos casus valide quidem contrahit, sed illicite, non quidem quia praecise per ipsum contractum conjugalem directe agit contra votum, sed quia habet voluntatem consummando matrimonium violandi votum, et se ponit in morali impossibilitate servandi votum, nisi forte in triplici illa hypothesi potius theoretica quam practica, de qua n. praec. Ita expresse in *cap.* 6. *Qui clerici vel voventes.* Inito matrimonio, vovens numquam petere potest, quia semper directe ageret contra votum (1), sed potest et debet reddere, quoties aliunde obligatione conjugali tenetur ; ante consummationem potest utique tempore a jure concesso ad Religionem transire, sed ad id, ut supra dictum est, ex voto non adstringitur. Ad rem S. Thomas *l. c. ad.* 4um « Quantum ad ea quibus non est factus impotens votum continentiae servare, adhuc post contractum matrimonium obligatur ad servandum. Propter quod mortua uxore, tenetur totaliter continere. Et quia ex matrimonii vinculo non obligatur ad debitum petendum, ideo non potest petere debitum sine peccato, quamvis possit sine pec-

(1) Schmalz. *IV, VI, n.* 116. Sanchez *IX, XXXIII, n.* 5. Reiff. *IV, VI, n.* 25. Feje *n.* 559. Lehmkuhl *II, n.* 721 ex *cap.* 3. *De convers. conjug.*

Digitized by Google

cato reddere debitum exigenti, postquam obligatus est ad hoc per carnalem copulam praecedentem. Hoc autem intelligendum est, sive mulier petat expresse sive interpretative, ut quando mulier verecunda est, et vir sentit ejus voluntatem de redditione debiti, tunc enim sine peccato reddere potest, et praecipue si ei timeat de periculo castitatis... Quidam autem dicunt quod potest et petere et reddere, ne nimis onerosum reddatur matrimonium uxori semper exigenti. Sed si recte inspiciatur, hoc est exigere interpretative ». Diximus voventem posse et debere reddere, *quando aliunde obligatione conjugali tenetur*. Hinc si cogitat de Religione amplectenda, nec debet nec potest reddere mensibus a jure concessis (1), et reddens peccat contra votum ; sed quoniam eo ipso concessio juris cessat, deinde post primam redditionem peccaminosam reddere utique potest. Id significat S. Thomas, quando relatis verbis dixit voventem reddere posse *postquam obligatus est ad hoc per carnalem copulam praecedentem*. Quando autem altera pars quoque privatur jure petendi, quia vel incestum aut adulterium commisit, vel et ipsa voto castitatis se adstrinxit, tunc in eo qui jam voto tenebatur, cessat omnino obligatio reddendi, et ita utraque pars neque petere vicissim, neque reddere potest. Caeterum expedit quam primum dispensationem a voto ad petendum quaerere, ne periculum sit continuum contra votum peccandi. Mortua autem comparte vovens nequit ad alias nuptias convolare. Quae de voto castitatis perpetuae dicta sunt facile applicantur ad votum castitatis temporaneum, si vovens, perdurante voto, matrimonium inierit. Votum perpetuae castitatis recensetur, uti notum est, inter reservata, si omnia ea concurrunt, quae pro voti reservatione necessaria sunt.

439. Aliquando dubium esse potest, an vovens voverit votum non nubendi, vel virginitatis, vel castitatis ; et ab ipsis voventibus aliquando haec vota confunduntur, neque raro accidit, ut dicentes virginitatem, intelligant perfectam castitatem. Jam vero si constet de objecto, quod vovens intendit,

(1) Lehmkuhl *II*, *n.* 721. Marc *n.* 1991. Schmalz *IV*, *VI*, *n.* 116 in fine contra Feje *n.* 559. Ex *cap.* 14. *De convers. conjug.*, quod doctus auctor citat, nil deduci potest pro illius sententia.

Digitized by Google

omnis dubitatio statim cessare debet juxta ea quae huc usque diximus, et parum refert, quo nomine vovens appellet votum suum. Praeterea hoc ipsum objectum voti aliquando desumere potes ex motivo vovendi ; e. g. si vovens ex voluntate declinandi *onera matrimonialia* vovit, caelibatum, nisi aliud constet ; si ex desiderio specialem aureolam virginum sibi comparandi vel ex amore eximiae pulchritudinis castitatis perfectae *numquam laesae*, virginitatem presse sumptam ; si ex amore ipsius virtutis puritatis, formaliter castitatem vovisse praesumendus est (1). Tandem etiam voventis qualitas lucem in hac inquisitione afferre potest ; nam si virginitatem jam amisit, patet castitatem vovisse. Votum virginitatis et castitatis practice semper includunt votum non nubendi ; votum castitatis in virgine includere votum virginitatis palam est.

440. 4° Votum *suscipiendi Ordines Sacros* matrimonium deinde contractum non reddit invalidum, bene vero illicitum ; quia vir se ponit in impossibilitate servandi votum, nisi forte nuptias iniens propositum habeat ante consummationem ingrediendi et profitendi religionem (sed hoc in casu mulierem decipiens peccat), aut certo sciat mulierem hoc firmum habere propositum. Inito matrimonio, ipse potest petere (2), nisi spes fundata sit uxorem velle fieri religiosam, et a fortiori reddere potest. At tenetur voto Ordines suscipiendi, si uxor aut consensum praebeat, aliasque conditiones jure requisitas ponat, aut in perpetuum amiserit jus petendi per votum castitatis vel incestum vel adulterium, aut moriatur. Excipe, si propter filios generatos educandos aut alias obligationes matrimonio exortas susceptio Sacrorum Ordinum sit impossibilis, aut ipse minus aptus evaserit (3). Hoc votum numquam est reservatum.

441. 5° Tandem votum *ingrediendi Religionem* cum votis solemnibus rursus matrimonium reddit illicitum cum limitatione n. praec. posita, non autem irritum. Inito matrimonio, vovens infra bimestre non potest nec petere

(1) Lehmkuhl *II*, *n.* 719. Zitelli *De disp. matr. cap. V, in fine in nota.*
(2) Giovine *I*, § 151, *n.* 3. Feje *n.* 561. Lehmkuhl *II*, *n.* 722.
(3) Lehmkuhl *l. c.*

Digitized by Google

nec reddere, sed debet votum implere (1) : sed post matrimonii consummationem licet peccaminosam potest et petere et reddere, quia ex una parte implere votum est impossibile, et ex alia ipse castitatem non vovit. At si postea implementum voti evaserit possibile, ad illud tenetur : nempe si compars aut consensum praebet cum aliis conditionibus a jure requisitis ut vovens ingrediatur religionem ; aut jus petendi in perpetuum amisit adulterio, incestu, voto castitatis, aut moritur, nisi forte ratione novarum circumstantiarum votum cessaverit. Hoc votum est unum ex reservatis, si omnia verificentur. Diximus *Religionem cum votis solemnibus* : nam si votum respicit Congregationem Religiosam cum votis simplicibus non est reservatum ; insuper vovens statim potest petere et reddere, sed votum urget, si circumstantiae superveniant, quas indicavimus (2).

§ 2a — *De impedimento mixtae religionis* (3).

442. Disparitas cultus inter conjuges potest esse vel *perfecta*, vel *imperfecta*. Illa est inter partem baptizatam, et partem non baptizatam : haec est inter partem catholicam et partem acatholicam seu haereticam, seu schismaticam, sed tamen baptizatam. Illa stricto sensu dicitur *disparitas cultus*, haec proprio nomine appellatur *mixta religio*. De illa, quae secumfert impedimentum dirimens matrimonium in *art. sequ.* § 6 ; de hac, quae importat impedimentum tantum impediens modo agendum est.

443. Et in primis matrimonium *mixtum* est validum. In antiquis canonibus Ecclesia iisdem verbis eodemque contextu fidelibus matrimonium prohibuit cum haereticis ac

(1) Feje *n.* 560. Lehmkuhl *II, n.* 723. Schmalz. *IV, VI, n.* 118. Giovine *I,* § 151, *n.* 2. Sanchez *IX, XXXIV, n.* 14.

(2) Marc *l. c.* 4°. Nos de voto agimus in alio tractatu ubi fuse de cessatione voti tum per irritationem, tum per dispensationem aut commutationem, tum ipso jure, et nominatim quoad votum castitatis.

(3) Vide praeclarum opus De Roskovany *De matrimoniis mixtis inter catholicos et protestantes*, ex quo plura documenta desumpsimus. His accedunt posteriora, inter quae numeris omnibus absoluta instructio super matrimoniis mixtis a S. C. Inquis. data ad Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos rituum Orientatium 12 *Dec.* 1888.

Digitized by Google

cum infidelibus (1) : unde sequi videretur illud quoque nullum esse. At in primis certum non est, tempore illorum canonum cultus disparitatem fuisse impedimentum dirimens (n. 607). Insuper quidquid sit de jure antiquo, hodie dubio procul matrimonium mixtum validum est. At est graviter illicitum tum jure divino naturali praesertim ob magnum perversionis periculum partis catholicae ac filiorum (2), tum jure ecclesiastico usque a primis temporibus (3). Concilium Generale Chalcedonense *can.* 14 inter alia haec habet. « Sed neque copulari debet nuptura haeretico, aut Judaeo, vel pagano, nisi forte persona ortodoxae copulanda promittat se ad ortodoxam fidem transferre ». RR. PP. hanc sacrorum canonum regulam constanter confirmaverunt et inculcaverunt (4) usque ad Leonem XIII qui in Const. *Arcanum* haec habet : « Animos de disciplina religionis dissidentes vix sperari potest futuros esse quoad caetera concordes. Quin imo ab hujusmodi conjugiis ex eo maxime perspicitur esse abhorrendum, quod occasionem praebeant vetitae societati et communicationi rerum sacrarum, periculum religioni creant conjugis catholici, impedimento sunt bonae institutioni liberorum, et persaepe animos impellunt, ut cunctarum religionum aequam habere rationem assuescant, sublato veri falsique discrimine ».

444. Ben. XIV *l. c.* fuse exponit mixtum conjugium catholicis vetari *ob flagitiosam in sacris communicationem cum haereticis*, quod Leo XIII relatis verbis innuit, aliique Pontifices una voce repetunt. Sane ex una parte nemo ignorat, catholicis etiam post Const. *Ad evitanda* Martini V nefas esse cum haereticis in rebus sacris et divinis communicare ; ex alia autem parte in matrimonio mixto haec communicatio necessario habetur, quia matrimonium cum haeretico contrahere idem est ac unum idemque sacramentum cum eodem conficere. At licet haec verissima sint,

(1) Ben. XIV *De Syn., VI, V, n.* 3.
(2) Id bene explicat Bangen *IV, pag.* 3 *sequ.*
(3) Feje *De matrimoniis mixtis part. I historica.*
(4) Kutschker apud Bangen *IV, pag.* 6 enumerat quindecim Pontifices qui inde a tempore S. Gregorii M. mixtis nuptiis restiterunt.

Digitized by Google

tamen iis, quae n. praec. explicavimus, non contradicunt. Nam communicatio in divinis cum haereticis vel includit haeresi adhaesionem, et tunc eodem jure inhibetur, quo haeresis; vel non includit haeresi adhaesionem, ut per se in casu nostro, et tunc prohibetur tum jure naturali propter perversionis periculum, tum jure ecclesiastico. Proinde semper verum est matrimonium mixtum illicitum esse sive jure naturali propter periculum perversionis partis catholicae ac filiorum, sive positiva lege Ecclesiae seu explicita, seu implicita, quae nempe vetat communicationem in divinis cum haereticis.

445. Neque consuetudo etiam longissimi temporis, quae potius corruptela dicenda est, illud licitum reddere potest, etsi absit perversionis periculum, et pars catholica parem inter catholicos invenire nequeat. Nonnulli praesertim in Germania, hanc consuetudinem admiserunt, eorumque sententiam S. Alph. *De sacram. in gen. n.* 56 dixit valde probabilem; sed post tot ac tam diserta Sedis Apostolicae documenta probabilis amplius dici nequit (1). Huc spectat instructio S. C. S. Officii data *an.* 1871 ad Archiep. Corcyrensem in qua legitur « Quamobrem, etsi jamdiu, uti affirmas, opinio istic inoleverit licite posse mixtas iniri nuptias absque Sedis Apostolicae dispensatione, haec tamen opinio, qualibet non obstante consuetudine, tolerari nequit, uti expresse docet s. m. Ben. XIV *De Syn. Dioec. IX, III, n.* 2 ». Neque coacta Ecclesiae tolerantia in aliquibus locis haec mixta conjugia licita reddidit, quippe Ecclesia non reclamavit prudentiae causa ad evitanda mala majora (2).

446. Exinde sequitur graviter peccare partem catholicam, quae sine dispensatione matrimonium init cum hoc impedimento mixtae religionis, etiamsi in casu periculum perversionis revera absit; quia si cessavit praeceptum naturale, semper urget praeceptum positivum Ecclesiae. Hinc si pars catholica in proposito talis ineundi matrimonii obstinate persistat, confessarius absolutionem ei denegare debebit. Item sequitur graviter peccare testes, et praesertim parochum, qui

(1) Feje *n.* 567.
(2) Feje *l. c.*

Digitized by Google

scienter sacrilego huic matrimonio etiam mere passive (1) assistit. Ut unam aliamve inter plures responsionem citemus, proposito dubio ab Episcopo Culmensi « utrum saltem in casu quo persona catholica nullatenus a proposito contrahendi matrimonium cum alia persona acatholica, Christiana tamen, recedere vellet, liceret parocho catholico tali diversae religionis personarum matrimonio assistere, illudque benedicere ». S. C. C. reposuit: « Catholicos parochos hisce matrimoniis celebrandis praesentes esse non posse. Flagitiosum est enim eos esse tanti criminis testes, et aliquo ritu vel sua praesentia sacrilegum connubium confirmare. Et in tali casu nihil aliud restat Episcopo aliisque animarum curatoribus perficiendum, nisi ut primum catholicos ab hisce connubiis cum acatholicis baptizatis jungendis suasionibus, hortationibus atque metu damnationis aeternae deterreant; si nihil profecerint, atque inter catholicos quidem viri et mulieres cupiditate aliqua excoecatae ad acatholicos ministros convolent, coram ipsis matrimonio cum acatholicis copulentur, non excitent turbas, neque canonicis poenis eos urgeant, sed pro legitimis conjugibus habeant; ea tamen, qua decet ministros Christi, caritate ac suavitate hortentur et moneant de gravissimo patrato scelere poenitentiam agere, atque eis obligationibus satisfacere, quae ad procurandam conversionem conjugis acatholici, et ad universam prolem catholice educandam in declaratione Ben. XIV praescriptae sunt » (2). Eodem modo Greg. XVI in Brevi 27 *Maii* 1832 ad Episcopos Bavariae postquam praeceperit fideles a mixtis nuptiis esse dehortandos addit « At vero si nonnumquam contigerit (quod Deus avertat), ut monita et adhortationes hujusmodi in irritum cadant, et catholicus aliquis vir mulierque recedere nolit a perverso suo consilio ineundi mixtas nuptias, non petita seu non impetrata Ecclesiae dispensatione, vel debitis cautionibus seu earum aliqua praetermissa, tunc sane sacri pastoris officium erit abstinere... a matrimonio ipso sua praesentia honestando ».

447. At vero hanc parochi assistentiam mere passivam

(1) Quid sit assistentia mere passiva vide n. 457.
(2) Apud Roskovany *II, pag.* 102.

Digitized by Google

in nonnullis locis S. Sedes declaravit tolerari posse, praesertim si cautum sit de prolis universae educatione in catholica religione, vel saltem nihil cautum sit de prolis educatione neque in catholica neque in acatholica religione, in duobus sequentibus casibus.

Primus casus est si parochus lege civili sub gravibus poenis cogatur ad assistendum matrimonio. Ita e. g. Pius VI in instructione 19 *Jun.* 1793 pro *Ducatu Cliviensi* ait « Si cogantur in hac temporum conditione et propter leges in transactione religionis *an.* 1673 praescriptas matrimoniis catholicorum cùm muliere acatholica assistere, satagant ut se mere passive habeant atque tamquam inviti audiant dumtaxat utriusque consensum ». Idem Pontifex *an.* 1782 et 1795 Episcopo *Scepusiensi in Hungaria* rescripsit « Oportere, ut Episcopus et parochi studiose et prudenter curent, ne hujusmodi matrimonia fiant, et si contrahantur, ut proles universa in catholica religione educetur; quoties vero ipsis invitis secus fuerit factum, abstineant semper a nuptiali benedictione impertienda, eorumque praesentia, si necessitas urgeat, sit tantummodo materialis, neque actibus et declarationibus conjungatur, quae confirment vel approbent prolem aliter quam in religione catholica posse educari ». E contrario S. Pius VII in literis 23 *Apr.* 1817 ad Vicarium *Trevirensem* in casu quo non adsit cautio de prole rite educanda, quamcumque prohibet assistentiam subdens « Si vero catholici parochi, quod minime timere volumus, compellantur ad eorum praesentiam matrimoniis istis praestandam, necessè omnino tunc erit pastoralem zelum vestrum expromere, illisque significare hoc in casu esse Deo potius quam hominibus obediendum ».

Alter casus est « Quoties ex temporum, locorum, ac personarum conditione matrimonium acatholici viri cum catholica muliere et vicissim, omissis licet necessariis cautionibus, sine graviori discrimine nequeat impediri, atque insuper Ecclesiae utilitati communique bono expedire videatur, si illud quamvis vetitum et illicitum coram catholico parocho, potius quam coram ministro acatholico, ad quem partes facile confugerent, contrahatur..... » Ita Card. Lambrus-

Digitized by Google

chini in instructione 30 *Apr.* 1841 ad Primatem, Archiepiscopos et Episcopos *Hungariae*, qua ad ipsos mittit Breve Greg. XVI eadem verba continens. Eadem plane leguntur in instructione Card. Bernetti ad Archiepiscopos et Episcopos *Bavariae* 12 *Sept.* 1834, et in epistola Pii VIII ad Episcopos provinciae *Coloniensis* 25 *Mart.* 1830 (n. 453). Addit vero Card. Lambruschini in cit. instructione post relata verba « Quibus tamen in circumstantiis apposite subdidit (Sanctitas Sua) non impari imo majori etiam conatu ac studio ab Episcopis et parochis elaborandum fore, ut a catholica parte perversionis periculum, quoad fieri poterit, amoveatur, ut universae prolis educationi, quo meliori liceat modo, cautum sit, utque catholicae religioni adhaerens conjux serio admoneatur de obligatione curandi pro viribus conversionem acatholici conjugis, quippe quod ad patratorum criminum veniam a Deo facilius impetrandam apprime conducat ».

Imo in his casibus Sedes Apostolica aliquando declaravit tolerari posse, ut parochus non solum mere passive assistat, sed etiam proclamationes matrimonio praemittat, omni tamen praetermissa mentione circa religionem illorum, qui nuptias sunt contracturi, et deinde det relativas literas testimoniales, quibus (dummodo nullum adsit dirimens impedimentum) unice dicatur nil aliud praeter Ecclesiae vetitum ob mixtam religionem conciliando matrimonio obstare, nullo prorsus addito verbo, unde approbationis vel levis suspicio sit oritura (1).

Caeterum etiam in his locis pro quibus istiusmodi declarationes a S. Sede datae sunt, parochus in praedictis casibus, antequam matrimonio mere passive assistat, consulat Ordinarium. Quod si praedicti casus occurrant in locis pro quibus S. Sedes declarationem non edidit, Ordinarius parocho assistentiam mere passivam non permittat, sed si tempus est, recurrat ad S. Sedem.

Ratio ultima, qua R. P. declarare potuit assistentiam passivam in casu licere, est quia haec assistentia non est in-

(1) Vide. e. g. cit. instructiones Card. Lambruschini et Card. Bernetti.

Digitized by Google

trinsece mala, sed vetatur ex charitate et officio, quod in illis circumstantiis non urget, ac lege Ecclesiae, quae aut dispensatur, aut declaratur cum tanto incommodo non obligare (1).

448. Quamquam vero pars catholica contrahens, et testes ac parochus assistentes graviter peccent, ut supra, tamen jus commune poenas non statuit, sed Episcopus potest illas constituere latae vel ferendae sententiae. Ben. XIV in declaratione 4 *Nov.* 1841 pro matrimoniis mixtis in Belgio et Hollandia laudat « magnopere zelum illorum Antistitum, qui severioribus propositis spiritualibus poenis catholicos coercere student, ne sacrilego hoc vinculo sese haereticis conjungant ». At prudentia fortasse suadebit, ut excommunicationem latae sententiae non ferat. Nam Vicarius Apost. Siriae et Palestinae hanc poenam in genere tulerat in catholicos, qui matrimonium inivissent cum haereticis aut schismaticis, et S. C. de Prop. Fide 16 *Mart.* 1638 censuit « in hujusmodi casibus procedendum esse potius per exhortationem quam edictis poenalibus, et praesertim excommunicationis ; et quia in S. Officio hujusmodi casus alias fuit examinatus, eadem S. C. mandavit agi cum R. P. D. Assessore et maxime de modo tenendo in abrogatione praedictae excommunicationis, ne si illa tollatur, catholici Siriae et Palestinae ob eorum ignorantiam sibi persuadeant matrimonia praedicta esse licita ». Etiam Pius VIII in cit. epistola ad Episcopos provinciae Coloniensis suasit prudentiae causa, ut a censura infligenda abstinerent.

449. At Ecclesia potest mixtum conjugium permittere, et tunc non modo validum, sed et licitum erit. Nimirum donec grave ac proximum perversionis periculum existit, matrimonium mixtum generatim loquendo licitum esse nequit ex jure naturali, a quo non datur dispensatio. At fieri potest, ut hoc periculum vel totaliter cesset, quando nempe pars acatholica serio promittit se ad religionem catholicam transituram esse, et moralis certitudo adest quod adimpletura sit promissionem ; vel saltem de proximo fiat remotum, ita

(1) Feje *De matr. mixtis, pag.* 195 *sequ.*

Digitized by Google

ut liceat sese illi exponere, idque evenit quando consuetae cautiones debito modo ponuntur. Igitur in his casibus prohibitio juris naturalis non adest. Restat positiva prohibitio canonum, a qua tamen Ecclesia potest ex justa causa dispensare. Hinc Ecclesia concedens illam licentiam, directe a sua lege positiva dispensat, simul implicite declarans in illis casibus jus naturale non urgere, quia perversionis periculum vel non adest vel est remotum. Si pro aliqua persona particulari, non obstantibus illis circumstantiis, perversionis periculum grave et proximum foret, obligaret adhuc jus naturale ; sed in genere retinendum est, posita Ecclesiae dispensatione in illis casibus, matrimonium mixtum jam licere, quia Ecclesia, removens positivam suam legem, judicat legem naturae stricte non obligare (1). Quoniam vero aliquod periculum saepius remanet, etsi remotum, aliaque incommoda non pauca in mixtis connubiis, hinc ab eisdem fideles totis viribus dissuadendi sunt. Ad rem Ben. XIV in Const. *Matrimonia* 4 *Nov.* 1741: « Episcopos omnes, Vicarios Apostolicos, parochos, missionarios, et alios quoscumque Dei et Ecclesiae fideles ministros in his partibus degentes serio graviterque hortatur (Sanctitas Sua) et monet, ut catholicos utriusque sexus ab hujusmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem ineundis, quantum possint, absterreant, easdemque nuptias omni meliori modo intervertere atque efficaciter impedire satagant ».

450. Ben. XIV in Const. *Magnae Nobis*, 29 *Junii* 1748 tradit hanc licentiam non concedi nisi « hac expressa lege seu conditione adjecta, nimirum *abjurata prius haeresi*. Quin etiam rec. mem. Praedecessor Noster Inn. PP. X, ulterius progrediens, jussit et cavit, ne dispensationes hujusmodi omnino concederentur, nisi per authentica documenta prius doctum esset haereticam labem a contrahente eterodoxo ejuratam fuisse: quod testatum reliquit laudatus Card. Albitius C. U. I. tunc temporis Assessor in supracitato tractatu *De inconstantia in fide cap.* 18, *n.* 44 ». Haec in illud tandem recidunt, quod dispensatio ab hoc impedimento non conce-

(1) Ben. XIV *De Syn. IX, III, n.* 3 *sequ.* cum communi, ubi rejicit theologicas cavillationes in contrarium adductas.

Digitized by Google

debatur. Deinde vero Ben. XIV subdit has licentias sine illa conditione datas fuisse, sed rarissimas; et quidem plerasque earum pro matrimoniis inter supremos Principes contrahendis, nec nisi gravissima urgente causa eaque ad publicum bonum pertinente... Hodie Ecclesia, licet invita, ad majora mala vitanda, suadente prudentia, faciliorem se praebet.

451. Potestas dispensandi in impedimento mixtae religionis unice reservatur Sedi Apostolicae, quae has dispensationes concedere, vel indultum dispensandi Episcopis dare solet per S. C. S. Officii. Episcopus enim jure proprio posset quidem declarare jus naturale in illis casibus non urgere, sed nequit legem generalem a Concilio Chalcedonensi latam et a RR. PP. toties confirmatam remittere, nisi speciale indultum obtinuerit, quod Episcopi illarum regionum in quibus catholici acatholicis admixti sunt, saepe habent vel pro numero determinato casuum, vel ad tempus determinatum. Circa hanc dispensationem sive a Sede Apostolica directe concessam, sive ab Episcopo vi indulti sequentia notanda sunt.

452. 1° In primis haec dispensatio numquam conceditur, nisi praemittantur saltem consuetae *cautiones* verae et opportunae. Eae cautiones in eo consistunt, ut pars acatholica promittat, *a*) se relicturam plenam libertatem catholicae pro exercitio suae religionis, *b*) universam prolem utriusque sexus in catholica religione institutam iri; pars autem catholica promittat, *c*) se curaturam juxta leges Christianae charitatis modis omnibus quibus prudenter poterit, conversionem alterius partis. In nonnullis locis ad majorem cautelam etiam pars catholica promittit universam prolem utriusque sexus in catholica religione institutam iri : insuper utraque pars promittit non contrahere coram haeretico ministello (1). Inter innumera documenta auctoritatis ecclesiasticae sufficiat citare celebrem *Instructionem Secretariae Status ad omnes Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios super impedimento mixtae religionis quoad promiscua conjugia* 15 *Nov.* 1858, ubi sequentia leguntur

(1) Bangen *IV, pag.* 15-16.

Digitized by Google

« ... id gravibus dumtaxat de causis aegre admodum fecit (Sedes Apostolica permittens matrimonium mixtum), et nonnisi sub expressa semper conditione de praemittendis necessariis opportunisque cautionibus, ut scilicet non solum catholicus conjux ab acatholico perverti non possit, quin imo catholicus ipse conjux teneri se sciret ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum ; verum etiam ut universa utriusque sexus proles ex mixtis hisce matrimoniis procreanda in sanctitate catholicae religionis educari omnino deberet. Quae quidem cautiones remitti seu dispensari numquam possunt, cum in ipsa naturali ac divina lege fundentur ». Primis duabus promissionibus perversionis periculum redditur remotum, ideoque cessat stricta prohibitio juris naturalis ; tertia exprimit obligationem charitatis, quam pars catholica habet. Proinde Ecclesia primas duas remittere numquam potest, quia sine illis perversionis periculum foret proximum, ideoque jus naturale urgeret. Tertiam formalem promissionem potest Ecclesia non exigere, remanente tamen in conjuge catholico illa obligatione charitatis. Et revera in Borussia tertia formalis promissio, obstante lege civili, non exigitur, sed confessarius et parochus partem catholicam de illa obligatione monent. Exinde patet pactum, quo filii sequi debeant religionem patris, filiae religionem matris esse illicitum ac nullum : imo nonnulli putant (1) esse quoque contra matrimonii substantiam, idcoque illud irritare, quod tamen falsum est.

453. Eae cautiones seu promissiones debent esse *verae et opportunae*, uti diximus, nominatim primae duae a parte eterodoxa emittendae, seu tales ut, omnibus perpensis, moralis certitudo sit de earum sinceritate in praesenti, et de earum executione in futuro : secus enim periculum perversionis revera non removent. Ad rem S. C. S. Officii ad Primatem Hungariae *an.* 1880. « Apostolica Sedes semper constanterque retinuit atque retinet nullimode in vetito mixtae religionis fas esse dispensare, nisi singulis in casibus praeter causas canonicas simul concurrant tres conditiones

(1) Schmalz. *IV, VI, n.* 150. Schmier *IV, III, V, n.* 56 *sequ.* Boeckhn *IV, V, n.* 61 *sequ.*

Digitized by Google

sequentes : 1° ut partes et praesertim haeretica veras cautiones praestiterint, quibus se coram Ecclesia obligent ad ea, quae ab iisdem ipsa Ecclesia exigit... ; 2° ut superior ecclesiastius moralem certitudinem habeat sive de cautionum sinceritate pro praesenti, sive de earum adimplemento pro futuro ; 3° ut cautionum exhibitio notoria sit, vel saltem talis esse possit ad omne scandalum removendum ».

Quandonam autem id verificetur remittitur prudentiae dispensantis. Vide Bangen *IV pag.* 16 *sequ.*, ubi exponit quae ponderanda sint, ut haec certitudo moralis haberi queat ex factis promissionibus. Nec jus commune determinat an fieri debeant in scriptis, vel viva voce, vel sub juramento. Neque S. C. S. Officii quando directe concedit dispensationem, indicare solet modum faciendi has promissiones (1). In genere promissio oralis non sufficit, et multo minus promissio oralis non jurata partis acatholicae. Hinc Ordinarius et post ipsum parochus ad minus exigere solet a parte haeretica promissionem scriptam, quae servatur in archivio parochiali. Saepe etiam juramentum utilius exigitur : imo in aliquibus dioecesibus haec promissio scripta et jurata fieri debet per manum notarii (2). Eae cautiones poni debent non quidem in actu matrimonii, sed ante concessionem dispensationis.

Haec declarat sequens responsio S. C. S. Officii data die 17 *Februarii* 1875 « La condizione del giuramento (da prestarsi nei matrimonii misti dalla parte eterodossa nel promettere le solite cauzioni), è una prescrizione meramente ecclesiastica, dalla quale puo talvolta prescindersi, se le circostanze lo consentano. Che per farsi luogo alla dispensa nei matrimonii misti, è essenziale solamente la promessa delle solite cauzioni, la quale deve essere cosi seria, che il Vescovo riesca a formarsi la certezza morale che sarà dal conjuge eterodosso osservata ed adempiuta fedelmente ; e dove Egli

(1) Vide formulam hujus dispensationis in Alleg. *IV*.

(2) Formula haec potest esse. « Je soussigné demeurant à N. déclare sous la foi du serment : 1° que je permets que les enfants de l'un et de l'autre sexe à naître de mon mariage avec N. soient baptisés et élevés dans la religion catholique romaine ; 2° que je permettrai toujours à ma dite épouse, et à tous mes enfants le libre exercice de leur culte ». Ex Vecchiotti *III, in App. pag.* 350.

Digitized by Google

o per le qualità del soggetto, o per altre circonstanze non potesse acquistare simile certezza, puo a buon diritto domandare, che la promessa sia munita di giuramento » (1). Huc spectat quoque responsio ab eadem S. C. S. Off. data die 17 *Apr.* 1879 ad Episcopum Ottawa in Canadà. « Gli Emi Inquisitori Generali hanno risposto, che malgrado le disposizioni della legge civile i Vescovi di cotesto dominio debbano procurare di ottenere, che (nei matrimonii misti) le consuete cauzioni si diano sempre in iscritto, come già si prattica, e quante volte in qualche caso particolare siano convinti che le medesime non siano prestate con sincerità di animo, non concedano la dispensa » (2). Tertia autem promissio a parte catholica facienda sufficit simplex etiam oralis tantum et absque juramento (3).

(1) *Latine* : Conditio juramenti (praestandi in matrimoniis mixtis a parte eterodoxa in promittendis consuetis cautionibus) est praescriptio mere ecclesiastica a qua aliquando abstinere licet, si circumstantiae id concedant, quia ut dispensatio locum habeat in matrimoniis mixtis, sola est essentialis promissio consuetarum cautionum, quae ita seria debet esse, ut Episcopus valeat sibi comparare moralem certitudinem, quod ab eterodoxo conjuge fideliter observabitur atque implebitur : et quando ipse sive ob subjecti qualitates sive ob alias circumstantias talem certitudinem acquirere non valet, jure potest exigere ut jurejurando promissio firmetur.

(2) *Latine* : Emi Inquisitores Generales reposuerunt quod, non obstantibus civilis legis dispositionibus, Episcopi hujus dominii curare debeant ut (in matrimoniis mixtis) consuetae cautiones semper scripturae tradantur, sicut jam fieri solet ; et quod, quoties in casu peculiari persuasum habeant easdem cautiones non sincere praestari, dispensationem minime largiantur.

In ephemeride *Journal de Droit Canon, et de la Jurisprudence canonique, avril* 1889 haec leguntur. « Il parvient à notre connaissance, que le S. Office avait adressé il y a quelque temps à tous les Evêques une circulaire pour demander une statistique des mariages mixtes, qui ont eu lieu dans le courant de dix dernières années avec ou sans la dispense du Saint-Siège. Or la circulaire demandait aussi, si les promesses formelles faites par les deux parties d'élever les enfants dans le culte catholique ont été observées régulièrement, ou si la partie catholique s'est vu renoncer à sa foi, ou si les engagements n'ont pas été tenus de part et d'autre. Les réponses des évêques sont arrivées déjà en grande partie, et ont malheureusement prouvé que les mariages mixtes sont généralement un danger pour la partie catholique, et que souvent, malgré les promesses formelles, les engagements pris par la partie hérétique ne sont pas tenus. Les enfants reçoivent une éducation anticatholique, sont souvent élevés dans le schisme, et c'est souvent la partie catholique, qui est outragée dans sa foi. »

(3) Bangen *IV, pag.* 16.

Digitized by Google

454. In Borussia lege civili 17 *Aug.* 1825 cautum fuit etiam pro provinciis Renanis Westphalicis, ut in matrimoniis mixtis liberi utriusque sexus in religione patris, aut ad ejus arbitrium educarentur, simulque sacerdotibus interdictum, ne a personis matrimonia hujusmodi contracturis ullam exigerent super religiosa nasciturae prolis institutione sponsionem. Proinde haec lex opponebatur disciplinae cautionum. Tunc Pius VIII dedit celebrem cit. epistolam 25 *Mart.* 1830 ad Episcopos Provinciae Coloniensis cum instructione Card. Albani diei 27 *Mart.* 1830, quibus, dum iis Episcopis amplissimae conceduntur facultates, declaratur juxta dicta n. 446 tantum tolerari « ut parochi, qui ad graviora rei catholicae incommoda avertenda praesentiam suam contrahendis his nuptiis praestare cogebantur, paterentur quidem, eas ipsis praesentibus confici (si scilicet nullum aliud obstaret canonicum impedimentum), ut audito utriusque partis consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referrent, sed caverent semper ab illicitis hujusmodi matrimoniis ullo suo actu approbandis, multoque magis a sacris precibus et ab ecclesiastico quovis ritu eisdem admiscendo ».

Huc etiam spectant sequentes responsiones datae a S. C. S. Officii ad nonnulla dubia proposita a quodam Germaniae Episcopo. Hic exposuerat.

« In Dioecesi nostra lege civili praescriptum est: 1° ne sponsi mixtae religionis quidquam de religione futurae prolis statuant, et si quid statuerint, lege illa id irritum declaratur; 2° deinde eadem lege civili sancitum est, ut liberi in religione patris educentur, et iisdem nonnisi XIV aetatis anno peracto optio detur vel permanendi in religione patris, vel transeundi ad religionem matris: si proin pater est acatholicus, proles a ministello protestantico baptizatur et deinceps in institutione religionis erroribus protestantium instituitur; ad utrumque parentes, licet forte inviti, vi adiguntur. His positis quaeritur: 1° Utrum matrimonio mixto, si vir acatholicus sit, apud nos parochus benedictionem impertiri licite possit, si sponsi, non obstante lege civili mox allata, promittunt se prolem futuram in religione catholica

Digitized by Google

educaturos ; 2° Quibusnam censuris ecclesiasticis pars catholica subjicienda sit, si ipsius culpa promissio parocho facta de liberis catholice educandis non impleatur ; 3° Quidnam Episcopo et parochis faciendum, si forte pars catholica ante annum XIV aetatis liberorum moriatur et proinde promissis suis stare non possit ; 4° Quid de matrimonio judicandum, quod sponsi mixtae religionis, eo quod parochus catholicus propter defectum cautionis opportunae de catholica educatione prolis illud benedicere, aut litteras dimissoriales dare recusavit, coram ministello protestantico contraxere? Numquid mulier hic, ubi Conc. Trid. est receptum, concubina erit habenda ? Et si ita, quibus sub conditionibus Ecclesiae poterit reconciliari, ejusque matrimonium revalidari ? 5° Quid accurate et strictissime sumpta significat : *cautio opportuna ?*

S. C. S. Officii *feria V, loco IV,* 30 *Jun.* 1842 probante Greg. XVI, reposuit : « Ad 1um negative. Ad 2um prudentiae Episcopi id esse commissum, qui habita ratione adjunctorum omnium poterit urgere executionem meliori modo, quo expedire ei videbitur. Ad 3um Episcopis et parochis hujusmodi filios remanere commendatos, qui satagere debent pro viribus, ut catholica fide imbuantur. Ad 4um quoad primam et secundam partem recurrat in casibus particularibus. Ad 5um talem promissionem, quae in pactum deducta, praebeat morale fundamentum de veritate executionis, ita ut prudenter hujusmodi executio expectari possit ».

455. 2° Insuper haec dispensatio non datur, nisi praeter cautiones veras et opportunas accedat *justa causa* «... ac praeterea intercedente gravi aliqua ac plerumque publica causa quae si deficiat, licet caeterae supra memoratae adsint conditiones, dispensatio nequaquam impertiri solet... » ait Ben. XIV *De Syn. IX, III, n.* 5. Et idem repetunt omnia Sedis Apostolicae documenta mixta conjugia spectantia.

Si autem quaeras quaenam sit haec causa justa, gravis, legitima, sufficiens, canonica... ut haec documenta loqui solent, propter quam haec dispensatio conceditur, Zitelli *De dispens. matrim. pag.* 60 sequentes enumerat : « 1° Bonum reipublicae Christianae ; 2° Si in aliqua regione catho-

Digitized by Google

lici sunt pauci, et simul tuti ac liberi ad fidem profitendam, eterodoxi autem plurimi ; 3° Promissio ab haeretico facta in scriptis vel coram testibus et juramento firmata amplectendi catholicam fidem post nuptias ». Fusius Bangen *IV*, *pag.* 20, ad quaestionem, quaenam in hac re causae satis graves videantur, ita respondet : « Sed jam per se patet responsum absolute certum in abstracto dari non posse, cum semper considerandae sint cujusque casus circumstantiae. In genere tamen ex mente S. Sedis tales esse debent, ut ad publicum magis bonum conducant. Ejusmodi forent : *a*) si Princeps acatholicus, adhibitis cautionibus, ducere velit catholicam, indeque magna religionis catholicae commoda forent speranda ; *b*) si probabilis adsit spes, ut familia acatholica ad veram fidem inclinans per matrimonium mixtum ad Ecclesiam revertatur ; *c*) si matrimonium mixtum unicum sit remedium, ut liberi jam ex alio matrimonio mixto procreati, in religione catholica educentur ; *d*) si magna scandala ex diffamatione, gravidatione, vel alio modo oritura evitari nequeant nisi per matrimonium mixtum. Causae vero quae privata commoda magis respiciunt, v. g. aetas superadulta, angustia loci, dotis incompetentia, bonum pacis, sponsalia bona fide contracta, ob quae timendum foret ut innupta ac diffamata remaneret sponsa, de sensu S. Sedis non facile per se sufficiunt : attamen ex praxi nostra earumdem causarum ratio habetur, dummodo aliae rerum circumstantiae concurrant, quibus illis pondus accrescat. Diligenter itaque parochus omnes, quae adesse videntur, causas exponat, in primis si praeter impedimentum mixtae religionis simul intercedat impedimentum dirimens, quo casu sane urgentiores requiruntur causae. Testimonium vero de causarum veritate parochus cum testibus subscribat..... » Haec in Germania praxis videtur cohaerere verbis supra citatis Ben. XIV qui docet requiri *gravem aliquam ac plerumque publicam causam.*

Dispensatio sine justa causa a R. P. concessa foret illicita, sed valida ; concessa ab Episcopo vi indulti foret etiam invalida, et Episcopus circa causae sufficientiam sequi debet praxim Sedis Apostolicae.

Digitized by Google

456. 3° Praeterea Ecclesia ex justa causa, positis cautionibus, concedens dispensationem, apponit nonnullas *conditiones*, nempe ut matrimonium celebretur *absque ritu religioso*. « Insuper in tribuendis hujusmodi dispensationibus praeter enuntiatas cautiones... adjectae quoque fuerunt conditiones, ut haec mixta conjugia extra Ecclesiam et absque parochi benedictione ulloque alio ecclesiastico ritu celebrari debeant. Quae quidem conditiones eo potissimum spectant, ut in catholicorum animis numquam obliteretur memoria tum canonum, qui istiusmodi mixta matrimonia detestantur, tum constantissimi illius studii, quo S. Mater Ecclesia numquam destitit filios suos avertere et deterrere ab iisdem mixtis conjugiis in eorum et futurae prolis perniciem contrahendis ». Ita Card. Antonelli in cit. instructione, idemque alia omnia documenta repetunt.

457. Hinc in hujusmodi mixtis nuptiis prohibentur.

a) *Publicationes*, ut docet Pius VI in epist. ad Card. Archiep. Mechliniensem 13 *Julii* 1783, et in pluribus aliis documentis traditur, quia exinde fideles scandalum aut admirationem haberent, ac salutaris horror erga haec matrimonia minueretur. In Conc. Prov. Burdigalensi *an.* 1850 praecipiuntur publicationes etiam in matrimoniis mixtis, et in nota citatur Conc. Prov. Baltimorense *VI an.* 1846, nec non responsum S. C. de Prop. Fide 3 *Julii* 1847 his verbis: « Quapropter cum cautelae loco, et veluti prudentiae remedium haec bannorum publicatio haberi debeat, nulla ratio satis firma videtur obesse, quominus proclamationes, etiam quando agitur de matrimoniis mixtis, fiant, quae tamen matrimonia, nullo adhibito religioso ritu, celebrari oportet ». Auctoritati Conc. Burdig. et Balt. VI et hujus responsionis innixi plures docuerunt etiam in mixtis connubiis publicationes fieri posse aut debere. Sed falso: nam in *edit.* 2 *Excerpt. ex Rit. Rom.* approbata ab Archiep. Baltimorensi legitur. « In ineundis istiusmodi nuptiis Ecclesia ea generatim omittenda indixit, per quae Catholicorum matrimonia decorantur, *inclusis etiam proclamationibus*. Quod autem ex occasione decreti tertii Conc. Prov. Balt. VI a S. C. de Prop. Fide rescriptum fuisse legitur, nempe ut fiant procla-

Digitized by Google

mationes etiam quando agitur de matrimoniis mixtis, id in epistolam amanuensis incuriâ mendose irrepsisse, declaravit ejusdem S. C. Secretarius ». Status liber contrahentium in casu satis probatur per examen testium et per accuratiorem parochi investigationem. Quod si in loco lex de examine testium non vigeat, adhuc accuratior investigatio requiritur, et parochus matrimonio non assistet, nisi habita Ordinarii licentia, et Ordinarius ad status libertatem probandam nil melius aget, quam servare citatas instructiones S. Officii. Caeterum in nonnullis locis consuetudo publicationes in matrimoniis mixtis permittit, *reticita tamen religione partis acatholicae*.

458. *b*) *Caeremoniae quae sunt in Rituali* ab initio usque ad Missam, nempe receptio consensus, verba: *Ego vos conjungo* aliave usu recepta, benedictio annuli, caeteraeque orationes. Quaesitum fuit a S. C. S. Officii « Se nei matrimonii misti il sacerdote debba anche astenersi dal pronunziare le parole: *Ego vos conjungo* »(1) et S. C. die 26 *Nov.* 1835 reposuit: « Parochus assistens matrimonio mixtae religionis sese abstineat ». Hinc parochus cum testibus nil agat, nil dicat, et mere praesens audiat mutuum partium consensum, deindeque matrimonium in libro scribat: in hoc consistit *assistentia passiva*. In nonnullis regionibus, uti in Gallia et in America Septentrionali, parochus interrogat partes de consensu, illumque recipit, caetera omnia omittens. Hic usus, ubi viget, servari posse videtur. Nec concio limites assistentiae passivae per se videtur excedere. Quibus positis patet quid faciendum, si post initum matrimonium civile validum coram magistratu civili, non urgente decreto *Tametsi* saltem pro parte acatholica, partes velint coram parocho contrahere, servatis omnibus de jure servandis. Nempe consensus renovari non debet, si constet praestitum fuisse, et ideo matrimonium fuisse validum; proinde, nisi Episcopus alias caeremonias permiserit (n. 462), sponsi ad summum se sistent coram parocho, qui pia exhortatione eos alloquitur. Idem dicas, si post valide celebratas nuptias coram ministro acatholico, pars catholica resipuerit, absolu-

(1) *Latine*: An in matrimoniis mixtis sacerdos abstinere quoque debeat a verbis: *Ego vos conjungo*?

Digitized by Google

tionem a peccato commisso obtinuerit, et modo servatis omnibus caeteroquin servandis, vellet coram parocho contrahere.

459. *c*) *Benedictio nuptialis* quae habetur in Missali una cum Missa pro sponso et sponsa : utrum vero et quando alia Missa de die celebrari possit, ex responsione S. C. S. Officii infra citanda apparebit.

460. *d*) *Aliae sacrae caeremoniae* seu *ritus*, quibus juxta Rituale dioecesanum matrimonium celebratur.

461. *e*) Matrimonii celebratio in ecclesia. Cum simus in odiosis, nomine ecclesiae non venit *sacristia* aut *capella privata*.

462. *f*) Tandem usus *alicujus vestis sacrae* ex parte parochi e. g. superpellicei et stolae. Talis autem non est vestis talaris, aut consuetae vestes cardinalitiae, episcopales, praelatitiae.

463. Haec illustrant sequentes responsiones S. C. S. Officii.

Quaesitum fuerat : « 1° Se si puo fare il matrimonio (misto) in chiesa, levato il Ssmo ? 2° Se si puo permettere, che il sacerdote porti la cotta e la stola nella funzione 3° se si puo fare una piccola predica prima e dopo la caremonia sulla santità e indissolubilità del contratto » (1). S. C. 16 *Julii* 1885 reposuit : « Detur instructio Antonelli 15 *Nov.* 1858 et quoad concionem, arbitrio Episcopi ».

Insuper Episcopus Nancejensis, et Tullensis quaesiverat, an tuta conscientia in sua dioecesi tolerare posset. « 1° Quod consensus conjugum, salva forma Conc. Trid. *in sacristia* reciperetur ? 2° Quod in parochiis, ubi sacristia apta et conveniens non adest, consensus reciperetur *in alio loco ecclesiae adjuncto*, *ut capella remota*, sine cereis accensis, nec quocumque ornatu speciali ? 3° Quod parochus superpelliceum et stolam indueret, ad interrogandum de consensu et

(1) *Latine* : 1° An matrimonium mixtum fieri possit in ecclesia, amoto sanctissimo sacramento ? 2° An permitti possit ut sacerdos deferat, durante caeremonia, superpelliceum et stolam ; 3° An ante vel post caeremoniam fieri possit brevis concio circa matrimonii sanctitatem et indissolubilitatem.

Digitized by Google

benedicendum annulum? 4° Quod praedictas vestes sacras indutus, si non interrogare liceret, saltem benediceret annulum, et brevem, piam ac hortatoriam concionem conjugibus haberet? 5° Quod Missa non de sponsalibus, sed de die, omisso omni ritu benedictionis qualiscumque, coram talibus conjugibus celebraretur? ». S. C. *feria IV, die* 17 *Jan.* 1877 reposuit: « Ad 1um et 2um affirmative. Ad 3um prudenti arbitrio R. P. D. Ordinarii juxta instructionem *Etsi Sanctissimus* 15 *Nov.* 1858. Ad 4um ut in praecedenti. Ad 5um detur responsum ut in *Versalien. feria IV, diei* 17 *Jan.* 1872 nempe: *Propositis a R. P. D. Episcopo Versalien. nonnullis dubiis, ad primum ita expositum: Utrum vigore clausulae:* EXCLUSA TAMEN SEMPER MISSAE CELEBRATIONE, *quae apponitur in rescriptis de matrimoniis mixtis, prohibeatur tantum Missa pro sponsis cum orationibus et benedictionibus, uti in Missali Romano, an quaelibet Missa, etiam privata, quae celebretur coram sponsis et comitibus post matrimonium, licet sponsis non detur distincta sedes? Emi Domini decreverunt respondendum esse: affirmative ad utramque partem, quando Missa celebretur cum omnibus expositis circumstantiis, ita ut ea habeatur tanquam complementum caeremoniae matrimonii* ».

464. Quamquam haec vera sint, tamen Card. Antonelli in cit. instructione post verba relata, quum dixisset de caetero unicam futuram esse formulam harum dispensationum, quae haec omnia implicite continet, subdit. « Quod si in aliquibus locis sacrorum Antistites cognoverint easdem conditiones (de mixtis conjugiis absque parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrandis) impleri haud posse, quin graviora exinde oriantur damna ac mala vitanda, prudenti eorumdem sacrorum Antistitum arbitrio committit, (Sanctitas Sua) ut ipsi, salvis firmisque semper ac perdiligenter servatis cautionibus... (n. 452), judicent quando commemoratae conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra ecclesiam, et absque parochi benedictione impleri minime possint, et quando in promiscuis hisce conjugiis ineundis tolerari queat mos adhibendi ritum pro matri-

Digitized by Google

moniis contrahendis in dioecesano Rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper Missae celebratione ac diligentissime perpensis omnibus rerum, locorum ac personarum adjunctis, atque onerata ipsorum Antistitum conscientia super omnium circumstantiarum veritate et gravitate. Summopere autem exoptat Sanctitas Sua, ut iidem sacrorum Antistites hujusmodi indulgentiam sem potius tolerantiam, eorum arbitrio et conscientiae omnino commissam majori, quo fieri potest, silentio ac secreto servent ». Proinde Episcopus ex gravi causa potest ea omnia, de quibus n. 458 sequ., permittere, exclusa Missae celebratione.

465. S. C. de Prop. Fide in epist. ad Vicarium Apost. Maissurii 4 *Dec.* 1862 nonnulla dubia solvit, quae rem nostram respiciunt ».

« Et primo quid intelligendum sit sciscitaris per verba, quibus in laudata instructione innititur, et quasi ligatur facultas seu tolerantia benedicendi mixta matrimonia, scilicet ad evitanda *graviora mala et damna.* Procul dubio graviora inde oriuntur mala et damna : 1° quotiescumque ob denegatam matrimoniis mixtis benedictionem facile excitarentur haereticorum querimoniae et odia adversus fideles legesque ecclesiasticas ; 2° Quotiescumque denegata a parocho catholico benedictione sponsi, ante vel post coram illo celebratum matrimonium, ministellum adeant, vel etiam in eterodoxorum templum conveniant ad sacrilegam benedictionem obtinendam, parocho catholico omnino posthabito ; 3° Quotiescumque insuper timendum esset quod, recusata ab ipsis expetita benedictione, aut non servarentur necessariae cautiones de amovendo a conjuge catholico perversionis periculo et de universa prole in catholica religione educanda, aut, quod detestabilius foret, ne pars catholica ad haereticorum castra in sui et futurae prolis aeternam perniciem transiret. Evidenter haec et similia sunt gravia illa damna ac mala..... Quandocumque autem ob notabilem locorum distantiam praesules per se causarum et circumstantiarum gravitatem et veritatem cognoscere nequeant circa mixta matrimonia sacerdotali benedictione honestanda, poterunt per missionarios sibi subditos, haec eadem implere,

Digitized by Google

qui tamen sint circa praedictas causas et instructionem optime edocti, prudentia et zelo secundum scientiam praediti.

» Quae tertio loco te anxium reddebant circa silentium ac secretum in laudata instructione quoad posse inculcatum, non ita presse intelligenda videntur, ut nemini innotescat haec S. Sedis indulgentia seu potius tolerantia in benedicendis mixtis nuptiis. Etenim scias oportet, quod Sanctitas Sua monitos esse voluit praesules, ut non passim et absque delectu matrimoniis mixtis benedictio impertiatur, nec per publicas instructiones, veluti etiam per modum regulae tali utantur facultate, sed prudenter admodum et caute, ut oblivioni non tradantur saluberrimae Ecclesiae conditiones, quae semper implicite talibus dispensationibus adjunctae intelliguntur ».

466. 4° Ulterius remoto etiam per dispensationem impedimento mixtae religionis, conjuges nequeunt vel ante vel post matrimonium coram parocho initum adire ministrum acatholicum. Hanc rem illustrat instructio S. C. S. Officii ad Episcopos regni Hannoveriani 17 *Febr.* 1864.

« Non latet quibusdam in locis haereticum ministrum agere personam magistratus mere civilis, coram quo sistere solent conjuges aut etiam debent ob finem politicum, nempe ut habeantur civiliter honesti conjuges, prolesque censeantur legitimae. Jam vero urgentibus haereticis aut lege civili imperante, non improbatur, quod pars catholica una cum haeretica se sistat ante vel post contractum ad formam Tridentini matrimonium etiam coram ministro haeresi addicto ad actum civilem dumtaxat explendum. Etenim ad dubium olim sic expressum : utrum catholicus coram proprio catholico parocho una cum haeretica contrahens licite possit, urgentibus haereticis, matrimonium hoc ratificare coram ministro haeretico, si nulla hinc ritus haeretici professio habeatur aut colligatur, et quidquid minister haereticus in casu peragit, civilis dumtaxat et politica gratulatio sit et censeatur, per S. C. responsum fuit affirmative. Verum enimvero quotiescumque minister haereticus censetur veluti sacris addictus, et quasi parochi munere fungens, non licet catholicae parti una cum haeretica matrimonialem consensum coram tali

Digitized by Google

ministello praestare, eo quod hic adhiberetur ad quamdam caeremoniam religiosam, complendam et pars catholica ritui haeretico se consociaret : unde oriretur quaedam implicita haeresi adhaesio, ac proinde illicita omnino haberetur cum haereticis in divinis communicatio. Eapropter etsi perniciosa haec consuetudo inoleverit, ita ut a clero de facili corrigi non possit, nihilo tamen secius omni adhibito studio ac zelo evellenda erit. Et sane Ben. XIV (*De Syn. VI, VII, n.* 2) aperte docet non licere contrahentibus se sistere coram ministro haeretico, quatenus assistat ut minister addictus sacris, et contrahentes peccare mortaliter et esse monendos. Opportune itaque abs te instructi ac commoniti parochi ac missionarii edoceant fideles, qua publicis in ecclesia catechesibus, qua privatis instructionibus circa constantem Ecclesiae doctrinam et praxim, ita ut salubriter a mixtis contrahendis nuptiis, quoad fieri possit, avertantur; sin autem, abhorreant prorsus a celebrando matrimonio coram haeretico ministro sacris addicto, id quod omnimode illicitum et sacrilegum est. Ita responsum fuit Ordinario Trevirensi sub *feria IV, die* 21 *Apr.* 1847.

« Sciant igitur parochi, si interrogentur a contrahentibus, vel si certe noverint eos adituros ministrum haereticum sacris addictum ad consensum matrimonialem praestandum, se silere non posse, sed monere eosdem debere sponsos de gravissimo peccato, quod patrant, et de censuris in quas incurrunt. Verumtamen ad gravia praecavenda mala, si in aliquo peculiari casu parochus non fuerit interpellatus a sponsis, an liceat nunc adire ministrum haereticum, et nulla fiat ab iisdem sponsis explicita declaratio de adeundo ministro haeretico, praevideat tamen eos forsan adituros ad matrimonialem renovandum consensum, ac insuper ex adjunctis in casu concurrentibus praevideat monitionem certo non fore profuturam, imo nocituram, indeque peccatum materiale in formalem culpam vertendum, tunc sileat, remoto tamen scandalo, et dummodo aliae ab Ecclesia requisitae conditiones atque cautiones rite positae sint, praesertim de libero religionis exercitio parti catholicae conce-

Digitized by Google

dendo, necnon de universa prole in religione catholica educanda ».

Gemina prorsus habet S. C. Inqu. in cit. instructione 12 *Dec.* 1888 ad Patriarchos, Archiepiscopos et Episcopos rituum Orientalium.

467. Ex his patet : 1° conjuges utique posse ministrum haereticum adire, qui personam magistratus civilis gerit ad matrimonium civile ineundum ; 2° certe non licere parti catholicae illum adire uti ministrum sacris addictum ad caeremoniam religiosam explendam. Id semper verificari videtur quoties minister acatholicus in templo aut vestibus sacris indutus conjuges recipit et alloquitur : tunc enim ipse locus aut vestes dicunt ministrum assistere uti personam sacram et rem sacram agere ; 3° Quid vero si conjuges ipsum adeunt uti ministrum religiosum, sed nulla fit religiosa caeremonia, e. g. si minister profanis vestibus indutus extra templum fausta quaeque conjugibus adprecatur recolens conjugalia jura ac officia, quin putet exinde conjugio ullam sanctitatem accedere, et quin etiam pars catholica intendat caeremoniam sacram explere, sed tantum comitati alterius respondere, sive hic forte ritum sacrum intendat, sive non ? (1). Putamus licere parti catholicae in hisce rerum circumstantiis ministrum haereticum adire : nam non verificatur ratio prohibitionis quae in cit. instructione exponitur illis verbis : « quod hic (minister haereticus) adhiberetur ad quamdam caeremoniam religiosam complendam, et pars catholica ritui haeretico sese consociaret, unde oriretur quaedam implicita haeresi adhaesio, et proinde illicita omnino haberetur cum haereticis in divinis communicatio ». Proinde tota quaestio reducitur ad scandalum : quod certe evitare tenemur virtute charitatis, quae tamen non obligat cum gravi incommodo. Ex verbis Ben. XIV *De Syn. VI*, *VII*, *n.* 2 eadem conclusio sequi videtur.

468. Pars catholica, quae matrimonium cum parte acatholica iniit coram acatholico ministro *uti sacris addicto*, excommunicationem R. P. speciali modo reservatam incurrit.

(1) Vecchiotti *III*, § 98.

Digitized by Google

In indulto Episcopis dato additur semper clausula : *Praevia semper absolutione a censuris, et impositis poenitentiis salutaribus, si matrimonium contractum fuerit coram ministro haeretico*, et in dispensatione a Sede Apostolica concessa, quando agitur de matrimonio jam inito coram ministro haeretico, ponitur absolutio a censuris ob id incursis. Etiam instructio S. C. S. Officii ad Episcopos regni Hannoveriani (n. 467) et responsio S. C. S. Officii 2 *Mart.* 1842 (n. 471), censurarum mentionem facit. Equidem e contrario S. C. S. Officii 25 *Apr.* 1770 formaliter declaravit « virum et mulierem catholicam contrahentes coram ministris acatholicis matrimonium non incidere in censuras, sed in his casibus missionarium se gerere debere juxta decretum diei 29 *Nov.* 1764 ». Praeterea eadem S. C. S. Officii *mense Dec.* 1873 ad examen revocavit quaestionem, an in formula rescriptorum pro dispensatione ab impedimento mixtae religionis omittenda vel conservanda esset absolutio a censuris, quoties agitur de matrimonio jam contracto coram ministro acatholico uti sacris addicto, et reposuit interim esse conservandam, donec hic articulus resolutus fuerit. Sed deinde hic articulus resolutus fuit in sensu existentiae censurae ; nam die 22 *Mart.* 1879 eadem S. C. declaravit eos, qui taliter matrimonium ineunt, incurrere excommunicationem R. P. speciali modo reservatam in Const. *Apostolicae Sedis n.* 1 latam in apostatas, haereticos, eisque credentes, eorumque receptatores, fautores, defensores (1).

469. Post ea quae huc usque disputavimus de dispensatione in impedimento mixtae religionis, facile intelliguntur plures clausulae quae inseri solent sive in rescripto dispensationis sive in indulto Episcopis facto ad dispensandum. Formulas dispensationis et indulti vide in Alleg. IV. Paucis abhinc annis apponi semper indulto consueverat clausula : *Exceptis Italis de quibus non constat italicum domici-*

(1) Synodus dioecesana Albanensis *an.* 1886 *App. n.* 10. Cum in hanc synodum doctissimi viri adlaboraverint, inter quos primus est Card. Monaco La Valletta, Secretarius ipsius S. C. S. Officii, de authenticitate et sensu hujus declarationis dubitandum non est. Vide etiam mandatum Archiep. Parisiensis *De censuris et casibus reservatis,* 1890.

Digitized by Google

lium omnino deseruisse. At *feria IV*, *die 4 Maii* 1887 S. C. S. Officii ad dubium « se sia o no da conservarsi nella formula per gl'indulti relativi ai matrimonii misti la clausula: *Exceptis*..... (1) « reposuit esse demendam; quod R. P. eadem die approbavit. Hinc in indultis, quae deinceps conceduntur, illa exceptio non legitur. Clausulas autem communes aliis quoque matrimonialibus dispensationibus et indultis superius explicatas habes: quas clausulas Episcopus vel concessam a S. Sede dispensationem executioni demandans, vel vi indulti dispensans servare sedulo debet. Ita e. g. de clausula: *Intra fines suae dioecesis* vide n. 420; de clausula: *Nec aliud obstet canonicum impedimentum* n. 358, 378; de clausula: *Facta simul in singulis dispensationibus concedendis expressa Apostolicae delegationis mentione* n. 423. Apponi non solet in indulto, sed subauditur clausula: *Cum suis subditis tantum*, qua Episcopus uti indulto nequit, nisi pars catholica sit sua subdita ratione domicilii vel quasi domicilii (n. 416). Ad rem S. C. S. Officii 14 *Dec.* 1882 ad Vicarium Apost. Gibilterrae « Indultum S. C. de Prop. Fide (dispensandi ab impedimento mixtae religionis) non posse respicere nisi subditos, nec ipsum (Vicarium Apost.) posse extraneos admittere ad matrimonium mixtum, nisi in casibus in quibus isti accedunt ad ejus vicariatum muniti jam necessaria dispensatione a proprio Praesule, qui tales habeat facultates, et ex parte ipsius Vicarii non agatur nisi de simplici exequutione ».

470. Hac igitur obtenta dispensatione matrimonium mixtum est licitum, etsi non uno ex capite dissuadendum. Quid vero faciendum, si pars catholica matrimonium inivit cum acatholica coram ministro acatholico? Si matrimonium fuit validum, non urgente decreto *Tametsi* saltem pro parte haeretica, huic quaestioni respondet Card. Lambruschini in cit. instructione 30 *Apr.* 1841 ad Episcopos Hungariae « Caeterum quocumque demum modo mixta haec matrimonia citra Ecclesiae dispensationem et necessarias cautiones sive per passivam catholici parochi praesentiam, sive coram

(1) *Latine*: An sit conservanda necne in formula indultorum pro matrimoniis mixtis clausula: *Exceptis*.....

Digitized by Google

acatholico ministro contracta fuerint, illud Episcopis et parochis Sanctitas Sua magnopere commendat, ut omni pastorali sollicitudine catholicum conjugem ad patratae culpae detestationem congruamque poenitentiam opportune conentur excitare, eumque solerter adducant ad obligationes implendas, quibus gravissime tenetur, illam praesertim quae est de catholica universae prolis educatione impense curanda. Quae si ex voto contingant, adeoque constet eum revera resipuisse, paratumque esse ad opportunam, quoad valuerit, scandali reparationem, tunc sane poterit ipse sacramentorum Ecclesiae particeps fieri » (1). Eadem prorsus habet Pius VI in epist. ad Card. De Franckemberg 13 *Jul.* 1782. Si matrimonium est nullum conjuges vel separentur omnino, vel validum ineant matrimonium. Ad novum vero matrimonium ineundum admitti conjuges nequeunt, « nisi servatis, uti supponitur, caeteroquin servandis, pars catholica facti poenitens praeviis salutaribus poenitentiis a patrata culpa absolutionem rite prius obtinuerit ». S. C. Inqu. in cit. instructione 12 *Dec.* 1888 ad Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos rituum Orientalium (2).

471. Haec confirmat quoque sequens responsio S. C. S. Officii. Posito dubio. « Utrum in contractis matrimoniis (cum haereticis) pastores animarum partem poenitentem, dummodo seclusum sit scandalum tuta conscientia ad sacramentorum receptionem admittere possint ». S. C. S. Officii respondit die 2 *Martii* 1842 : « Quoad matrimonia valida, ad sacramenta percipienda posse admitti sine praevia renovatione consensus ; sed ab iisdem percipiendis arcendos, donec vera dederint resipiscentiae signa, et promiserint executuros totis viribus tam conversionem partis haereticae quam educationem in religione catholica prolis universae natae et forsan nasciturae, et tandem donec obtinuerint absolutionem a censuris incursis una cum poenitentiis salutari-

(1) His adde conjugem catholicum absolvendum esse a censura juxta dicta n. 468.

(2) S. C. Inqu. haec excribit ex cit. instructione Hannoveriana (n. 467) : sed in hac legitur : ... *poenitentiis absolutionem a contractis censuris*... ; dum S. C. Inqu dicit : *a patrata culpa absolutionem*..,

Digitized by Google

bus casu, quo contraxerint coram ministro haeretico. Quoad matrimonia vero invalida, cum sit nullum eorum matrimonium vitio clandestinitatis, non esse admittendos ad receptionem sacramentorum, nisi prius promiserint post impetratam dispensationem super impedimento mixtae religionis se fideliter executuros eas omnes conditiones, quae exiguntur in praefata dispensatione, et dein nisi consensum renovaverint coram catholico parocho, et duobus testibus, et tandem nisi obtinuerint prius absolutionem a censuris una cum poenitentiis salutaribus casu, quo matrimonium attentaverint coram ministro acatholico ».

472. Concludimus referentes verba S. C. de Prop. Fide ad. Archiep. Baltimorensem 25 *Jun.* 1884. « Post celebratas mixtas nuptias parochi gravi conscientiae onere se gravari sciant invigilandi, ut promissae a conjugibus conditiones observentur et effectum sortiantur ». Et S. C. Inqu. in cit. instructione 12 *Dec.* 1888 in fine : « Et quoniam in gravissimo hoc negotio solius presbiteri arbitrio nil est relinquendum, ipsis injungendum erit, ut de quolibet mixto matrimonio contrahendo quantocius Episcopum certiorem reddant, accuratissime delatis omnibus rerum, locorum, et personarum circumstantiis. Tam Episcopi, quam parochi sedulo invigilent, ut conjuges datas cautiones fideliter adimpleant ».

§ 3ª. — *De impedimento indignitatis ratione peccati, aut censurae, aut ignorantiae catechismi.*

473. Qui in statu peccati mortalis versatur, aut censura innodatur, aut ignorat ipsa elementa doctrinae Christianae *indignus* est et dicitur, et nequit sine sacrilegio sacramentum matrimonii recipere, nisi prius peccati remissionem, aut absolutionem a censura obtinuerit, aut doctrinam Christianam, quantum satis est, edoctus fuerit, licet profecto his defectibus non obstantibus, matrimonium forte initum validum foret. Haec per se clara sunt, sed aliis quaestionibus non levis momenti januam aperiunt.

474. Et in primis quaeritur, an pars digna noscens alterius indignitatem licite possit cum ea nuptias inire ; vide-

Digitized by Google

retur enim non posse, quia sacramentum indigno ministrat, et simul ab indigno recipit. At e contrario D'Annibale *III*, § 329, communem doctrinam hac in re reassumens, haec habet: « Hujus sacramenti ministri ipsimet contrahentes invicem sunt, ipsi et subjecti ; ideo quisque cavere debet ne contrahat cum indigno, neve contrahat indignus ipse. Indignum accipimus, qui aut lethali aut censura tenetur, prout alias, et praeterea qui ignorat ea rudimenta fidei, quae filios nascituros docere oportet. Nihilominus qui contrahit cum indigno, a lethali excusatur : non enim peccat, qua ministrat indigno, quia est minister lato quodam sensu et quasi per consequens (1), nec qua petit ab indigno, quia id sola charitas vetat (Proleg. § 175, not. 70) et incommodum grave, quo cessat, heinc vix abest, aut ne vix quidem » (2). Proinde si aliqua ei sit ratio, ab omni culpa pars digna excusatur. Ben. XIV *De Syn. IX*, *III*, *n.* 5 eorum opinionem refellit, qui asserunt matrimonium mixtum etiam remoto perversionis periculo et obtenta ab Apostolica Sede dispensatione esse intrinsece malum, quia pars catholica personae indignae sacramentum ministrat; refellit, inquam, exemplo sanctarum foeminarum catholicarum, quae non modo cum haereticis, sed etiam cum infidelibus matrimonium contraxerunt ; auctoritate Concilii Generalis Chalcedonensis, quod *can.* 14 permittit catholicis matrimonium cum parte haeretica, Judaea et ethnica, si haec promittat *se ad ortodoxam fidem transferre* ; tandem auctoritate catholicorum Principum eorumque consiliariorum qui petunt, et RR. PP. ac CC. RR. quae concedunt dispensationem ad contrahendum matrimonium cum haeretica sine clausula : *Abjurata prius haeresi.*

475. Potius igitur videndum utrum parochus ac testes valeant sine peccato matrimonio indigni assistere. Et quoad testes facile excusantur, quippe tenentur impedire alterius sacrilegium non officio, sed sola charitate. Proinde quoties potest parochus, certe possunt et testes, pro quibus longe minores rationes sufficerent, quin teneantur ulterius inqui-

(1) Lugo *De sacram. VIII, XIV.*
(2) Lugo *l. c. n.* 230. Croix *VI, I, n.* 597.

Digitized by Google

rere (1). Quoad parochum autem absque dubio potest et debet assistere, quoties indignitatem novit ex solo foro interno. Videamus an possit, quando hanc notitiam habet ex foro externo.

476. Ben. XIV *De Syn. VIII, XIV n.* 5 docet parochum non posse licite sua praesentia et auctoritate firmare contractum, quem scit a contrahentibus sacrilege iniri; quod recto sensu intelligendum est. Nam in primis id non est intrinsece malum ita ut numquam licitum esse possit, quia parochus assistit uti testis; atqui assistere uti testem etiam sacrilegio non est intrincese malum, ita ut nullo in casu licere queat. Secus Ecclesia numquam permittere posset, ut parochus assistat matrimonio mixto vel matrimonio indigni quacumque ex causa, et tamen permittit (2). At parochus licite assistere nequit, quia tenetur peccatum impedire tum ratione simplicis charitatis, tum ratione muneris parochialis, quae tamen rationes non semper urgent. Haec principia singulis indignitatis casibus applicemus.

477. Quoad indignos *ratione peccati* haec *jure communi* statuenda sunt. Si confessio sacramentalis est ipsis (peccatoribus occultis) de consilio tantum (n. 197), parochus assistere debet, quia forte contritione digni sunt; si e contrario confessio sacramentalis est ipsis (peccatoribus publicis) de praecepto, parochus, peracta ab indigno sacramentali confessione, assistere debet, etsi ficte ad poenitentiae tribunal indignus accesserit, quia in foro externo est dignus; non peracta ab eodem sacramentali confessione, assistere non potest (3). Publicus autem peccator est « cum crimen sit notorium vel jure, quando scilicet quis de eo juridice convictus est; vel facto, cum scilicet commissum est in loco publico; vel fama nempe cum ex sufficientibus indiciis crímen pervenit ad multos, et hoc etiamsi aliquibus ex praesentibus crimen sit occultum » S. Alph. *VI, n.* 44 (4). Idem S. Doctor *cit. n.* 54 subdit: « Parochus autem excusari po-

(1) D'Annibale *III,* § 330. S. Alph. *VI, n.* 52.
(2) D'Annibale *l. c. et not.* 8.
(3) S. Alph. *VI, n.* 54.
(4) Vide etiam Rit. Rom. *De Euchar.*

Digitized by Google

test ad vitandam mortem, aut alia graviora mala communitatis vel ipsorum contrahentium, puta ne ipsi perseverent in peccato ». Alii probati AA. etiam mala minus gravia excusare autumant (1), e. g. si sponsi sunt matrimonio civili conjuncti, aut periculum est, ne illud ineant sine religipso ; item si, omnibus perpensis, graviora mala ex recusata assistentia sequerentur. Sed parochus, etiam urgente sufficienti causa, consulat Ordinarium, qui in casibus particularibus statuet, quod magis in Domino expedire judicaverit. Si vero unus tantum contrahens est peccator publicus, qui renuit ad sacramentum poenitentiae accedere, benedictio nuptiarum dari poterit favore partis dignae, etiam ex minoribus causis. Ast parochus etiam in hoc casu consulat Ordinarium ejusque instructiones sequatur. *Jure particulari*, si confessio sacramentalis semper praescripta est, parochus, hac ab utraque parte peracta, assistat, secus recurrat ad Ordinarium, qui in concedenda licentia assistendi superius exposita prae oculis habebit.

478. Haec omnia illustrant sequentes declarationes S. Sedis. In primis regulam generalem assignat S. C. de Prop. Fide 17 *Apr.* 1820. Quaesitum fuerat : « Quid agendum cum pravis iis catholicis qui renuunt peccata confiteri, priusquam ad matrimonium accedant ? » S. C. respondit : « Si catholici, de quibus in dubio, sint veri publici peccatores, non sunt admittendi, nisi parochus ex causis vere gravibus excusari possit, quae recensentur penes probatos AA., quos consulat. Si sunt peccatores occulti, praemissa salutari admonitione, etiamsi peccata sua confiteri recusaverint, non sunt a matrimonio excludendi ».

479. Cum vero apostata, durante apastasia, sit profecto publicus peccator, parochus ejus matrimonio non assistet. Die 28 *Nov.* 1796 quaesitum fuerat a S. C. de Prop. Fide « Se si puo permettere il matrimonio ad un cattolico battezzato, il quale per essere maggiormente in grazia del Governatore, si fa turco, e dopo un tempo prende per moglie una cattolica? » (2) S. C. reposuit « Negative, durante apostasia ».

(1) Ballerini-Gury *II, n.* 769. De-Lugo *De sacram. VIII, n.* 219 *sequ.*
(2) *Latine* : An possit permitti matrimonium catholico baptizato, qui ut

Digitized by Google

480. S. C. Officii sequentia dubia proposita fuere « 1° An licitum sit matrimoniis eorum assistere, qui non solum sint e secta Protestantium, sed etiam e societate Muratorum Liberorum, si hujusmodi ducere velint catholicas ? 2° Si petentes matrimonium fuerint equidem catholici, sed obliti ac omnino expertes religionis per varios annos, tandem socios se junxerint Liberis Muratoribus, si hujusmodi velint matrimonium contrahere cum catholicis, quin prius Liberis Muratoribus renuntiaverint, num licite talibus matrimoniis assistendum est ?

S. C. 21 *Aug.* 1861 reposuit: « Quoad assistentiam matrimoniis eorum, qui pertinent ad societatem Liberorum Muratorum, parochi et missionarii se gerant, uti cum agitur de praestanda assistentia matrimoniis eorum, qui tamquam publici peccatores habentur. Cum vero usque adhuc Apostolica Sedes nullum generale decretum super hac re tulerit, oportet ut pastores caute ac prudenter se gerant: et debent potius in casibus particularibus ea statuere, quae magis expedire in Domino judicaverint, quam generali regula aliquid decernere. Certe boni pastoris partes erunt, quantum sine clamoribus et scandalis fieri poterit, hujusmodi connubia impedire. Confessarii praesertim in sacramento poenitentiae, qua instructione ac consiliis, qua adhortatione debent poenitentes graviter admonere, ne tali periculo se ac futuram sobolem temere exponant, cum nihil boni faustique expectari possit ab eo, qui Dei ejusque Ecclesiae leges tam inique contemnit. Quoniam vero denegata facultate contrahendi hujusmodi matrimonia nonnulli passione forsan abrepti, parochi ac testium praesentiam negligerent, initoque tantum contractu civili, vitam in concubinatu degerent; (quod ubi viget decretum *Tametsi* Conc. Trid. verissimum est) ideo, urgente necessitate pro casibus, ut dictum est, particularibus poterunt ea decerni, quae magis in Domino expedire fuerit judicatum ».

481. Huc spectat etiam responsio ejusdem S. C. ad Vicarium Apost. Bombajensem. Hic dubitaverat... « 2° Utrum

magis favorem gubernatoris sibi conciliet, Turcorum sectam amplectitur et deinceps ducit uxorem catholicam mulierem ?

Digitized by Google

juramentum Massonicum non retractatum considerari et tractari possit vel debeat ad instar impedimenti matrimonium impedientis aut etiam dirimentis, et quae cautelae exigi debeant, ut matrimonium puellae catholicae cum viro Franco Muratore jurato licite aut etiam valide a parocho benedici possit ».

S. C. *fer. IV, die* 21 *Febr.* 1883 reposuit : « ..... Ad 2um. Quod attinet ad matrimonium, in quo una contrahentium pars clandestinis aggregationibus notorie adhaereat, donec Apostolica Sedes generale decretum hac in re non ediderit, oportet ut pastores caute ac prudenter se gerant, et debent potius in casibus particularibus ea statuere, quae magis in Domino expedire judicaverint, quam regula generali aliquid decernere. Omnino vero excludatur celebratio sacrificii Missae, nisi quando gravia adjuncta aliter exigant » (1).

482. Si vero quaeratur quid agendum a confessario, si poenitens matrimonium contracturus non possit absolvi, Scavini *III*, *n.* 935 ex libro *Examen raisonné ou décisions théologiques*, *Lyon* 1851, respondet : « Vel poenitens putat in bona fide se posse matrimonium licite contrahere, etsi non

(1) Quaerere quis poterit quo fundamento Vicarius Apost. Bombajensis dubitare potuerit juramentum Massonicum posse esse impedimentum dirimens matrimonium. Fortasse hoc dubium ipsi ingessit responsio ejusdem S. C. S. Officii 15 *Oct.* 1865 male intellecta. Nam Episcopus Monterey in Statibus Unitis quaesiverat. « 1° Quid dicendum de matrimonio coram magistratu civili contracto inter duas personas in catholica Ecclesia baptizatas, sed quarum una vel ambae hic et nunc profitentur sectam protestantium, vel affirmant se non esse amplius catholicas ? 2° Quid quando ambae partes sunt catholicae, sed vir pertinet ad societatem Liberorum Muratorum, aut alterius societatis secretae ab Ecclesia damnatae » ? S. C. reposuit : « Matrimonia, de quibus agitur in primo quaesito, habenda esse uti valida, quando una vel ambae partes ante matrimonium sectam haereticam professae fuerint, aut aliquo modo publice constet eam vel eas religionem catholicam deseruisse ; matrimonia vero Liberorum Muratorum, de quibus agitur in secundo quaesito, generatim habenda esse uti nulla, quando contracta fuerint coram magistratu civili ; sed quatenus occurrat gravis difficultas, R. P. D. Episcopus recurrat in casibus particularibus, accurate expositis omnibus cujusvis casus adjunctis ». Jam vero nullitas matrimonii in altero quaesito est ratione clandestinitatis, quia publicato in loco decreto *Tametsi* catholici, etsi Liberi Muratores, tenêntur, protestantes autem eximuntur, sive quia publicatio decreti ipsos non affecerat, (n. 891 sequ.), sive vi extensae Benedictinae declarationis (974 sequ.) ; sed forte Vicarius Apost. Bombajensis, hanc responsionem dignoscens, suspicatus est illam esse ex Massonico juramento, ideoque dubium proposuit.

Digitized by Google

absolutus, vel cognoscit matrimonium requirere statum gratiae, ut licite contrahatur. In *primo casu*, si praevideatur poenitens monitioni obtemperaturus, moneatur se non posse sine gravi peccato matrimonium contrahere in statu peccati mortalis. Si e contra praevideatur monitionem contempturus, in bona fide relinquatur, et confessarius taceat de obligatione status gratiae ad matrimonium licite contrahendum, ne peccet formaliter, ubi fortasse solum materialiter peccabit. Dicat tamen poenitenti: Si matrimonium ineas, contende, ut vero dolore conteraris et contritionem perfectam habeas ante matrimonii celebrationem, et paulo post ad me revertaris, ut confessionem tuam perficere possis. In *secundo casu* confessarius debet poenitentem a matrimonio contrahendo retrahere usque dum absolvi possit, fortiter loquendo de sacrilegio, quod committunt matrimonium ineuntes in peccati mortalis statu. Si nihilominus matrimonium differre renuat, moneat ipsum confessarius ut omnino curet contritionem perfectam elicere. Confessarius ita se gerens, etsi non putet poenitentem adeo eximiam comparaturum esse dispositionem, non censetur sacrilegium approbare, cum contendat ut vitetur per contritionem perfectam ».

483. Quoad indignos ratione *censurae* eadem doctrina huc usque exposita applicanda est. Revera S. Poenitentiaria rogata, quomodo sese gerere debeat parochus in celebratione matrimonii illorum, qui censuris sunt notorie innodati, die 10 *Dec.* 1860 respondit: « Curandum pro viribus ut ecclesiasticis censuris innodati debito modo cum Ecclesia reconcilientur; at si recusent, et nisi matrimonium celebretur gravia damna imminere videantur, parochus Ordinarium consulat, qui, habita rerum et circumstantiarum ratione, omnibusque perpensis, quae a probatis AA. praesertim a S. Alphonso Lig. in sua *Theol. Mor. lib. VI*, *n.* 54 traduntur, ea declaret quae magis expedire in Domino judicaverit, exclusa semper Missae celebratione ». Quod si de vitandis agitur multo magis parochus consulere debet Ordinarium, qui assistentiam non permittet, nisi in casu omnino gravissimae necessitatis (1).

(1) Feje *n.* 277.

Digitized by Google

484. Tandem quoad indignos ratione *ignorantiae elementorum doctrinae Christianae*, rem optime pro more suo exponit Ben. XIV *De Syn. VIII, XIV.* Ibi reprobans statutum nonnullarum synodorum particularium et opinionem quorumdam theologorum (inter quos Sanchez *III, XV, n.* 9), qui cum ignorantiam doctrinae Christianae non invenerint in vulgatis versiculis, in quibus enumerantur impedimenta matrimonium impedientia, asserere proinde non dubitarunt neminem posse ob illam solam a matrimonio celebrando arceri, demonstrat in primis huic doctrinae et Rituale Romanum, et S. Carolum Borromaeum, et quam plurimas episcopales synodos, ac Summorum Pontificum edicta adversari. Deinde addit :

« Neque in contrarium facit, quod ajebat Sanchez, nimirum non posse Episcopum nova impedimenta matrimonium impedientia statuere. Huic enim difficultati in primis respondemus ab Episcopo repellente a matrimonio contrahendo ignorantes Christianae religionis necessaria rudimenta nullum de novo poni impedimentum, sed illud explicari et inculcari, quo iidem jam detinentur. Enimvero cum matrimonium inter fideles unum sit ex septem N. L. sacramentis a Christo D. institutis, atque e numero eorum quae dicuntur *vivorum*, nemo sine gravi sacrilegio illud celebrare potest in statu peccati mortalis..... Nec parochus licite eidem matrimonio assistit. Quamvis enim juxta communiorem magisque receptam sententiam non sit sacramenti matrimonii minister.., nihilominus in multis comparatur ministro, nec licite sua praesentia et auctoritate firmare potest contractum, quem scit a contrahentibus sacrilege iniri..... Qui autem fidei rudimenta ignorat, quae ex gravi praecepto scire tenetur, quamdiu illa non addiscit, cum potest, versatur in statu peccati mortalis, ac propterea jure ac merito a matrimonio contrahendo arcetur. Deinde idem Sanchez..... Basilius Pontius..... non solum in Episcopo, sed etiam in parocho facultatem agnoscunt impediendi ad tempus matrimonium ex aliqua rationabili causa, puta ad sedandum scandalum, vel ad detegendam alicujus objecti impedimenti veritatem, nec tamen inde confici autumant verum et proprium

Digitized by Google

impedimentum eorum auctoritate matrimonio appositum ; siquidem illa prohibitio temporaria est, atque ablato scandalo, et detecta falsitate objecti obstaculi, sine ulla dispensatione cessat et extinguitur. Idem autem contingit in re nostra. Episcopus enim ignorantibus Christianae religionis instituta et praecepta matrimonium interdicit solum ad tempus, donec scilicet illa addiscant ; quod si haec prohibitio diuturna sit et perseveret, id per accidens est, atque unice oritur ex culpa eorum, qui illis erudiri aut recusant aut negligunt.

Unum tamen advertendum addimus..... nimirum quandoque evenire, ut quis praecipua fidei nostrae mysteria et sciat et credat, caetera pariter, quae necessitate praecepti sunt addiscenda, aliquo saltem rudi modo perceperit, sed quia hebetis est ingenii et exilis memoriae, post omnem adhibitam diligentiam illa memoria retinere et recitare non valeat. In hoc autem rerum statu non debet perpetuo arceri a matrimonio, quod est institutum in officium naturae, et propterea nemini sine propria culpa est denegandum ; sed curabit parochus, ut qui eo memoriae defectu laborant, frequenter audiat quae semel crasse didicit, ne ab ejus mente penitus elabantur. Inter celeberrimas constitutiones Gibertinas editas a Joanne Matthaeo Giberto episcopo Veronensi... *tit. V, cap.* 23 legitur : *Cum autem quilibet Christianus orationem dominicam, symbolum Apostolorum et praecepta Dei atque Ecclesiae scire debeat, retinendo saltem sensum, sacerdotibus ac praedicatoribus munere sibi imposito, prout tenentur, fungentibus, nullus se in veritate excusare poterit, quod a quo necessaria ad salutem addiscere possit, non habeat. Ideo praemissa nescientes, ut magis confundantur... in faciem Ecclesiae ad matrimonium contrahendum non admittantur* ». Ubi Card. Augustinus Valerius *in notis* ad rem subdit : *Adverte non esse arcendos...., qui, ut necessaria ad salutem perdiscant, faciunt quod in se est, sicuti qui scholas doctrinae Christianae frequentant, quia non ob incuriam aut negligentiam, sed ob ingenii memoriaeve imbecillitatem ea non addiscunt.* In Concilio quodam Limano *can.* 4, *act.* 2 relato

Digitized by Google

per Mendozam *in notis ad can.* 12 *Concilii Illiberitani* agitur de hisce hominibus, qui, cum adeo crassa, ut vocant, minerva praediti sint, ut Christianam doctrinam juxta methodum, qua ab aliis memoriae mandatur, nullo modo addiscere valeant, ad sacramenta tamen accedere et signanter matrimonium contrahere cupiunt, atque ita cum iis agendum statuitur: *Qui vero iis tantis impedimentis gravati fuerint, ut copiosiorem catechesim non admittant, doceantur demum pro suo modo praecipua fidei capita, scilicet unum esse Deum omnium rerum auctorem, qui accedentes ad se vita aeterna remuneret, improbos et rebelles aeternis suppliciis in alio saeculo puniat: deinde hunc ipsum Deum esse Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, tres quidem personas, sed unum Deum verum: praeterea Filium Dei propter reparandam salutem hominum factum hominem ex Virgine Maria pro nobis passum, et mortuum, et tandem resurrexisse, et regnare in aeternum: hunc esse Jesum Christum Dominum, et Salvatorem nostrum: postremo neminem posse esse salvum, nisi credat in Jesum Christum, et poenitens de peccatis commissis, sacramenta ipsius suscipiat, baptismi quidem, si infidelis est, confessionis autem, si lapsus post baptismum, ac denique statuat ea servare, quae Deus et Ecclesia Sancta praecipiunt, quorum summa est, ut Deum diligat super omnia, et proximum sicut seipsum.*

SCHOLION.

De matrimonio filiorum sine consensu parentum.

485. In primis evidens est parentes non posse pro filiis invitis aut nescientibus matrimonium validum inire, cum in eorum corpus non habeant potestatem in ordine ad matrimonium, ideoque alteri eam tradere nequeant. Quod si plerique DD. tradunt matrimonium sicut sponsalia valere a parentibus pro filiis praesentibus et tacentibus contractum, id inde est, quia hoc silentium in foro externo habent sufficientem manifestationem consensus personalis filiorum (n. 831). Pariter parentes non possunt filios cogere aut obli-

Digitized by Google

gare ad contrahendum matrimonium (n. 213), aut ad contrahendum cum his vel illis. Tantum eis permissum est filios ad nuptias invitare ob aliquam justam causam e. g. ad tollenda gravia dissidia, vel ad sublevandam gravem necessitatem parentum, familiam propagandam, facultates ampliandas, nobilitatem augendam ; nec filii tenentur obedire ratione praecepti parentum, sed ad summum ratione pietatis aut charitatis vi ipsius causae (1). Videamus potius an filii valeant nuptias inire, invitis aut inconsultis parentibus.

486. Hoc matrimonium esse validum est de fide contra Lutherum, Bucerum, Erasmum. Nam Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. I de ref. mat.* anathemate damnat eos qui « falso affirmant matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse ». Ratio ultima est, quia filiifamilias habent potestatem in proprium corpus, nec parentes habent potestatem in corpus filiorum suorum in ordine ad matrimonium. Proinde filii, ipsis invitis aut inconsultis, valide possunt hanc potestatem alteri dare, in qua datione matrimonium consistit. Ecclesia hoc matrimonium posset quidem irritum reddere, parentibus rationabiliter invitis, sed notum est Conc. Trid. hoc postulatum oratorum regis Galliae admittere noluisse (2). Pontius *II, I, n.* 5 *sequ.* putat primis Ecclesiae saeculis haec matrimonia fuisse invalida : eruditi videant, an canones et Patres, quos citat, recte intellexerit. S. Alph. *VI, n.* 849 hanc opinionem mere historicam habet non satis probabilem.

487. At si parentes sint inviti ex rationabili causa hoc matrimonium esse graviter illicitum omnes admittunt (3) ; e. g. si ex matrimonio familiae dedecus, aut scandala, aut dissentiones, aut aliud grave damnum oriturum est. Hinc nonnulli dissensum parentum rationabilem inter impedimenta impedientia recensent. E contrario matrimonium licitum est

(1) S. Alph. *VI, n.* 850 cum D. Thoma.
(2) Card. Pallavicini *Hist. Conc. Trid. XXII, I, n.* 16 *et* 17; *XXII, IV, n.* 1 *sequ.* ; *XXIII, V, n.* 17.
(3) D'Annibale *III*, § 332. Marc *n.* 973 *in fine*. Sanchez *IV, XXIII, n.* 11. S. Alph. *VI, n.* 849. *Tertia* in fine cum communi.

Digitized by Google

undequaque, si parentes inviti sunt, quia vel nolunt filium (aut filiam) nuptias inire ; vel volunt ei uxorem indignam, aegram, durae cervicis contra ejus voluntatem dare ; vel si filius a parentibus injuste opprimeretur (1). Attamen in iis casibus parochus consulat Ordinarium : quod nonnullae synodi expresse praecipiunt. Praeter hos casus an parentibus invitis sine justa causa, hoc matrimonium sit graviter aut leviter tantum, aut nullatenus peccaminosum disputant DD., et S. Alph. *l. c.* erudite exponit quatuor sententias. Proinde prudens confessarius suadebit quidem filiofamilias, ut parentum morem gerat, sed non debet obligationem ei imponere ab ineundo matrimonio resiliendi : parochus autem Ordinario omnia exponat. Multo magis matrimonium licebit, si unus parentum consentit, alter dissentit. Quod si parentes consulti taceant, si conjectura talis est, quod taceant, quia dissentiunt, e. g. si tacent, ne displiceant domino, vel amico, tunc taciturnitas habenda est pro expresso dissensu ; si vero conjectura est, quod taceant vel quia consentiunt juxta *reg.* 43 *juris in* 6°: *Qui tacet consentire videtur*, vel quia nuptias nec approbant nec reprobant juxta *reg.* 44 *juris in* 6°: *Is qui tacet non fatetur, sed nec utique negare videtur*, matrimonium licitum erit (2).

488. Inconsultis vero parentibus, matrimonium inire insignis contemptus est, qui a culpa excusari non potest (3). Hic autem contemptus et consequens culpa non verificaretur, si filius longe abesset, et non posset commode eos certiores facere, aut crederet eos esse consensuros ; itemque e contrario si rationabiliter timet eos esse injuste nuptias impedituros.

(1) S. Alph. *l. c.* prope finem cum communi.
(2) Scavini *III*, *n.* 758.
(3) Sanchez *IV*, *XXIII*, *n.* 10. D'Annibale *III*, § 332.

Digitized by Google

Articulus II

De impedimentis dirimentibus in specie.

489. Sicut impedientia ita et dirimentia impedimenta nonnullis versiculis memoriae juvandae causa solent ab AA. exhiberi. Magis vulgati sunt sequentes.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Aetas, affinis, si clandestinus, et impos,
Raptave sit mulier loco nec reddita tuto :
Haec facienda vetant connubia, facta retractant.

Quinam poeta fuerit, non inquirimus. Tantum animadvertimus his versiculis commisceri impedimenta dirimentia ex parte *personae*, *consensus*, *formae* ; insuper inter impedimenta dirimentia ex parte consensus deesse defectum debitae discretionis et simulationem ; tandem nonnulla impedimenta dirimentia ex parte personae insufficienter et male expressa esse ; e. g. *conditio* significat conditionem contra matrimonii substantiam, et errorem conditionis servilis (1).

490. Juxta ordinem n. 248 statutum nos in praesenti seponimus impedimenta dirimentia ex parte consensus et ex parte formae, ac solum exponimus ea, quae se tenent ex parte personae. Haec autem sunt decem, scilicet *aetas*, *impotentia*, *raptus*, *votum*, *ordo sacer*, *cultus disparitas*, *ligamen*, *error conditionis servilis*, *crimen* quod est quadruplex, *cognatio*, quae quintuplex est. Non omnes AA. eodem ordine haec impedimenta distribuunt : nos eadem evoluimus unum post aliud, prouti modo enarrata sunt. Unum addimus, Conc. Trid. jus commune in pluribus innovavisse, quod *sess. XXIV, cap. III de ref. mat.* ait « Docet experientia propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque S. Synodus huic incommodo providere et a cognationis spiritualis impedimento incipiens..... ».

(1) Berardi *III, IV, VII, quaest. I.*

Digitized by Google

§ 1°. — *De impedimento aetatis* (1).

491. Ut primum hoc impedimentum clare exponamus, in primis animadvertimus, *pubertatem* esse potentiam generandi quae ex habitu corporis constat, ut traditur *cap.* 3 *cit. tit.*, quaeque de facto plerumque adesse solet in masculis an. XIV completo, in foeminis an. XII completo : cur autem foemina citius pubescat quam masculus, vide apud Gonzalez in *comm. cit. cap.* 3. « Apud priscos Romanos jurisconsultos acris exarserat controversia in scholis Cassianorum et Proculejanorum : nimirum Proculejani ex annis, Cassiani ex corporis habitu pubertatem existimabant, uti testatur Ulpianus *in fragmentis tit. XI*, § 28 ». Berardi *tom. III*, *disp. IV*, *cap. II*. Primus Justinianus statuisse videtur pubertatem esse dimetiendam ex annis *l.* 3 *C. Quando tutores*, indecoram dicens Cassianorum disciplinam : nempe statuit masculos in jure haberi puberes an. XIV completo, foeminas an. XII completo, quin necesse sit corpus inspicere. Ecclesia hanc legislationem adoptavit. Equidem in *cit. cap.* 3, *De desp. imp.* S. Isidorus Hispalensis scribit puberes ex habitu corporis potius appellari. Sed « id pertinet ad simplicem nominis etymologiam, quam sanctus vir explicabat de vocabulorum derivatione tantum sollicitus, non vero ad juris effectus, quibus ratio haberetur conjugii contrahendi, de quibus Isidorus minime agebat » Berardi *l. c.*

492. Jam vero Ecclesia declaravit illicitum ac irritum matrimonium ante utriusque partis pubertatem, idest inter virum ante an. XIV completum, et foeminam ante an. XII completum, quae proinde dici solet *aetas nubilis*, *anni nubiles*, *aetas apta*, *anni apti ad matrimonium*, prout canones loquuntur. « Districtius inhibemus, ait Nicolaus Papa in *cap.* 2 *cit. tit.*, ne aliqui, quorum uterque vel alter ad aetatem legibus vel canonibus determinatam non pervenerit, conjungantur ». Ubi Glossa v. *canonibus* advertit hanc aetatem esse in masculis an. XIV, in foeminis an. XII. Quod

(1) Vide canonistas in *tit. II, Lib. IV Decret. De desponsatione impuberum.*

Digitized by Google

insuper satis colligitur pro masculis *ex cap.* 10, *et* 11, pro foeminis ex *cap.* 6, *et ult. cit. tit.* Hoc igitur est aetatis impedimentum. Idem aderat jure Romano nuptias impuberibus pariter vetante *l.* 14 *ff. De sponsalibus*, et inde Ecclesia illud deprompsit. Hinc Nicolaus Papa verbis relatis dicere potuit *aetatem legibus vel canonibus determinatam*, quia eadem aetas utroque jure requiritur. Recentiores legislationes maturiorem aetatem exigere solent.

493. Hoc impedimentum est juris naturalis ante debitam in utraque parte mentis discretionem ad matrimonium ineundum, quae in foro externo praesumitur advenire cum puberbate (n. 777 sequ.) ; est juris ecclesiastici tantum, si impubes de facto contra praesumptionem juris habeat debitam mentis discretionem sine potentia generandi ; nam jus naturale actualem generandi potentiam ad conjugii validitatem non exigit. Confirmatur ex *cit. cap.* 2 *cit. tit.* ubi Nicolans Papa post relata verba addit. « Nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis talis conjunctio toleretur ». Berardi *l. c.* et in *Adnotationibus in canones Gratiani can.* 1, *q.* 30. *c.* 2, ex quo *cit. cap.* 2 desumptum esse videtur, probat hoc caput esse apocryphum, praesertim vero relata verba recentiori manu adiecta esse. Quidquid de hoc sit, cum hoc caput cum illis verbis Greg. IX in suam decretalium collectionem retulerit, legem facit. Si autem Ecclesia aliquando in eo dispensat, sequitur hoc impedimentum non esse juris naturalis. Equidem in *cap.* 8 *cit. tit.* Alex. III ait : « ante nubiles annos conjugalem consensum non habent (pueri) ». Sed id intelligitur ex simplici juris praesumptione ; aliquando enim consensum impuberes habere posse, non est dubium. Fertur Greg. XIII 13 *Apr.* 1583 rogatum ut in hoc impedimento dispensaret, respondisse id Sedem Apostolicam non posse. At vel id numquam dixit Pontifex, vel dixit relate ad illum casum particularem, quo forte necessaria mentis discretio deerat, vel significavit Sedem Apostolicam non facile hanc dispensationem concedere (1).

(1) Sanchez *VII, CIV, n.* 9. Schmalz. *IV, II, n.* 52. Santi *IV, II, n.* 11 *sequ.*

Digitized by Google

Ecclesia autem hoc impedimentum tulit, tum quia ante pubertatem, licet forte habeas contra juris praesumptionem doli capacitatem natura requisitam pro matrimonii valore, ea erit necessario debilior; tum quia multae rationes suadent matrimonium non esse permittendum juvenibus ante actualem potentiam, quae dicta aetate adesse solet : imo plerumque minime expedit statim post ipsam nuptias inire. Ad rem Lehmkuhl *II*, *n.* 748 in nota: « Aetas illa ab Ecclesia statuta ubique valoris quidem matrimonii norma est, at non ubique norma licite et convenienter matrimonium contrahendi. Ecclesia enim debuit regiones etiam meridionales respicere, ubi natura maturius completur ; in frigidioribus autem regionibus sane non expedit, imo vix licebit ad nuptias transire, cum primum canonica aetas adfuerit. Raro videtur ibi convenire ut puella ante XVIII aetatis an., juvenis ante XX matrimonium ineat, saepe etiam ulterius expectandum erit, ne ante aetatem robustiorem vires debilitentur. Ex altera autem parte pro integritate morum sane optandum est, ne tempus inendi matrimonii nimis differatur : judicium Ecclesiae ex hoc solo jam habes, quod annos viginti quatuor in puella pro *aetate super adulta* sumat, atque pro causa dispensationem ab impedimento cognationis concedendi. Similiter in adolescentibus aetatem notabiliter majorem vel etiam XXX annum usque expectare, mos est nullatenus laudandus ».

Hinc Instructio Austriaca § 72: « Procurandum est ut avertantur matrimonia eorum, qui annum quidem XIV et respective XII absolverunt; ast nondum attigerunt aetatem, qua pro terrae gentisque ratione aptitudo ad matrimonium debita cum deliberatione incundum et maturitas physica adesse solet ». Modo hoc impedimendum melius determinandum est.

494. Post pubertatis aetatem matrimonium per se valet, etsi in alterutra vel utraque parte pubertas de facto nondum advenerit, dummodo adsit debita mentis discretio (quod praesumitur) sine ullo alio canonico impedimento. Nonnulli negant cum Glossa *cit. cap.* 3 *cit. tit. v. tardissime*, quia ex *cit. cap.* 3 alterutra vel utraque pars in casu est impu-

Digitized by Google

bes : atqui matrimonium inter impuberes, aut inter puberem et impuberem nullum est. Sed communis sententia affirmat (1) : nam in casu est impubes *de facto*, de qua pubertate loquitur S. Isidorus *l. c.*, sed est pubes *de jure*, cum jus ex annis pubertatem desumat (n. 491). Nimirum jus statuit hanc esse aetatem aptam ad matrimonium ; igitur, ea transacta, impedimentum ecclesiasticum aetatis obesse amplius nequit. Aliunde actualis potentia jure naturae non requiritur ad conjugii validitatem. Quod si impubertas de facto cum impotentia perduret etiam post an. XVIII in masculo, post an. XVI in foemina, quo completa et perfecta pubertas verificari solet, praesumitur perpetua, et matrimonium potest esse nullum ex capite impotentiae.

495. At ante pubertatis aetatem matrimonium est nullum, etsi ad complementum an XIV vel respective XII parum desit. Ad rem Schmalz. *IV, II, n.* 59 « Clare colligitur ex *cap. continebatur* 6 *h. t.* ubi ad valorem matrimonii puellae non duodennis ponderatur eam proximam XII an. fuisse et a viro cognitam. At si non putaretur XII annus completus, non esset opus ponderare utrumque : ergo. Confirmatur ex *cap. Attestationes* 10 *eod.* ibi : *Antequam ad an. XIV pervenisset*, et ex *cap.* 11 *ib.* ubi ponunt verba : *Donec compleatur annus XIV.* Denique *cap. fin. eod.* proponitur casus de puella, quae circa XII annum nupsit, et tamen deciditur conjugium non valuisse, nisi malitia suppleat aetatem, ubi Glossa *v. circiter* ait ad modicum tempus referri eam ditionem. Sentit ergo textus non valere matrimonium foeminae, cui modicum tempus ad XII an. completum deficit, nisi malitia suppleat aetatem. Et ita fatentur universim DD. in textibus allegatis texte Sanchez *VII, CIV, n.* 1 » Sanchez *l. c.* merito reprehendit illos qui putant valere matrimonium, licet desint tres dies. At docet valere. si ultima dies an. XIV vel XII incoepta fuerit, quia propter favorem matrimonii, jure tacente, dies incoepta habetur pro completa (2). Id non

(1) Schmalz. *IV, II, n.* 51. Sanchez *VII, CIV, n.* 15. Reiff. *IV, II, n.* 7. Pirhing *IV, II, n.* 35, *not.* 4. Lehmkuhl *II, n.* 748. D'Annibale *III,* § 300. S. Alph. *VI, n.* 1067.

(2) Schmalz. *l. c. n.* 60, aliique apud ipsos. Folium S. C. C. in *Neapolitana Matrimonii* 1 *Oct.* 1720.

Digitized by Google

omnibus arridet (1), ideoque si agatur de matrimonio ineundo, numquam permittatur, nisi completa quoque ultima die ; si agatur de matrimonio inito, favendum matrimonio, donec S. Sedes aliud non declaraverit. Caeterum annus computatur non a baptismate, sed a nativitate, et prima dies pro completa habetur. Cum vero Vicarius Apost. de Chen-si in Sinis quaesivisset, num aetas ad matrimonium apta computari posset juxta annos lunares, prouti mos est in Sinensi imperio, S. C. S. Officii die 7 *Maii* 1890 reposuit : « Gli anni richiesti dai sacri canoni per la validità del matrimonio sono anni solari, non lunari, e da computarsi da giorno a giorno, ossia dal giorno della nascita al giorno in cui si celebra il matrimonio. Che se cio non possa farsi (2), si computi l'età secondo l'anno lunare, aggiungendovi un mese » (3). Quod si fiat, rursus habebitur canonica aetas, cum annus lunaris habeat duodecim menses viginti octo dierum, et nonnullarum horarum. Utrum vero matrimonium revalidetur adveniente legitima aetate vide n. 1136.

496. Quamquam matrimonium ante nubiles annos regula generali irritum sit, est tamen in jure expressa exceptio, nempe *nisi malitia suppleat aetatem* ex *cap.* 9 *cit. cit.*, vel *nisi prudentia suppleat aetatem*, ut habet *cap. ult. ejusd. tit.* Verba Alex. III in *cit. cap.* 9 haec sunt : « Si illi, qui in minore aetate desponsantur, ita fuerint aetati (id est pubertati) proximi, ut potuerint copula carnali conjungi, non debent minoris aetatis intuitu separari, si unus in alterum consenserit, cum in eis malitia aetatem supplevisse videatur... » Exinde patet malitiam seu prudentiam quae aetatem supplet, esse actualem potentiam generandi, una cum judicii maturitate naturali jure necessaria (4). Proinde si adest potentia generandi etiam in utraque parte sine debita men-

(1) Reiff. *IV, II, n,* 13. Feje *n.* 532.

(2) Scilicet ob imperitiam reducendi annos lunares ad annos solares.

(3) *Latine* : Anni requisiti a sacris canonibus pro validitate matrimonii sunt solares non lunares atque computandi de die ad diem, idest a die nativitatis in diem contrahendi matrimonii. Quod si id fieri nequit, computetur aetas secundum annum lunarem, adjecto mense.

(4) Sanchez *l. c. n.* 20. Pirhing *IV, II. n.* 37. De Angelis *IV, II, n.* 4. De Justis *II, VIII, n.* 44 *sequ.* Fagn. in *cit. cap.* 9, *n.* 3 citans S. C. C. Santi *IV, II, n.* 10. S. Alph. *VI, n* 1066, cum communi.

Digitized by Google

tis discretione vel in alterutra, matrimonium nequit esse validum ex ipso naturae jure ; si adest debita mentis discretio in utraque sine potentia generandi vel in alterutra, matrimonium est pariter nullum jure ecclesiastico, quia exceptio non verificatur, ideoque valet lex generalis ; tandem si adest potentia generandi simul cum debita mentis discretione in utraque, matrimonium valet (1). Ad rem De Justis *l. c.* « Eam aetatem XIV in masculo et XII an. in foemina ideo praescribunt (canones), quia tunc et non ante regulariter praesumitur habilitas non solum ad consensum conjugalem, sed etiam ad copulam : quare si de utroque ante dictam aetatem clara indicia appareant, non est cur matrimonium ante illam contractum debeat esse nullum, sed tunc cedit veritati praesumptio » (2). Seu Ecclesia hoc in casu potuisset quidem exigere pleniorem habilitatem, sed noluit matrimonium impedire : in quo legislatio canonica a jure Romano recedit, quod hanc exceptionem non admittit. Neque recentiores legislationes eam habere solent, nec mirum, cum pleniorem aetatem exigant.

497. Porro malitiam seu prudentiam supplere aetatem debet ante matrimonium probare ille qui asserit, cum ex dictis neque potentia generandi, neque sufficiens judicii maturitas ante pubertatem praesumatur. Sed post initas nuptias possidet matrimonium, ideoque probare debet ille qui negat. De hac probatione nonnulla dicenda sunt.

498. Et in primis pronuntiare an malitia in casu suppleat aetatem, non est parochi sed Ordinarii, vel Sedis Apostolicae. Ben. XIV in Const. *Magnae Nobis* 29 *Jun.* 1748 haec habet. « Declaratio haec potius dicenda erat, quam dispensatio, quum facultas contrahendi matrimonii ante praescriptum aetatis tempus, quoties malitia supplet aetatem, ab ipsa legum et canonum dispositione proveniat. Quin imo Episcopi ipsi et Ordinarii locorum jure suo pronuntiare possunt super ea quaestione, quae facti est, an scilicet malitia, ut asseritur,

(1) Proinde in altero solo casu locum habet impedimentum ecclesiasticum, quia in primo est impedimentum naturale, in tertio nullum est impedimentum.

(2) Pirhing *l. c.* Sanchez *l. c. n.* 5.

Digitized by Google

aetatem suppleat, et consequenter matrimonii contrahendi licentiam impertiri valeant. Neque necesse est Apostolicam Sedem adire, *nisi pro majori actus solemnitate, et ne de contractus matrimonii hujusmodi validitate propter minorem aetatem haesitari contingat*, ut habet formula quae in concipiendis literis declaratoriis super minori aetate adhiberi consuevit. Siquidem canonistae docent cumulativum jus esse inter Apostolicam Sedem et judices ordinarios cognoscendi et pronuntiandi de hac re, an scilicet malitia suppleat aetatem ». At si puer vel puella a nubili aetate valde distat, tutius est confugere ad Sedem Apostolicam, uti revera fieri solet, quae declarandi et dispensandi potestate pollet, si sola actualis coeundi potentia desit (1).

499. Proinde matrimonio ante legitimam aetatem sub praetextu malitiae supplentis aetatem parochus numquam assistat, sed recurrat ad Ordinarium. Quoties impuberes confugiunt ad Apostolicam Sedem pro obtinenda hac declaratione, committi solet Episcopo vel Vicario Generali ut « de praemissis te diligenter informes, et si per informationem eamdem tibi vere et legitime constiterit in hujusmodi impubere malitiam supplere defectum aetatis hujusmodi, explorata prius dictae N. voluntate, si ipsa sponte, non autem vi, metu, aut blanditiis, vel promissionibus ad hujusmodi matrimonium contrahendum inducatur... » licentiam Apostolica auctoritate concedat. Ubi illud *vere et legitime* intelligitur de efficacia inquisitionis, ac de numero et qualitate testium, minime vero de forma judiciali, de qua nulla fit mentio. Unde extrajudicialiter procedi potest, nisi aliquis contradictor interveniat ad inficiandum probationum valorem.

500. Ex hac inquisitione constare debet: 1° *actualis potentia generandi*. Haec praesumitur ex copula jam habita, vel etiam ex nisu ad copulam, ex menstruo in foemina, aut seminis effusione in viro, aliisque signis arbitrio Ordinarii, praesertim si pars sit pubertati proxima, quin necessaria sit inspectio corporum (2). 2° *Debita mentis discretio* (n. 777).

(1) Fagn. *l. c. n.* 32. Giovine I, § 293, *n.* 3.

(2) Sanchez *VII, C1V, n.* 24 *sequ.* Fagn. in comm. *cap.* 9, *cit. tit.* Giovine *I*, § 295, *n.* 6. S. Alph. *VI, n.* 1066.

Digitized by Google

Haec probatur per explorationem ipsius impuberis. Ordinarius per se vel per alium interroget impuberem seorsim a consanguineis an velit nubere, et cui, an dignoscat matrimonii vim et onera, an sciat se posse ea sustinere..... Testes quoque si necesse erit, audiendi sunt. Sanchez *l. c. n.* 27 docet ex potentia non praesumi mentis discretionem, et viceversa : at graves AA. apud eumdem *l. c. n.* 21 affirmant vix inveniri impuberem, cui praecoces ad generandum vires natura tribuerit, cui non et praecocem quoque prudentiam dederit. 3° *Plena libertas* et *advertentia*, seu impuberem non induci ad matrimonium vi, metu, blanditiis, promissionibus : qua etiam de re Ordinarius impuberem interrogabit, et testes audiet. Interrogationes vero et responsiones in actis referantur.

501. Si Ordinarius, omnibus perpensis, persuasum habet pro sua prudentia malitiam in casu revera aetatem supplere, dabit non quidem dispensationem sed simplicem contrahendi licentiam. Si e contrario pro certo putat malitiam non supplere aetatem, matrimonium interdicet, et partes, si velint, possunt dispensationem ab aetatis impedimento ab Apostolica Sede expostulare, quando deest sola generandi potentia. Tandem si probatio dubium relinquat an malitia aetatem suppleat, cum dubium sit facti (n. 255) matrimonium non permittet, et rem deferet ad Sedem Apostolicam.

502. Heic referre juvat responsionem S. C. S. Officii 28 *Jun.* 1865. Vicarius Apost. Pondicheriensis exposuerat :

« Quaedam mulier ex Protestantium secta declarat se undecim annos natam matrimonio junctam fuisse cum quodam viro ejusdem communionis, atque cum illo per aliquot annos habitasse, deinde ab eodem derelictam fuisse. Lege Anglica in Indiis est statutum absentiam per septem annos fugitivi conjugis aequivalere morali certitudini de ejus morte, si ipse post ejusmodi spatium per publicas ephemerides invitatus haud se manifestet. Cum id in casu evenisset, dicta mulier voluit cuidam catholico nubere. At cum catholicus presbyter eorum conjugium benedicere renuisset, eo quod de prioris viri morte minime constaret, illi coram ministro acatholico matrimonium contraxerunt ; quod matrimonium

Digitized by Google

juxta S. Sedis indultum pro Indiis esset validum, si nullum aliud obstaret impedimentum. Hinc quaeritur: 1° Utrum provisiones legis civilis de absentibus conjugibus locum certitudinis moralis de eorum morte tenere possint, ac consequenter utrum derelicti conjuges, perfectis et impletis istis provisionibus, aliud matrimonium legitime contrahere valeant. 2° In praesenti saltem casu, cum illae duae personae, civili lege nixae, aliqua cum bona fide contraxerint, ac prius mulieris matrimonium defectu aetatis fortasse invalidum fuerit, possuntne ad sacramenta admitti? »

S. C. reposuit: « 1° Juxta expositum negative, et expendendos esse casus particulares ab ipso Vicario Apost. juxta instructionem, quae eidem communicetur. 2° Quoad defectum aetatis, praevia advertentia, quod admodum difficulter ex hoc capite, juxta exposita, probari posset nullitas matrimonii in casu, nihilominus si Vicario Apost. ita videbitur, fiant acta opportuna ad probandum, 1° mulierem primum matrimonium contraxisse ante completum an. aetatis suae XII: 2° eo tempore malitiam non supplevisse aetatem: 3° nec post adeptam pubertatem habuisse copulam cum viro » (1)...

503. Praeter hanc exceptionem malitiae supplentis aetatem nonnulli ex *cit. cap.* 2 *cit. tit.* aliam quoque adstruunt. Scilicet putant in casu urgentissimae necessitatis e. g. pacis conservandae aut conciliandae, matrimonium ante pubertatem valere, etsi malitia non suppleat aetatem, dummodo adsit judicii maturitas. Nam Nicolaus Papa *l. c.* ait: « Nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis, talis conjunctio toleretur ». Haec doctrina vera non est, et illa vox *toleretur* intelligenda est de dispensatione a legitimo superiore concessa, de qua infra (2).

504. Ex dictis patet matrimonium ante nubiles utriusque partis annos, nisi malitia suppleat aetatem, nullum esse. At si utraque pars septennium explevit, matrimonium aetate nullum habet vim sponsalium ex *cap. ult. cit. tit.*, et *cap.*

(1) Collect. Paris. n. 974. Vide etiam hac de re S. C. C. in *Theatina Matrimonii* 4 *Junii* 1763, 16 *Mart.* 1771, 29 *Aug.* 1772, 23 *Jan.* 1773.

(2) Fagn. in *comm. cit. cap.* 2, et *cap.* 9, *ejusd. tit.*, *n.* 26 *sequ.*; Feje, *n.* 536.

Digitized by Google

un. cit. tit. in 6° ibi : « Idem quoque (idest impedimentum publicae honestatis producitur) si pubes, et impubes, vel duo impuberes, non proximi pubertati, et in quibus aetatem malitia non supplebat, per verba contraxerint de praesenti ; sponsalia enim illa, quae juris interpretatione tantum fuerunt sponsalia de futuro (licet verba consensum exprimentia de praesenti haberent, et matrimonium contrahere intenderent contrahentes), per adventum pubertatis in matrimonium non transeunt de praesenti... ; per dictum tamen contractum qui valuit ut potuit, non sicut agebatur, publicae honestatis justitia est inducta ». Id quidem certum est, sed quomodo est intelligendum ? Plerique cum glossa in *cit. cap. ult. v. subarrhata* censent in casu juris interpretatione esse verum sponsalitium contractum, quatenus jus praesumit contrahentes voluisse se obligare in ordine ad matrimonium modo quo potuerunt, ideoque inhabiles ad matrimonium voluisse sponsalia, nisi haec expresse excluserint (1). Praeferimus interpretationem Berrardi *Jus Ecc. Un. vol. II, diss. II, cap. IV, qu. II.* Nimirum ut habeantur sponsalia, requiritur et intentio et expressio *de futuro* matrimonio (n. 28) (2). Atqui in casu nostro, quidquid sit de contrahentium intentione (n. 17), expressio est de praesenti. Ergo vera sponsalia reipsa esse non possunt. Dices : jus expressionem de praesenti interpretatur pro expressione de futuro. Respondemus hanc interpretationem esse legitimam, ob rationem a patronis communioris sententiae supra allatam, si expressio est dubia utrum sit de praesenti an de futuro, de quo casu agit Inn. III in *cit. cap. ult.* : at si expressio est manifeste de praesenti, huic interpretationi locum esse non posse. Age vero, quamvis hic contractus nequeat esse verus sponsalitius contractus, quia expressio est de praesenti, tamen jus canonicum illum considerat tamquam spon-

(1) Schmalz. *IV, II, n.* 61 *sequ.*; Sanchez *I, XXI, n.* 2 ; Reiff. *IV, II, n.* 18 ; Gonzalez in *cit. cap. ult. n.* 4 ; Santi *IV, II, n.* 14 *sequ.*; Feje, n. 534 ; De Angelis *IV, II, n.* 6.

(2) Vide Ben. XIV *Inst. Ecc.* 49, *n.* 23, ubi negat contractum per verba de praesenti, licet intentio fuerit de futuro, posse esse sponsalia, contrariam doctrinam appellans *insanam* et *falsam*. D'Annibale, *III*, § 370 *not.* 7.

Digitized by Google

salia de futuro, prohibens alia contrahere ante pubertatem, et statuens exinde impedimentum publicae honestatis produci, sicuti in aliis impuberum sponsalibus : qua in re nulla potest esse difficultas. Hinc Bonif. VIII in relatis verbis ait matrimonium impuberum in casu esse sponsalia de futuro juris interpretatione tantum, idest jus illud habet tanquam sponsalia de futuro quantum ad juridicos effectus mox indicatos, et ita hic contractus valuit, ut potuit, juris interpretatione, non sicut agebatur (1).

505. Diximus impedimentum aetatis ante debitam mentis discretionem esse juris naturalis, postea esse juris ecclesiastici tantum (n. 493). Exinde tria corollaria.

1° Inter utramque partem infidelem, posita judicii maturitate seu doli capacitate, matrimonium ante pubertatem valet.

Haec confirmantur ex sequenti responsione S. C. S. Officii ad Vicarium Apost. Mayssour. « Spesso i pagani maritano le loro figlie nella loro prima età di nove o dieci anni. La sposa resta in casa, finchè non sia giunta alla pubertà. Intanto i genitori sogliono mandarla di tanto in tanto a far visita allo sposo. Se non sopragiungono dispute in famiglia, giunta all'età nubile, prende domicilio definitivamente in casa dello sposo. Si domanda se questi matrimonii siano validi, anche nel caso, che la sposa non frequenti mai la casa dello sposo, e parli di prendere nuovo marito » (2). S. C. *die* 5 *Aug.* 1886 reposuit : « Detur decretum diei 10 *Dec.* 1885 scilicet : Circa matrimonia impuberum contracta in infidelitate, sed non consummata ante conversionem, pro-

(1) Secretarius S. C. C. in suo Discursu 13 *Mart.* 1879 (n. 708) hanc Berardi doctrinam neque rejicit neque approbat, sed cum honore refert. Romani jurisconsulti *l. g. ff De sponsalibus* in casu nostro sponsalia non esse aperte judicarunt. Berardi *l. c.* alios quoque AA. meminit sibimet faventes, inter quos Ben. XIV *l. c.* Patet hanc quaestionem esse mere theoreticam.

(2) *Latine* : Saepe pagani tradunt nuptui filias in prima earum aetate novem decemve annorum. Sponsa domi manet usque dum pervenerit ad pubertatem. Interea genitores solent eam idenditem mittere ad visendum sponsum. Si in familia non oriantur quaestiones, aetatem nubilem adepta stabile domicilium assumit in domo sponsi. Quaeritur an haec matrimonia sint valida, etiam quando sponsa numquam domum sponsi frequentat et de alio marito ducendo cogitat ?

Digitized by Google

posita sunt sequentia dubia : 1° Quando conjuges in infidelitate relicti, matrimonio nondum consummato, fidem amplecti nolunt, matrimonia eorum in infidelitate contracta haberi poterunt ut mera sponsalia de futuro pro conjuge ad fidem converso ? 2° Quando contrahentes neophyti pueres sunt, ad eorumdem matrimonium dissolvendum, requiriturne duplex aut nulla interpellatio, vel sufficit una, utrum videlicet velint baptizari ? Resp. Ad 1um dummodo constet nullum adfuisse impedimentum juris naturalis vel divini, et praesertim contrahentes verum consensum praebuisse, non esse sponsalia, sed vera matrimonia. Ad 2um quatenus hujusmodi matrimonia probentur irrita ob aliquod impedimentum juris naturalis vel divini, et praesertim ob defectum veri consensus, non esse locum interpellationi : secus interpellationem esse faciendam, an velit baptizari, et quatenus negative, an saltem velit cohabitare absque injuria Creatoris. In casibus autem particularibus, si occurrat gravis difficultas, recurrat ad S. Sedem ».

506. 2° Si unus est fidelis et alter infidelis, matrimonium erit nullum disparitate cultus : quaeritur utrum nullum sit quoque aetate ? Respondet Feje *n.* 531, si impubes est fidelis et pubes infidelis, matrimonium esse nullum, quia pars infidelis est habilis, sed fidelis est inhabilis lege Ecclesiae : atqui ad validitatem matrimonii requiritur habilitas utriusque partis simul ; si pubes est fidelis, impubes infidelis, matrimonium esse validum, quia pars fidelis est habilis et pars etiam infidelis, quippe quae lege Ecclesiae non afficitur. Quod si hoc impedimentum latum quoque sit ab auctoritate civili, nos putamus matrimonium etiam in hoc altero casu esse nullum, quia pars infidelis inhabilis esset (n. 297).

507. 3° Ecclesia ab hoc impedimento potest dispensare. Non pauci putaverunt etiam Episcopum hanc dispensationem concedere posse absque Apostolico indulto, cum in *cit. cap.* 2 *cit. tit.* absolute dicatur ex urgentissima causa posse matrimonia impuberum tolerari (1). Sed vera sententia hanc dispensationem Sedi Apostolicae reservat : omneque dubium

(1) Pirhing *IV, II, n.* 33. Reiff. *IV, II, n.* 11. Schmalz. *IV, II, n.* 54. Sanchez *l. c. n.* 12, aliique plures.

Digitized by Google

sustulit Ben. XIV in cit. epist. *Magnae Nobis* 29 *Junii* 1748, in qua tradit : « privativum Apostolicae Sedis jus esse concedendi dispensationem ad contrahendum matrimonium impuberi, qui per aetatem nondum conjugali copulae maturus est, sed tamen rationis usu ita pollet, ut matrimonii contrahendi vim et naturam intelligat. Etenim ad validitatem matrimonii quemadmodum rationis usus requiritur de jure naturali et divino, ita actualis ad conjugalem copulam potentia de jure positivo canonico. Romanus autem Pontifex est supra jus canonicum ». At haec dispensatio rarissime conceditur, seu ut ait Nicolaus Papa in *cit. cap.* 2, nonnisi *urgentissima necessitate interveniente utpote pro bono pacis*. Proinde non sufficit causa privata ipsorum tantum contrahentium, sed requiritur publica e. g. pax duarum nationum, aut alicujus regni, seu civitatis, vel duarum familiarum sese maximo odio prosequentium (1).

508. Quando autem haec dispensatio conceditur, conjuges non permittuntur propter periculum incontinentiae cohabitare, usque dum ambo potentes evaserint, seu ad nubilem aetatem pervenerint. Nam cum opus conjugale propter defectum corporis actu exercere nequeant, periculum est proximum ne saepius et varie contra puritatem peccent (2). Huc spectat responsio S. C. S. Officii 2 *Maii* 1866. Quaesitum fuerat. « Se possono coabitare e dormire insieme i fanciulli ammogliati prima della pubertà nel paganesimo secondo il costume Cinese e convertiti poi con tutta la famiglia al Cristianesimo » (3). S. C. respondit : « Christianos impuberes qui in infidelitate matrimonium contraxerunt, nisi in iisdem malitia idest potentia suppleat aetatem, separandos esse quoad torum, et si prudenter fieri poterit a missionariis curandum ut etiam separentur quoad habitationem, injuncto tamen onere vivendi maritaliter cum ad aetatem pu-

(1) Giovine *I*, § 292, *n.* 2. Schmalz. *IV*, *II*, *n.* 52. De Justis *III*, *VIII*, *n.* 35. Barbosa *Consult.* 129, *n.* 17,

(2) Giovine *I*, § 292, *n.* 4. De Justis *III*, *VIII*, *n.* 35. Schmalz. *IV*, *II*, *n.* 52. P. Schmier *p.* 3 *De spons. c.* 2, *n.* 56.

(3) *Latine :* An valeant cohabitare et simul dormire pueri uxorati ante pubertatem in religione pagana juxta morem Sinensium, et deinde conversi cum tota familia ad fidem.

Digitized by Google

bertatis pervenerint, dummodo hujusmodi matrimonia non probentur irrita ob aliquod impedimentum juris naturalis vel divini et praesertim ob defectum veri consensus ». Huc usque de aetatis impedimento.

509. Tandem antequam ab hac paragrapho manum amoveamus, aliquid dicimus de *cap.* 1 *cit. tit.* ubi Hormisda Papa rescribens Eusebio Episcopo declarat parentes non posse pro filiis adultis matrimonium contrahere. Subdit autem : « Potest... filium nondum adultum, voluntas cujus discerni non potest, pater cui vult matrimonio tradere, et postquam filius pervenerit ad perfectam aetatem omnino debet hoc adimplere ». Non una est DD. sententia in expositione horum verborum, quae dura sunt. Haec verba referunt obsoletam antiquam disciplinam, qua integrum erat patri sponsalia vel matrimonium inire pro filio vel filia infanti (n. 17) (1); quoniam vero prostant in corpore juris, debent benigna interpretatione ita exponi. Heic agitur de sponsalibus a patre initis pro filio in infantili aetate constituto. Qui postquam annos pubertatis excesserit, *omnino debet hoc adimplere*, idest filius, si ex una parte graves resiliendi rationes non habet, et ex alia matrimonium necessarium est ad publicum bonum, vel ad bonum familiae, factum patris ex honestate ratum habere debet (2).

§ 2ª. — *De impedimento impotentiae* (3).

510. Haec materia est aeque foeda, necessaria ac difficilis, cum difficultates physiologicae canonicis admisceantur. Ut ordine procedamus animadvertimus impotentiam late ac generice sumptam esse inhabilitatem ad procreationem prolis et speciei propagationem. Subdividitur in impotentiam *coeundi*, quae stricto sensu appellari solet *impotentia* aut

(1) D'Annibale *III*, § 332, *not.* 27.
(2) Giraldi *I*, *sect.* 666 cum communi.
(3) Vide canonistas in tit. *De frigidis ac maleficiatis et impotentia coeundi XV lib. IV Decret.*, sed plures cum mica salis legendi sunt, eo quod scientiam physiologicam, quae nostris temporibus magnos progressus fecit, ignorarent.

Digitized by Google

frigiditas, si vitium est a natura, et impotentiam *generandi tantum*, quae, praesertim si perpetua est, dicitur *sterilitas*. DD. minime conveniunt in definitione impotentiae coeundi (1), et est maximi momenti accuratam definitionem concinnare, quia variatio in verbo gravissimas practicas consequentias secumferret. Nos omnibus sedulo perpensis, et doctrina canonum, et declarationibus Sedis Apostolicae, et physiologorum seu medicorum placitis, dicimus *impotentiam coeundi* esse inhabilitatem ad copulam qua vir et mulier fiunt *una caro* ex *cap.* 5 *cit. tit.*, seu aliis verbis (n. 1065) *qua semen virile in vaginam muliebrem ingreditur* (2). Hac copula matrimonium consummatur. Impotentia autem *generandi tantum* est inhabilitas habendi prolem, posita etiam copula supradicta.

511. Jam vero sterilitas non dirimit, neque per se impedit matrimonium (3). Nam matrimonium est mutuum jus coeundi, quod stare utique potest cum sterilitate. Actio humana in generatione terminatur immissione seminis virilis in vaginam mulieris ; deinde incipit actio naturae, quae si non pervenit ad conceptionem, non est cur matrimonium sit irritum. Equidem hoc in casu principalis conjugii finis, idest procreatio prolis, non habetur, sed obtinetur sedatio concupiscentiae, qui est finis secundarius, praeter mutuum adjutorium. Confirmatur ex praxi Ecclesiae, quae ob solam sterilitatem numquam matrimonium impedivit aut impedit ; e. g. nuptias permittit senibus, licet haud dubium sit prolem esse omnino abfuturam. Etiam inter parentes S. Joannis Baptistae verum erat matrimonium, licet mater esset sterilis, et non conceperit nisi per miraculum.

512. Proinde nisi aliud obstiterit impedimentum, matrimonium valet in sequentibus casibus :

1° Si vir ac mulier omnibus organis pollent, et vir membro

(1) Coitus, si proprie loqui velimus, est immissio membri virilis in vaginam mulieris cum seminis effusione.

(2) Eschbach *Disp. Physiologico-Theologicae, I, VIII, I.* Hoc praeclarum opus, nostro judicio, magnam lucem implicatissimis quaestionibus attulit.

(3) S. Thomas 4 *dist.* 34, *q. un., a.* 2, *ad* 3um ; Schmalz. *IV, XV, n.* 30 ; Sanchez *VII, XCII, n.* 36 ; Bangen *II, pag.* 106 ; S. Alph. *VI, n.* 1095 ; Santi *IV, XV, n.* 6 cum communi.

Digitized by Google

virili potest penetrare vas mulieris, et rupto hymene semen in vaginam immittere, muliere quoque seminante, quamquam foecundatio sit impossibilis. Nam in hoc casu clarum est non adesse nisi meram sterilitatem.

Id verificatur si vir decimum circiter octavum annum nondum attigerit. Quamquam enim vir sperma conficere incipiat in pubertate, tamen istud saepius non est prolificum seu spermatozoidis refertum ante praedictam aetatem (1).

Id verificatur etiam in senibus. Foemina enim post aetatem criticam, ut ajunt, idest apud nos post 45 aut 50 annum, cessante menstruo, parere amplius non solet, etsi vir juvenis sit. Pariter vir sperma format etiam in provecta aetate, sed non raro est infoecundum, licet foemina ad criticam aetatem nondum pervenerit. Ad rem S. Thomas *l. c.*: « Vetuli, quamvis quandoque non habeant caliditatem sufficientem ad generandum, tamen habent caliditatem sufficientem ad carnalem copulam, et ideo conceditur

(1) Ut haec eaque, quae dicturi sumus, intelligantur, genesim humanae generationis per summa capita, quantum ad nos attinet, describimus. Principium activum generationis est semen seu sperma virile continens *spermatozoida* (*semen simile animali*, a ζωοειδής *animali simile*, et σπέρμα *semen*); utrum autem haec spermatozoida sint vera animalia viventia, an materia vegetalis, nondum satis constat. Hoc sperma elaboratur in testibus, conservatur in vesiculis seminalibus, ejaculatur per membrum virile, quod etiam virgam, penem, mentulam, veretrum vocant. Principium passivum generationis est ovum foemineum maturum, quod spermate spermatozoidis pleno foecundatur, et in utero seu matrice recipitur ac evolvitur. Nimirum in muliere sunt praecipue tria organa, quae generationi inserviunt: *Vagina*, quae ad instar flaccidi canalis ab externa organorum parte ad uterum ducit: vaginae ingressum hymen (pellicula quaedam) claudit, quod semel laceratum non amplius redit. *Uterus* seu matrix, quae habet formam piri inversi, cujus culmen, seu collum, seu osculum, vagina extremo suo interno amplectitur. *Testes*, qui hinc inde ad partem superiorem uteri per valida ligamina alligati sunt, et sunt vera *ovaria*: continent enim ovula seu ova, et quidem innumera, in cellulis seu vesiculis, quas Graafianas (a Reynoro de Graaf medico Delphiensi) vocant. Jam vero sperma immittitur in vaginam: hic desit actio hominis, et incipit actio naturae. Deinde ad uteri interiora ac ad ovaria pergit seu hauritur quasi ovulum maturum foecundandum industriose quaerens. Hoc inventum a spermate spermatozoida circumdant, in ejusdem substantiam penetrare conantur, et penetratum foecundant. Ovulum maturum, rupta Graafiana vesicula, ex ovario decidens ad uterum pervenit: et tunc si non est foecundatum, per vaginam ejicitur foras, quod continuo accidit in menstruis; si est foecundatum, remanet in utero, qui clauditur, et in eo ovulum evolvitur.

Digitized by Google

eis matrimonium secundum quod est in remedium, quamvis non competat eis secundum quod est in officium naturae ». Quod si vir adeo senectute exhaustus est, ut opus maritale nullo pacto complere possit, nec ullo artis medicae remedio juvari, tunc est impotens, et matrimonium quod iniret, foret nullum. Quoniam vero in quacumque aetate sperma formatur, imo nonnulli decrepiti filios quoque genuerunt, et ex ipso nuptiarum desiderio potentia praesumi debet, et aliunde etiam in dubio impotentiae matrimonium permittitur (n. 262); hinc senes in quacumque aetate ad matrimonium Ecclesia admittit, nec confessarius, nisi ab ipso conjuge sene interrogetur, scrutari debet utrum sit potens necne (1). Huc spectat responsio S. C. C. in *Tudertina Matrimonii* 7 *Sept.* 1793. Nam tertias appetens nuptias grandaevus comes Joannes sponsalia inivit cum honesta, licet ignobili, puella Theresia. Celebrationi matrimonii obstiterunt propinqui ac praesertim filius Joannis ob ejus impotentiam ad coeundum ratione gravis in aetate gravi scrotalis herniae, promptaeque erectionis defectus et inveteratae plagae in dextero crure. Proposito dubio : « An sit concedenda licentia de sponsando in casu ». S.C. reposuit *affirmative et amplius*. Ad rem nostram in folio S. C. haec leguntur : « Nemo est in decrepita etiam aetate qui natura vel arte adjutus aliquando coire non valeat... atque etiam generare, dum nullum a natura definitum est procreationis tempus, et sunt qui in quacumque aetate vim habeant generandi....., et reipsa ultra centesimum annum generarunt... Qua de re nedum inter canonica impedimenta non est senectus, sed indistincte etiam Ecclesia permittit senibus matrimonium, quia habitu saltem potentiam habent generandi...., illudque imo permittit morientibus, licet extincta pene in eis sit talis potentia ».

Idem dicendum est etiam si foemina ob aliquem quem nescimus, defectum, semen virile recipit, sed non retinet (2).

Multo magis matrimonium valet, si foemina non parit filios

(1) Bangen *II, pag.* 106-107.

(2) Votum docti canonistae in *Salernitana Matrimonii* 9 *Aug.* 1862, *n.* 15 *sequ.* (P. Tarquini); Schmalz. *IV, XV, n.* 37; Sanchez *VII, XIII, n.* 11; Scavini *III, n.* 888.

Digitized by Google

nisi mortuos, aut cum suae vitae periculo: tunc enim neque est sterilis.

513. 2° Si foemina eam chirurgicam operationem subiit, qua ei utrumque ovarium abscissum fuit. In hoc casu conceptio est prorsus impossibilis, cum, ut supra dictum est, juxta physiologorum doctrinam nostris temporibus certam conceptio accidat, quoties in sinu matris foemineum maturum ovulum a masculino prolifico semine foecundatur: atqui foemina post illam operationem ovula amplius non habet, si ovaria penitus ablata sunt. Quia vero, ut supponitur, semen virile in vaginam foeminae immitti potest, est simplex sterilitas, juxta notiones n. 510 datas. Haec confirmantur ex responsione S. C. S. Officii *die* 3 *Febr.* 1887. Cum enim illa operatio hodie non raro fiat, et saepius cum felici exitu, quaesitum fuit: « Num mulier per utriusque ovarii excisi defectum sterilis effecta ad matrimonium ineundum permitti valeat ac liceat, necne »? S. C. reposuit: « Re mature diuque perpensa, matrimonium mulieris de quo in casu non esse impediendum ». Idem repetas si foemina utroque ovario ex ipsa natura caret. Quod si unum tantum habet, nec sterilis per se est.

514. 3° Si foemina utero caret. In primis ipsi medici ac chirurgi fatentur quaestionem num aliqua mulier utero vere careat, non tam certo in praxi definiri posse (1). Sed supponamus uterum deesse. Nonnulli putant hanc uteri absentiam constituere veram ac proprie dictam impotentiam, quae si matrimonium antecedit, cum de perpetuitate dubitari non possit, matrimonium dirimit (2). Huic opinioni minime subscribimus. Nam immissio seminis virilis in vaginam optime verificari potest: unde abest impotentia, et est simplex sterilitas. Revera dubitari non potest obstructionem uteri secumferre simplicem sterilitatem (n. sequ.); atqui in re

(1) Vallisneri *Istoria della generazione dell'uomo e degli animali, p.* 3, *cap.* 1, § 32; Auctores *Manuel complet de médecine légale.*

(2) P. Debreyn apud Eschbach *op. cit. I, VIII, 1*; Doctus auctor voti in *cit. Salernitana Matrimonii, n.* 11, qui in hanc sententiam inclinat ea ductus ratione, quia ex chirurgicae artis professoris testimonio uteri privatio in foemina comparari potest cum eunuchorum statu. Lehmkuhl *II, n.* 744.

Digitized by Google

nostra idem prorsus est uterum abesse, aut ita esse clausum ut sperma foecundans in illum penetrare nequeat. Caeterum nulla est paritas inter uteri privationem in foemina et eunuchorum statum, quippe qui ipsam humanam actionem in generatione impedit, deficiente virili semine, ideoque veram impotentiam infert (1).

515. 4° Si foemina uteri ostium clausum seu obstrusum habet, ita ut nec menstruum exire, nec sperma vivificum ingredi queat. Auctor voti in cit. *Salernitana Matrimonii* hoc vitium importare impotentiam generandi tantum non autem coeundi his verbis demonstrat : « Facultas enim coeundi, qualis in jure canonico concipitur et ad matrimonium consummandum sufficiens habetur, eo actu perficitur quo semina in vase naturali commiscentur (2), can. *Extraordinaria c.* 35, *q.* 2, *adjuncta Glossa.* S. Bonaventura in 4 *Sent. Diss.* 41, *qu.* 1, *in Conclus.* S. Thomas *in eod. loc. a.* 1, *quaestiunc.* 4, *ad* 2um. Sanchez. *De mat. lib.* 2, *disp.* 21, *n.* 5. Inde enim conjuges fiunt una caro, et secundarium assequuntur matrimonii finem, qui est concupiscentiae sedatio. Jam vero haec omnia idest sedatio concupiscentiae, seminum commixtio, atque inde in unam carnem conjunctio, in ipsa vagina omnino perficiuntur, ita ut nulla sit necessitas uterum penetrandi. Ergo, clauso licet utero, dummodo vagina libera sit, coeundi facultas quatenus per se et a facultate generandi separata concipitur, integra manet, adeoque, si in actum exeat, matrimonium consummet ac firmet necesse est. Hinc porro est quod Pontius *De mat. lib.* 7, *cap.* 60, *n.* 3 accuratam impotentiae coeundi definitionem tradere instituens ait : *Impotentiam igitur coeundi voco impotentiam vere seminandi intra foemineum vas, sive sit semen sua natura sterile, sive foecundum.* Non ait esse impotentiam transmittendi semen in uterum, sed impotentiam deponendi semen in vase foemineo, idest in vagina ; ita ut, semine in vagina deposito, etiamsi uterus ob clausum ostium recipere illud non possit, coeundi tamen facultas

(1) Eschbach *l. c.*

(2) Qui semen foeminae negant, sanguinem pro semine dicunt. Nota ejusdem Auctoris.

Digitized by Google

vim suam jam explevérit actumque perfectum ediderit.

» Confirmat hanc doctrinam concors DD. opinio in casu simillimo, idest in eo in quo mulier recipit quidem semen virile, sed susceptum non retinet. Simillimus, inquam, huic nostro hujusmodi casus est. Quae enim est ratio, cur, utero clauso (qui noster est casus), dubium instituatur de impotentiae impedimento ? Nimirum quia tum semen virile transmitti in uterum nequit. Atqui id ipsum proponitur in altero casu, in quo mulier semen vix receptum ejicit, neque proinde in uterum transmittit. Quid ergo in eo casu DD. ? En verba Sanchez l. 7, disp. 92, n. 11 : *Si foemina recipere possit semen intra vas, quamvis semel susceptum retinere nequiret, valeret matrimonium, quippe sane vere consummatur matrimonium, et efficiuntur conjuges una caro, et ipsa solum sterilis est, quod matrimonio non obstat.....* Ergo a pari si mulier clausum habet uterum, matrimonium valore dicendum est, ipsaque non impotens, sed sterilis tantum dicenda est.

» Et re quidem vera id vel in ipsis sacris literis insinuatur, in quibus scilicet *habere clausum* uterum idem est ac esse sterilem vera ac proprie dicta sterilitate, quae nimirum una cum vero matrimonio omnino consistit. 1° *Reg. I*, 5, 6 ; contra autem *aperire uterum* (de Deo apud quem non est impossibile omne verbum, in iisdem id affirmatur) perinde est ac foecundam e sterili efficere, *Gen. XXX*, 22, etc.

» Idem etiam confirmatur praxi adeoque doctrina Ecclesiae. Ipsa enim in judiciis de impotentia ea tantum indicia inquirere consuevit, quae pertinent ad externum vaginae foramen, cujusmodi sunt ejus latitudo, amissio hymenis, carunculae myrtiformes. Numquam autem auditum est eamdem jussisse, ut ostium quoque uteri sive digito sive specillo aliquo tentaretur ; quod tamen fieri debuisset, si uteri obstructio matrimonium irritaret. Adjiciam aliquid amplius : saltem usque ad Vallisnerii aetatem, qui sub initio elapsi saeculi floruit, inauditum fuisse aliquem ejusmodi causa judicium de matrimonio dirimendo movisse : quandoquidem ille inter eas causas sterilitatis hanc recenset, quae ad sua usque tempora aut incognita aut neglecta fuerat. *Istoria... p.* 3,

Digitized by Google

c. 4, *n.* 33. Adeo nimirum communis populi sensus cum judiciis ac doctrina Ecclesiae, cum sacrarum literarum testimoniis, cum opinionibus DD., cumque intrinseca rei ratione apprime consonat ». Huc usque de sterilitate, jam de impotentia vera videamus.

516. Haec autem multiplex esse potest : quae distinctiones sedulo attendendae sunt.

1° Alia est *antecedens*, alia *subsequens* matrimonium. In dubio DD. inter se non conveniunt, utrum praesumatur antecedens vel subsequens. Schmalz. *IV, XV, n.* 9 *sequ.* relatis variis sententiis *n.* 11 praefert cum P. Yviestner *eod. loc. n.* 30 hanc distinctionem : « An ejusmodi dubium statim ortum sit post contractum matrimonii et illius attentatam consummationem, an vero primum ex intervallo temporis praesertim notabilis duorum vel plurium annorum. Si *primum* cum AA. primae sententiae praesumitur impotentia praecessisse contractum, maxime si orta sit ex vitio naturali et non accidentali, e. g. maleficio aut mutilatione, quam supra ex Sanchez attuli ; quia a potentia, quam homo a natura habet, ad impotentiam adeo brevi tempore non praesumitur transiisse. Si *secundum* praesumi debet supervenisse matrimonio jam contracto ex regula generali ; quia quilibet nasci praesumitur cum iis qualitatibus quae a natura debentur homini, nisi probetur contrarium ; incumbet ergo onus probandi asserenti quod hoc casu impotentia praecesserit matrimonium ». Haec doctrina conformis est *cap.* 1 *cit. tit.* Nimirum in primo casu pars impotens probare debet impotentiam esse subsequentem, in altero pars potens probare debet impotentiam esse antecedentem : id autem evincet sive ex natura ipsius vitii, addito medicorum judicio, quia vitium naturale semper inhaesisse praesumitur ex *cap.* 3 *cit. tit.* : « Quod si vitium illud mulier a natura contraxit, nec ope medicorum poterit adjuvari, viro aliam accipiendi liberam tribues facultatem » (1) ; sive ex testibus aliisque adminiculis. In dubio utrum impotentia sit naturalis vel accidentalis,

(1) Sanchez *VII, CIII, n.* 4. Leureninus *For. Ecc. lib. IV, tit. XV, g.* 249, *n.* 3. Mansella *cit. Discept.* 3, *n.* 26. D'Annibale *III,* § 342. S. Alph. *VI, n.* 1104.

Digitized by Google

propter favorem matrimonii, quod ad prolem cum primis procreandam contrahitur, aequius est naturalem praesumi (1).

517. 2° Alia est *perpetua*, alia *temporanea*. Temporanea est quae per media naturalia licita tolli potest sine ullo vitae periculo. Perpetua quae per media naturalia licita removeri vel omnino non potest, vel nonnisi cum mortis periculo (2). Haec tradit Inn. III *in cap.* 6 *cit. tit*: « Impedimentum illud (impotentia mulieris) non erat perpetuum, quod *praeter divinum miraculum per opus humanum* (3) *absque corporali periculo potuit removeri* ». Quaestio tantum est inter DD. an hoc *corporale periculum* indicet tantum periculum mortis vel etiam gravis morbi. In genere morbus gravis dicitur ille qui aliquod vitae discrimen infert: quo casu nullus controversiae locus est. Quod si morbus dicatur gravis tantummodo, quia citra omne periculum vitae gravem et longam molestiam et dolorem affert, impotentia videtur potius temporanea; nam Inn. III *l. c. periculum corporale* deinde dicit *periculum mortis* (4). Caeterum utrum vitium illud, quod impotentiam inducit, sit temporaneum ita ut ipsa aetate corrigatur aut arte medica sit curabile citra mortis periculum, vel e contrario sit perpetuum, in genere physiologorum ac medicorum judicio standum est ex *cit. cap.* 3 *cit. tit.* Aliquando autem res clara est e. g. in spadonibus. In dubio judex praescribere solebat experimentum triennale, quo inutiliter peracto, praesumebatur perpetuum, et nullitas matrimonii pronuntiabatur. Sed de hoc in *cap. IX, art. II.*

518. 3° Alia est *absoluta* quae impedit commercium carnale cum omnibus diversi sexus personis, alia *respectiva* quae cum una tantum vel cum pluribus, e. g. si vir non valet claustrum virginale perforare, sed bene potest cum corrupta

(1) D'Annibale *l. c.* ex S. Alph. *l. c.*

(2) Pirhing *IV, XV, n.* 1. Schmalz. *IV, XV, n.* 3, Bangen *II, pag.* 107. Zitelli *Apparatus II, II, VII,* § 5, *pag.* 412. D'Annibale *III,* § 300. Santi *IV, XV, n.* 3.

(3) Nempe licitum et honestum : nam illud solum facere posse dicimur, quod juste facere possumus : *can.* 15 juncta Glossa v. *faciat, c.* 22, *q.* 2.

(4) Schmalz. *IV, XV, n.* 4. Sanchez *VII, XCIII, n.* 18.

Digitized by Google

coire ; aut si ab ea muliere adeo abhorret, ut nullatenus cum ea excitetur ; aut si mulier nimis arcta est pro illo viro, non autem pro aliis, et ita porro.

519. 4° Tandem impotentia potest provenire ex causa vel *naturali* seu ingenita, e. g. arctitudine mulieris, fridigitate viri... ; seu accidentali, e. g. abscissione, morbo, odio... ; vel *praeternaturali* idest ex maleficio, de qua canones et AA. passim. Ad rem Feje *n.* 538, *not.* 3 : « ... Posse ex maleficio impotentiam oriri absque temeritate negari nequit, cum concilia innumera, ritualia, theologi et canonistae, ipsi quoque RR. PP. hoc ponant. *Cf. cap.* 6 *sequ. h. t.*, *caus.* 33, *q.* 1, *c.* 4, ubi regulae praescribuntur servandae. Imo potissimum contra hujusmodi maleficia suadebatur vel praescribebatur sacramentorum ante matrimonii celebrationem susceptio. *Cf. Nouvel. Rev. Theol.*, *t.* 5, *pag.* 301 *sequ.* ». At vero hujusmodi maleficia non facile adstruenda esse nemo non videt, et ex signis quae AA. indicare solent, plura possunt, absque ope daemonis, a causis naturalibus provenire (1). Ita Sanchez *VII, XCIV, n.* 6 post alios docet impotentiam a diabolo esse : 1° quando coitum quis appetit, virgam erigit, et cum ad vas appropinquat, relaxantur organa, atque iterum rigent, et si iterum copulari nitatur, denuo laxantur ; 2° quando vir movetur ad coitum et membrum erigit, sed opus perficere nequit, cum tamen mulier arcta non sit ; 3° si vir ad unam ligatus, sit tamen potens ad alias ; 4° si vir appetens coitum, subito accedere tentans exhorrescat, nec accedere possit ; 5° similiter si foemina viri coitus avida, cum vir accedit, subito horrore capiatur. At vero in istis phaenomenis nil est quod physiologiae leges vere praetergrediatur, quodque necessario daemoni sit tribuendum. Hinc ad exorcismos, inconsulto Episcopo, numquam recurrendum est.

520. His positis : certum est quamcumque impotentiam *mere supervenientem* non dirimere matrimonium contractum, non solum consummatum, quod sane est evidens, sed nec ratum tantum (2), etsi impotentia possit in hoc casu esse

(1) S. Thomas 4 *dist.* 34, *q. un.*, *a.* 3.
(2) Sanchez *VII, CII, n.* 3; Pirhing *IV, XV, n.* 21; Reiff. *IV, XV, n.* 12

Digitized by Google

ratio sufficiens ad dispensationem a R. P. obtinendam. Nam receptum est matrimonium ratum fidelium non dissolvi, nisi solemni religiosa professione, vel pontificia dispensatione. Utrum et quando licitum sit, impotentia superveniente, uti matrimonio, alias exponimus (n. 1061).

521. Idem repetas de impotentia antecedenti sed *temporanea* sive absoluta sive relativa. Id colligitur *ex cit. cap.* 6, ubi Inn. III decidit matrimonium valere, quia mulier ab alio viro cognosci potuit, et exinde colligit nec cum suo viro perpetuo impotentem fuisse. Sane tales non sunt inhabiles ad coeundum simpliciter, sed secundum quid, scilicet ad tempus vel cum difficultate : unde possunt jus coeundi tradere-acceptare; in quo matrimonium consistit. Quod si haec impotentia diu duratura est, impotens eam alteri parti celans a peccato non excusatur, sed matrimonium valet (1).

522. Exinde sequitur valere matrimonium, remoto alio quovis impedimento ;

1° In articulo mortis, prouti praxis Ecclesiae docet. Nam potentia ad actum conjugalem adhuc perseverat, licet hunc vis morbi impediat. Proinde quamdiu certum non est vi morbi potentiam ipsam esse destructam (quod vix certo constare potest) matrimonium pro valido haberi debet (2).

523. 2° Si vir virili membro hymenem non valet infringere, ita ut sit potens cum vidua, impotens cum virgine. Quamquam enim haec copula in consueto naturae cursu sit inepta ad generationem, nec ex ea conjuges fiant una caro (cit. n. 1065), tamen haec impotentia est temporanea ; quia claustrum virginale potest aperiri aliquo instrumento (3), et probabilius mulier tenetur pati hanc scissuram (4). Hinc poterit in casu obtineri pontificia dispensatio a matrimonio rato et non consummato, non autem declaratio nullitatis.

Schmalz. *IV, XV, n.* 46; S. Alph. *VI, n.* 1095; Santi *n.* 6 ; De Angelis, *n.* 3 cum communi contra Gratianum in fine *c.* 33, *q.* 1.

(1) Reiff. *IV, XV, n.* 11 ; Sanchez *VII, CII, n.* 2; Schmalz. *IV, XV, n.* 38; Santi *l. c.*; De Angelis *n.* 3.

(2) Schmalz. *IV, XV, n.* 36 ; D'Annibale *III*, § 300, *not.* 2; Scavini *III, n.* 888 cum communi.

(3) S. Thomas 4 *dist.* 34, *q.* 1, *a.* 2, *ad* 5um ; S. Alph. *VI, n.* 1100 cum communi apud omnes.

(4) Sanchez *VII, XCIII, n.* 34 ; S. Alph. *l. c.* cum aliis.

Digitized by Google

524. 3° Si vir adeo calidus est ut nequeat vas mulieris expectare, sed semen extra vas effundat. Nam saepius haec nimia caliditas non est perpetua et incurabilis, quia aetate vel uxoris consuetudine minuitur. Hinc S. Thomas 4 *dist.* 34, *q.* 1, *a.* 2, *ad* 2um: « Caliditas superflua vix potest esse impedimentum perpetuum ». Si autem est perpetua ac incurabilis, vel aliqua seminis virilis pars effunditur intra vas, reliquo extra vas delapso, et nulla est impotentia, ita ut matrimonium sit validum ac licitum (1), quia illa seminis pars sufficit ad verum coitum, imo et ad foecundationem ; vel totum semen extra vas defluit, et est impotentia irritans matrimonium, si illud antecedit (n. 531).

525. 4° Si uxor nimis arcta est pro omnibus viris, vel pro suo marito in particulari qui fortasse membrum virile excessu peccans habet, sed medicorum judicio per incisionem aut alio medio humano licito absque mortis periculo ad carnale commercium idonea viro reddi potest ; nam impotentia est temporanea. Imo communior et probabilior sententia docet mulierem teneri ad illam incisionem vel dilatationem subeundam, etsi sine magno dolore et molestia fieri nequeat. Nam ex dictis matrimonium cum tali impotentia validum est, et consequenter uterque ex justitia obligatur ad exhibendos alteri actus conjugales, et ideo ad obstaculum removendum quo impeditur ab eorum exhibitione praestanda, non obstante illo dolore ac molestia (2). S. Alph. *l. c.* hanc sententiam dicit communissimam, et probabiliorem speculative loquendo, sed deinde in praxi censet valde probabiliter mulierem, si incisio fieri debeat per manus chirurgi, non teneri ratione verecundiae. Quae tamen sola ratio aliis insufficiens videtur ad ipsam excusandam (3).

526. E contrario impotentia *antecedens* et *perpetua* matrimonium jure ipso naturali dirimit sive absoluta sive relativa et ex quacumque tandem causa proveniat : sed absoluta dirimit matrimonium cum omnibus personis, relativa cum con-

(1) Schmalz. *IV, XV, n.* 37.
(2) Sanchez *l. c.* Schmalz. *l. c.* Bangen *II, pag.* 113. S. Alph. *l. c.* alii que plures contra Pontium *VII, LXII, n.* 2 aliosque.
(3) Lehmkuhl *II, n.* 745.

Digitized by Google

juge et similibus tantum. Ita expresse in *cap.* 1, 2, 3, 5, 6, 7 *cit. tit.* Sane in casu impossibile est jus coeundi, quod est objectum formale essentiale contractus matrimonialis (n. 206): atqui contractus sine objecto formali essentiali ne intelligi quidem potest jure naturae (1). Ad rem D. Thomas 4 *dist.* 34, *q. un.*, *a.* 2: « In matrimonio est contractus quidam, quo unus alteri obligatur ad debitum carnale solvendum : unde sicuti in aliis contractibus non est conveniens obligatio, si aliquis se obliget ad hoc quod non potest dare vel facere, ita non est conveniens matrimonii contractus si fiat ab aliquo qui debitum carnale solvere non possit ; et hoc impedimentum vocatur impotentia coeundi nomine generali, quae quidem potest esse vel ex causa extrinseca et naturali, vel ex causa extrinseca accidentali, sicut per maleficium, de qua post dicetur. Si autem sit ex causa naturali, hoc potest esse dupliciter : quia vel est temporalis, cui potest subveniri beneficio medicinae vel processu aetatis, et tunc non solvit matrimonium ; vel est perpetua, et tunc solvit matrimonium, ita quod ille, ex cujus parte allegatur impedimentum, perpetuo maneat absque spe conjugii, alius *nubat cui vult in Domino* 1ª *Cor. VII* 39 ». Haec vera sunt, sive impotentia cognita fuerit sive non. Hoc autem inter eum qui scienter cum impotente matrimonium contrahit, et illum, qui ignoranter, discrimen est ; quod ille qui ignoranter contraxit, detecta alterius impotentia, permittatur matrimonium contrahere cum alia ; ille autem qui contraxit scienter cum impotente, jubeatur cum illa habitare ut frater cum sorore, ut habetur *cap.* 4 *cit. tit.* (2). Hoc sensu intelligi debet S. Thomas *l. c. ad.* 4ᵘᵐ. At non desunt qui probabilius putant etiam in hoc casu nullam dari obligationem ad cohabitandum, sed tantum ad alimenta conjugi ob impotentiam relictae praestanda (3). Si autem impotentia est dubia, si agatur de matrimonio ineundo posse partem ad nuptias ad-

(1) An hujusmodi impotentia dirimat jure naturae, vel jure ecclesiastico tantum vide fuse apud Santi *IV, XV, n.* 7 *sequ.*, et De Angelis *n.* 3, sed res clara est.

(2) Pirhing *IV, XV, n.* 9. Reiff. *IV, XV, n.* 61.

(3) Schmalz. *IV, XV, n.* 42.

Digitized by Google

mitti diximus n. 262, si agatur de matrimonio jam inito, standum est pro ejus valore (n. 217).

527. Nonnulli putaverunt impotentiam dirimere jure ecclesiastico innixi *cap.* 2 *cit. tit.*, ubi Alex. III ait : « *Sicut* puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus conjugio, *sic* qui impotentes sunt, minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur » : atqui puer est inhabilis jure tantum ecclesiastico. At haec similitudo nimis urgenda non est, quia revera non est paritas inter impotentem et puerum, cujus impotentia est temporanea. Alex. III docet utrumque inhabilem esse, sed non dicit matrimonium esse eodem jure nullum. Utrum vero matrimonium, cessante impotentia revalidetur necne dicemus (n. 1140).

528. Exinde deduces matrimonium ex capite impotentiae, dummodo haec antecedens probetur, nullum esse in sequentibus casibus :

1° Si quis membro virili penetrare potest vaginam mulieris, sed verum semen non emittit ; verum semen, inquam, etsi spermatozoidis carens, quod accidit quando vir caret testibus quibus semen elaboratur. Proinde nullum est matrimonium eunuchorum seu spadonum, qui utroque teste carent, ut declaravit Sixtus V in motu proprio *Cum frequenter* 27 *Jun.* 1587 : « Fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus ut conjugia per dictos et alios quoscumque eunuchos et spadones utroque teste carentes cum quibusvis mulieribus defectum praedictum sive ignorantibus sive etiam scientibus contrahi prohibeas, eosque ad matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles auctoritate nostra declares, et tam locorum Ordinariis, ne hujusmodi conjunctiones de caetero fieri quoquo modo permittant, interdicas, quam eos etiam qui sic de facto matrimonium contraxerint separari cures, et matrimonia ipsa sic de facto contracta nulla, irrita et invalida esse decernas ». Patet igitur haec matrimonia nulla esse ipso naturae jure, licet inita ad caste vivendum, contra Pontium *VII, LVII, n.* 6 *sequ.* Revera licet eunuchi habeant humorem quemdam aquosum, cumque per hastam erectam in vaginam cum delectatione valeant immittere, tamen hic humor aquosus

Digitized by Google

non solum caret spermatozoidis, uti e. g. in juvenibus, sed non est verum semen, ideoque actio humana in generatione, idest immissio veri seminis in vaginam, est impossibilis, ac proinde adest non mera sterilitas, sed impotentia. Idem dicas si testes adsunt, sed non resident loco debito, aut non habent cum membro virili debitam conjunctionem, ita ut seminis vel preparatio vel conductio fieri nequeat. Si hoc vitium medicamentis vel sectione, citra periculum mortis, tolli nequit, est impotentia perpetua et absoluta, irritans nuptias, dummodo sit antecedens. Quod si quis uno tantum teste orbatus sit, aptus est conjugio, quia semen habet, et non solum valet copulam habere, sed etiam mulierem foecundam reddere et filios procreare.

529. 2° Si foemina vagina caret. In hoc enim casu impotentia absoluta ac antecedens evidens omnino est (1). Idem dicas, si foemina habet quidem vaginam, sed externum foramen adeo clausum est ut aperiri sine vitae periculo nequeat: quod est fortasse inauditum.

530. 3° Si mulier habet quidem vaginam, sed externum foramen ex una parte ita angustum seu arctum est ut membrum viri in genere aut mariti in specie ingredi nequeat, et ex alia illud dilatandi sine vitae periculo nulla spes sit. Canonistae omnes unanimiter admittunt in hoc casu matrimonium esse irritum impotentia vel absoluta vel relativa: sed si doctrinas physiologorum consideremus, non levis est difficultas. Nam plerique tradunt ad foecundationem aliquando satis esse, ut sperma prolificum apponatur ad vulvam seu externum vaginae orificium, si hymen ruptus est: sperma enim permeat vel attrahitur in vaginam, deinde in uterum, tandem pervenit ad ovulum maturum, quod foecundat (2). Cum vero haec appositio spermatis ad vulvam vaginae etiam in casu nostro sit possibilis, hinc non adest impossibilitas ponendi copulam, qua semen virile in vaginam ingreditur, quae impossibilitas proprie impotentiam constituit: secus habebis absurdum, nempe prolem oriri

(1) Votum canonistae in cit. *Salernitana Matrimonii, n.* 6.

(2) Ballerini-Gury *II, n.* 855 citans plurium medicorum verba; D'Annibale *III,* § 300, *not.* 9; Eschbach *I, IV, II.*

Digitized by Google

ex conjugibus impotentibus medio humano licito utentibus. Ob hanc rationem nonnulli docti moralistae recentiores aut negant, in hoc casu esse impotentiam, aut judicium suspendunt (1). Sed e contrario sequentia notanda sunt.

Haec quaestio potest esse in praxi alicujus momenti, quando haud certi sumus de non-consummatione matrimonii; quia si non-consummatio indubia est e. g. ex intacto hymene, providetur per dispensationem saltem ad cautelam a matrimonio rato et non consummato. Caeterum si revera, ut physiologi asserunt, aliquando conceptio habetur ex spermate simpliciter apposito ad vasis muliebris orificium, hoc phaenomenon est rarissimum; et, ut possibile sit, foemina debet singulari attractionis vi pollere. Hinc inter ipsos modernos non desunt, qui cum Zacchia etiam nunc teneant mulierem non posse concipere, nisi ipse vir copulans semen suum in uteri interiora per vaginam ejaculet; secus « la liqueur séminale ne pénètre point dans l'utérus » ait Dr Roubaud apud Eschbach *l. c.* Igitur si in aliquo casu particulari possibilitas hujus penetrationis spermatis in vaginam probetur e. g. ex sequuta de facto conceptione, concedimus nec impotentiam adesse nec sterilitatem, ideoque matrimonium valere (2). Sed in genere dicendum est hanc penetrationem esse impossibilem ex communiter contingentibus, praesertim si ex longo experimento ad instar experimenti triennalis nullus effectus sequutus sit, ac proinde matrimonium esse nullum impotentia vel absoluta vel relativa.

Probatur, quia id omnes DD. moralistae ac canonistae unanimiter admittunt (3): rejiciemusne hanc communem sententiam, eo quod plerique physiologi affirmant, aliis negantibus, ex hoc imperfecto coitu *aliquando in rarissimo casu* conceptionem sequi posse? Accedit praxis Ecclesiae, quae nostris etiam temporibus in judiciis de impo-

(1) D'Annibale *l. c.* Lehmkuhl *II, n.* 745. Ballerini-Gury *l. c.*

(2) Ideo in definitione impotentiae dictum est *ingreditur*, loco *immittitur* (n. 510).

(3) Sanchez *VII, XCIII, n.* 15. S. Alph. *VI, n.* 1097, *III.* Schmalz. *IV, XV, n.* 44. Pirhing *IV, XV, n.* 25. Votum canonistae in *cit. Salernitana Matrimonii, n.* 17. Bangen *II, pag.* 113. Manzella *I, II, II.* Scavini *III, n.* 890.

Digitized by Google

tentia inquirit de latitudine vaginae ac de proportione inter membrum et vaginae foramen. Tandem haec est aperta doctrina Inn. III in *cap.* 6 *cit. tit.* Mulier separata a suo marito, quia ab eodem cognosci non potuit, rem habuit cum alio viro : Inn. III respondet matrimonium esse restaurandum, « cum pateat ex post facto, quod ipsa cognoscibilis erat illi, cujus simili commiscetur ». Deinde subdit : « Per haec autem quaestionem illam noveris esse solutam, qua quaeritur utrum ea, quae adeo arcta est ut nulli possit carnaliter commisceri, nisi per incisionem aut alio sibi modo violentia inferatur non solummodo levis, sed forte tam gravis ut ex ea mortis periculum timeatur, ad matrimonium contrahendum debeat idonea perhiberi » Scilicet juxta Inn. III hanc mulierem esse inidoneam certum est : hinc glossa *l. c.* v. *idonea perhiberi* ait : « *Et certe non* ». Tandem addit in casu, quo uxor arcta viro suo post separationem nupsit alteri cui arcta non sit, et per frequentem usum secundi redditur etiam apta primo, in hoc casu inquit non esse facile judicandum « cum finale judicium pendeat ex futuro » ; nempe quia ex futuro judicari debet, an mulier fuerit a primo viro cognoscibilis necne. Ubi vides juxta Inn. III matrimonii validitatem aut nullitatem pendere ex possibilitate immissionis membri virilis in vaginam mulieris.

531. 4° Eadem repetas, si vir adeo calidus est, ut nequeat expectare vas mulieris, quin totum semen defluat extra vas, et constat hoc vitium esse antecedens ac perpetuum : scilicet matrimonium est nullum (1), nisi probetur in aliquo casu particulari semen vulvae applicatum posse revera in interiora permeare. Huc spectat inter alias responsio S. C. C. in *Neapolitana Matrimonii*, 5 *Julii* 1862. Joannes S. et Sophia T. mutuo se amore prosequentes matrimonium inivere. In domum viri mulier adducta tanta pudoris ac verecundiae vi capta fuit, ut ea prima nocte noluerit cum marito cubitum ire, et per duos deinde menses matrimonii consummationi lacrimis et parosismis renuerit, non obstantibus

(1) S. Alph. *VI, n.* 1096. Sanchez *VII, XCIV, n.* 7. Schmalz. *IV, XV, n.* 37 cum communissima.

Digitized by Google

precibus et ardenti Joannis desiderio, quo fiebat ut nocturnas pollutiones jugiter ipse pateretur. Cessit tandem, sed frustra. Copula enim semel iterumque et frequenter etiam tentata inutiliter fuit, eo quod vir ita praepropere semen effundebat, ut vas mulieris expectare nequiret. Medici morbum renuntiarunt *insuffisance d'activité matérielle et spinite lente*, quem Joannes contraxisse videbatur ex mollitie ac foeminarum abusu in prima aetate. Inconsummatio autem matrimonii : extra dubium posita erat una cum justis dispensationis causis. Propositis dubiis. « 1° An constet de nullitate matrimonii in casu ? Et quatenus negative ; 2° An sit consulendum Ssmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu » ; S. C. reposuit : « Ad 1um providebitur in 2°. Ad 2um affirmative *vetito viro transitu ac alias nuptias inconsulta S. C.* ». Ex hac addita clausula satis apparet S. C. habuisse Joannem in eo rerum statu tamquam ineptum ad matrimonium.

532. 5° Si vir membrum virile adeo flaccidum habet, ut capax erectionis saltem sufficientis non sit. Rebus sic stantibus, immissio membri in vaginam est impossibilis, et semen deest omnino, vel sine ulla vi emittitur, ita ut penetratio spermatis, de qua in praecedentibus, sit adhuc improbabilior. Proinde si hoc vitium nuptias antecedit et est perpetuum, matrimonium irritat. Si est ingenitum, plerumque est perpetuum seu incurabile ac antecedens. Signa quae a medicis adducuntur, sunt : omnimoda carentia vel paucitas pilorum, praesertim in inguinibus ac etiam in barba, penis flacciditas et inexcitabilis mollities, penis tantisper erecti minima temporis permanentia in erectione, penis exiguus, aversio quaedam naturalis a re venerea, absentia caloris a pudendis et a semine emisso.., (1) licet singula haec aliaque signa ab artis medicae peritis uti incerta habeantur. Quod si membrum virile est tortuosum, obliquum, distortum, ita ut nec in erectione recte distendatur, tunc res clara est, et multo magis si pene vir careat omnino. Huc refertur responsio S. C. C. in causa *nullitatis matrimonii*, 24 *Jan.* 1871. Ca-

(1) Zacchia *Quaestiones medico-legales, tom. II, lib. IX, tit. III, quaest.* 2, *n.* 1.

Digitized by Google

jus matrimonium inivit cum Julia, quod tamen, non obstante pluries repetito experimento, consummare nequivit : deerat enim formalis erectio, et si quandoque aderat, modica erat et statim deficiebat cum alicujus liquoris emissione ; insuper notabatur nullius caloris indicium, penis parvus ac flaccidus, testiculi parvi... Caeterum Juliae virginitas certissima erat. Cum vero haec impotentia nuptias antecederet, et praeterea etiam judicio medicorum perpetua ac incurabilis appareret, episcopalis curia N. matrimonium nullum esse declaravit ; et deinde causa delata ad S. C. C. propositis dubiis : « 1° An sententia curiae episcopalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu ? Et quatenus negative ad 1am partem, affirmative ad 2am ; 2° An sit consulendum Ssmo super dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu ? » S. C. reposuit : « Ad 1um sententiam esse confirmandam, vetito viro transitu ad alias nuptias, inconsulta S. C. Ad 2um provisum in 1° » (1). Censuit proinde S. C. in casu adfuisse impotentiam praecedentem, absolutam et perpetuam, licet in hac impotentiae perpetuitate erraret, ut infra n. 534 dicemus. Si e contrario vitium illud est accidentale, aliquando, adhibitis remediis, cessare potest etiam relate ad uxorem e. g. si oritur ex morbo, ex odio erga uxorem..., aliquando est incurabile ; e.g. saepe accidit, ut viri qui in juvenili aetate luxuriae et onanismo dediti fuerunt, vim erectionis penitus deperdiderint, licet semen aut quid simile adhuc defluat et in hac pollutione adhuc sentiatur delectatio. Quando vitium est accidentale, virilia plerumque in statu normali sunt ; si abusus in re venerea praecessit, majora solito esse possunt (2).

533. 6° Tandem matrimonium ex capite impotentiae nullum est ac remanet, non obstante copula ac foecundatione artificiali (n. 1065). Nam haec non fit nisi mediis quae immoralia prorsus dicenda sunt (3) : unde hac copula artificiali non excluditur impotentia dirimens matrimonium.

(1) Mansella *Discept.* 3a, qui tanquam consultor canonista in causa jussu S. C. scripsit. Vide etiam S. C. C. in *Romana Matrimonii* 12 *Mart.* 1853 et *Neapolitana Matrimonii* 5 *Julii* 1862 etc.

(2) Bangen *II*, *pag.* 109 *sequ.*

(3) Methodos descriptas habes apud Eschbach *I*, *IV*, *III*, qui de earum moralitate vel immoralitate disserit.

Digitized by Google

Conjugium autem validum hac copula artificiali consummari docet Sanchez *II, XXI, n.* 8 (cit. n. 1065).

534. Ex huc usque disputatis apparet facilem non esse probationem nullitatis matrimonii ex capite impotentiae : evinci enim debet impotentia antecedens et (in quo praecipua difficultas esse solet) perpetua. Hinc S. C. C., si certo constet de non consummatione matrimonii, praetermissa quaestione nullitatis, mavult petere a Ssmo dispensationem a matrimonio rato et non consummato : ad dubia enim : 1° *An constet de nullitate matrimonii in casu, et quatenus negative ;* 2° *an consulendum sit Ssmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato* ; respondere solet : *ad* 1um *providebitur in* 2° : *ad* 2um *affirmative.* Si Ecclesia declarat nullum matrimonium ex capite impotentiae, et deinde apparet potentia, vel probatur impotentiam fuisse subsequentem vel temporaneam, matrimonium valere dicendum est ; ideoque si pars potens ad alia vota interim transivit, posterius matrimonium est nullum. Tunc, si primum matrimonium certe non fuit consummatum, peti poterit a Sede Apostolica dispensatio, et deinde aliud matrimonium sanari in radice ; si vero ipsa non consummatio matrimonii extra dubium non est, dispensatio non conceditur, et conjuges alterius matrimonii separandi omnino sunt. Cum impotentia antecedens et perpetua claris argumentis constare videretur, S. C. C. praeter consuetam jurisprudentiam *die* 24 *Jan.* 1871 edidit sententiam de matrimonii nullitate (n. 532). Porro, cum lapsu temporis Cajus suo ostendisset Episcopo se ad matrimonialia officia praestanda habilem evasisse, supplicesque eidem preces porrexisset, ut a Pontifice facultatem efflagitaret qua ipse novum valeret matrimonium ecclesiastico ritu celebrare, rursus proposita fuit causa sub titulo : *Dispensationis matrimonii* apud S. C. C., quae *die* 9 *Maii* 1874 respondit : « Esse consulendum Ssmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato cum Julia in casu ».

535. Porro si, contracto matrimonio, impotentia ante-

(1) S. Alph. *VI, n.* 1101.

Digitized by Google

cedens et perpetua indubia omnino est, matrimonium est nullum ex dictis ; sed conjuges possunt, si velint, cohabitare uti frater et soror, prout traditur in *cap.* 5 *cit. tit.*, modo absit periculum incontinentiae. At hoc periculum semper adesse solet, ideoque id eis permittendum non est, nisi sint senes (1). Praescindendo igitur ab hoc casu, conjuges, cum impotentiae certitudine, debent quoad torum illico separari propria auctoritate, nec possunt inter se illos actus habere, qui conjugatis tantum licent. Deinde ratione scandali petent a legitimo superiore ecclesiastico separationem quoad habitationem, nec valent ad alias nuptias transire, nisi post sententiam nullitatis a judice ecclesiastico latam juris ordine servato. Quaesitum fuit a S. C. C. : « Quaenam esse debeat agendi ratio Episcopi, parochi et confessarii erga impotentes, qui ea ratione separari nequeunt, quod eorum separationi obsistat civilis Galliarum lex, quae impotentiae impedimentum non agnoscit ? » S. C. respondit 15 *Dec.* 1877 : « Vivant ut frater et soror : quod si id fieri non possit sine peccati periculo, separentur omnino et ad mentem ». Hodie funesta civilis divortii lex effugium praebet : nam conjuges, postquam ab Ecclesia matrimonii nullitas fuerit declarata, petent civile divortium. Quod si impotentia est dubia, certe conjuges possunt licite copulam tentare, licet saepe aut semper semen extra vas effundant, dummodo spes aliqua perficiendae copulae remaneat (1). Quomodo autem in foro externo procedi debeat ut, probata impotentia, judex nullitatem matrimonii pronuntiare queat, exponitur in cit. *cap. IX*, *art. II.*

536. Corollinis loco nonnulla addimus de *hermaphroditis*, qui scilicet utroque sexu pollent ita ut in utroque possint copulam perfectam habere. Veteres canonistae sequentia statuebant. Si unus sexus praevalet, hermaphrodita potest juxta hunc sexum matrimonium valide ac licite contrahere, licet probabilius etiam matrimonium in sexu debiliori initum foret validum, dummodo copula in hoc sexu possibilis sit. At hermaphrodita contrahens matrimonium in sexu prae-

(1) Sanchez *IX*, *XVII*, *n.* 20 ; S. Alph. *VI*, *n.* 1103 ; S. Thomas *Suppl. q.* 58, *a.* 2 *in fin* ; Lehmkuhl *II*, *n.* 746. Sed vide n. 1061.

Digitized by Google

valenti debet, praestito juramento, quod ipsi a judice ecclesiastico defertur, alterius sexus usui perpetuo renuntiare. Quinam vero sexus praevaleat, medici ac obstetrices peritae judicabunt, et in dubio standum est ipsius hermaphroditae dicto, qui rem prae caeteris omnibus cognoscere valet. Si vero neuter sexus praevalet, ita ut in utroque sexu aequaliter perfecta copula possibilis sit, hermaphrodita potest eligere quonam sexu velit uti, ac matrimonium in eodem contrahere, juramento, uti supra, renuntians usui alterius sexus. Haec, inquam, veteres canonistae : nam physiologi ac medici nostrorum temporum, quibus praeivit Clemens Alexandrinus aliique communi suffragio respondent veros hermaphroditas in utroque sexu potentes non dari (1), imo dari omnino non posse, nisi, supponas unum individuum completum alteri completo superpositum, cum organismus masculi externus et internus sit omnino diversus ab organismo foeminae (2). Aliquando accidit ut utriusque sexus signa in pudendis appareant, ita ut dubium sit an persona sit vir vel foemina, sed tandem est vel foemina vel vir. Imo plerumque anormalis pudendorum formatio impedit quominus copula carnalis perfecta in utroque sexu haberi possit, ita ut quaestio quinam sit sexus, nullius momenti esse appareat.

Huc spectat responsio S. C. C. in *Ferentina Matrimonii* 18 *Aug.* 1888. Nam Faustina M. nupsit Jōanni C., qui paulo post ipsam confessarii ac medicorum consilio dereliquit affirmans illius sexum incertum esse. Jussu curiae episcopalis Faustina medicorum examini submissa fuit, quorum tres dixerunt esse foeminam, duo esse virum. S. C. C., ad quam causa delata fuerat, rescripsit *die* 24 *Mart. ejusd. anni* : « Dilata et fiat nova inspectio a tribus chirurgis a S. C. designandis, quem in finem Faustina Romam adveniet ». Jam vero ii chirurgi declaraverunt Faustinam pertinere potius ad sexum masculinum, certe esse ineptam ad matrimonii con-

(1) Bangen *II, pag.* 114. Eschbach *I, III, in App.* Nonnulli rabbini veteres aliique pauci moderni somniaverunt ex verbis Geneseos ipsum Adamum fuisse hermaphroditam.

(2) Nonnulla exempla horum monstrorum vide apud Eschbach *disp.* 2, *p.* 2, *c.* 3, *a.* 2.

Digitized by Google

summationem in sexu foeminino, et hoc vitium praecedere conjugium. Hinc S. C. 8 *Aug.* 1888 posito dubio : « *An constet de nullitate matrimonii in casu* », reposuit *affirmative* (1).

§ 3. — *De impedimento raptus.*

537. Jure civili Romano crimen raptus gravissimis poenis puniebatur, imo ipso capitali supplicio (2). At etiam, minuta poenâ, matrimonium inter raptorem et raptam semper interdictum erat in odium poenamque raptus *l. un. C. De raptu virg. et sanct.*, et clarius *authent. De raptis mulier.*, nisi raptor a principe impetravisset delicti veniam, atque ita abolitum esset raptus crimen, et consequenter impedimentum.

538. Etiam Ecclesia in reos tanti criminis animadvertere non omisit, sed non semper eadem fuit disciplina. Nam antiquo jure praeter poenam servitutis et confiscationis bonorum, ac publicam poenitentiam erat excommunicatio ferendae sententiae contra raptorem laicum ac ei faventes *can.* 1, *c.* 36, *q.* 2, et depositio contra raptorem clericum *can.* 4 *l. c.* Praeterea matrimonium inter raptorem et raptam prohibebatur in perpetuum, etiamsi mulier loco tuto reddita liberum consensum praestitisset ex *can.* 4, 10 et 11, *caus.* 36, *quaest.* 2 in Decreto, et juxta horum canonum communem intellectum (3) matrimonium erat non solum illicitum sed etiam nullum. Ii autem canones non erant generales pro tota Ecclesia, sed conciliorum particularium saec. VII celebratorum : unde in aliis Ecclesiis alia disciplina vigere potuit, et de facto plerumque viguit (4). At propter favorem liber-

(1) Plures causas S. C. C., quae hoc impotentiae impedimentum aut non consummationem matrimonii spectant, collectas habes apud Sagnori in opusculo : *Exemplar actorum forensium, quibus inquiritur de matrimonii nullitate ex capite impotentiae ac de matrimonii rati et non consummati diremptione.*

(2) Voet *Comm. ad Pand. lib. XLVIII, tit. VI Ad legem Juliam de vi publica, n. 4 sequ.*

(3) Sanchez *VII, XII, n.* 41. Folium S. C. C. in *Olomucensi Nullitatis matrimonii* 29 *Julii* 1769.

(4) Pontius *VII, cap. ult.*

Digitized by Google

tatis matrimonii pro tota Ecclesia statutum erat matrimonium valere, si mulier post sponsalia vel tractatum de matrimonio ineundo cum viro aufugiebat intuitu matrimonii, etiam reluctantibus parentibus, imo nec raptus in casu dicebatur quoad juridicos canonicos effectus. Ita Gelasius Papa *can.* 2, *caus.* 36, *quaest.* 1 : « Lex illa praeteritorum Principum ibi raptum dixit commissum esse, ubi puella, *de cujus ante nuptiis nihil actum fuerat*, videbatur abducta ».

539. Jure novo Decretalium in primis hic canon expresse probatur in *cap.* 6, *De raptoribus...* ubi Lucius III rescribens ad Burgen. Episcopum resolvit matrimonium in casu proposito validum fuisse, quia « cum ibi raptus dicatur admitti, ubi nihil ante de nuptiis agitur, iste raptor dici non debet (1), cum habuerit mulieris assensum, et prius eam desponsaverit, quam cognoverit, licet parentes reclamarent, a quibus eam dicitur rapuisse ». Deinde Inn. III volens contra illa statuta Conciliorum particularium etiam in aliis raptus casibus matrimonii libertatem sarctam tectamque, statuit in *cap.* 7 *cit. tit. De raptoribus* matrimonium ubique terrarum valere, si mulier revera in illud consensisset. Requisitus enim ab Episcopo Saronen. seu Glasconen. aut Cracovien. : « Utrum si rapta puella et in alienam delata dioecesim in ecclesiae facie consenserit in raptorem, matrimonium hujusmodi legitimum sit habendum »; respondit : « Rapta puella legitime contrahet cum raptore, si prior dissensio transeat postmodum in consensum, et quod antea displicuit, tandem incipiat complacere, dummodo ad contrahendum legitimae sint personae ». Propter generalitatem verborum Inn. III melior est sententia, quae tenet, post hanc celebrem decretalem, raptam puellam potuisse legitime in raptorem consentire non solum ab illo separatam et loco tuto ac libero redditam, sed etiam sub illius potestate adhuc constitutam (2), licet hoc in casu consensus liber non praesumatur.

(1) Intellige in sensu canonum seu quoad juridicos effectus, et nominatim impedimentum : quia in se est raptus, si mulier non est sui juris, ob violentiam injustam illatam parentibus (n. 552) et ideo idem Lucius III *l. c.* hanc mulierem appellat *raptam per vim*.

(2) Sanchez *VII, XII, n.* 42 ; Barbosa in *cit. cap.* 7, *De raptoribus.*

Digitized by Google

Proinde jure canonico pro tota Ecclesia nullum amplius fuit impedimentum nec impediens nec dirimens matrimonium inter raptorem et raptam distinctum ab impedimento *vis* et *metus,* praescindendo ab impedimento impedienti dissensus parentum, si forte adfuisset ; dum e contrario aderat impedimentum dirimens jure civili. Ratio differentiae est, quia Ecclesia, plectens raptus crimen variis illis poenis, voluit simul libertati matrimonii consulere.

540. Tandem res incidit in Concilium Tridentinum : quod voluit libertati matrimonii melius providere, aggravans poenas in reos tanti facinoris. Etsi enim conveniret libertati matrimoni ut rapta, si vellet, posset contrahere matrimonium cum raptore, tamen ex alia parte prospiciendum erat libertati mulieris, ne invita, dum in potestate raptoris maneret, ei in matrimonium per metum copularetur. Proinde Concilium providentissime decrevit *sess. XXIV, cap. VI de ref. mat.*, ut possit quidem inter eos contrahi matrimonium, sed non alias quam si rapta, in loco tuto ac libero constituta, raptorem in virum habere consenserit. Ita enim ex omni parte providetur libertati matrimonii, ut scilicet rapta per metum non cogatur, si nolit, et matrimonium fierit queat, si velit (1). Hinc impedimentum est non in poenam criminis, sed potius propter matrimonii libertatem, licet maxime idoneum sit ad animos a tanto facinore avertendos : nam vir sciens matrimonium consistere non posse, nisi muliere in plenam libertatem restituta, illud non perpetrabit.

Verba decreti haec sunt : « Decernit S. Synodus inter raptorem et raptam quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto et libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, et nihilominus raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem praebentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, et si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur praeterea ra-

(1) Ita iisdem fere verbis votum exaratum in quaestione soluta a S. C. C. *die* 24 *Jan.* 1608 (n. 551), et omnes canonistae communiter.

Digitized by Google

ptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare ».

Excommunicatio nemini est reservata et, utpote a Conc. Trid. lata, adhuc perseverat post Const. *Apostolicae Sedis*; aliae autem poenae non obligant ante judicis sententiam (1), sed damna illata raptor ex ipso naturae jure reparare debet. Convenit inter DD. parochum ac testes matrimonio assistentes illas poenas non incurrere tanquam consilium, auxilium et favorem praebentes, nisi ante raptum hanc assistentiam promiserint, quia revera ipsi non favent raptui jam perpetrato, sed matrimonio (2). Dos vero, cum sit onus a Concilio impositum, semper raptae constituenda est, etsi haec sit dives et ideo ipsa sua sponte illam remittat, licet in hoc casu judex queat modicam dotem assignare; insuper rapta nequit dotem sibi constitutam raptori restituere, quod fraude non vacaret in Tridentinam dispositionem; tandem dos constituenda est per publicum instrumentum in forma juris valida (3). Ubi Conc. Trid. non est receptum, viget jus Decretalium in *cit. cap.* 7 *De raptoribus* (4). Utrum et sponsalia inter raptorem et raptam hoc decreto irritentur vide n. 11.

541. Non desunt canonistae praesertim inter recentiores, qui censent hoc impedimentum dirimere *praesumptione juris et de jure non consensus*, qui ita rem explicant. Conc. Trid. animadvertens puellam sub potestate raptoris constitutam liberam non esse in ordine ad matrimonium cum raptore, praesumpsit in ea vim et metum, et super hac praesumptione *l. c.* statuit matrimonium inter raptam et raptorem nullum esse, donec illa separata a raptore loco tuto ac libero reddita non fuerit. Proinde haec praesumptio non consensus est juris et de jure, quae probationem in contrarium excludit. Unde licet mulier affirmet et probet se sponte consensisse, audiri non debet, et matrimonium irritum est. Et qui-

(1) De Justis *II, XVIII, n.* 28. Sanchez *VII, XIII, n.* 1.
(2) De Justis *l. c. n.* 43. Sanchez *l. c.* Schmalz. *V, XVII, n.* 51. Pirhing *V, XVII,* n. 21.
(3) De Justis *l. c. n.* 19 *sequ.*
(4) De Justis *l. c. n.* 95. D'Annibale *III,* § 316, *not.* 25. Pontius *VII, cap. ult. n.* 6.

Digitized by Google

dem aliqui de *sola* hac praesumptione loquuntur (1); ita ut videantur opinari raptum ea tantum dirimere. Haec sententia certe erronea est: exinde enim aperte sequeretur matrimonium in foro interno valere, si mulier revera consentit: quod nemo dicet. Alii putant raptum nuptias irritare tum *praesumptione juris et de jure non-consensus*, tum *odio tanti facinoris* (2): quae sententia illum scopulum evitat. Ultro admittimus in muliere rapta praesumi non-consensum, donec contrarium non evincatur, sed putamus raptum procedere vi sua, non autem ulla praesumptione juris et de jure non consensus. Nimirum Concilium volens praecavere, ne mulier rapta renitens cogeretur matrimonium inire cum raptore, statuit inter ipsos matrimonium consistere non posse, sive mulier revera dissentiat sive consentiat, reddens eos inhabiles ad contrahendum, donec sejuncta a raptore mulier loco tuto ac libero reddita fuerit (3). Hinc AA., paucis exceptis, inter impedimenta dirimentia ex defectu consensus raptum recensere non solent. Caeterum hoc impedimentum non habere proprie loquendo rationem poenae vel ex eo patet, quod, muliere in plenam libertatem restituta, statim cessat.

542. Modo fusius determinandum est de quonam raptu Concilium in suo decreto loquatur. Animadvertimus *rapere* esse *vi abducere* ex *l.* 3 *ff. De incendio, ruina*: « Aliud autem esse rapi, aliud amoveri palam est. Siquidem amoveri aliquid sine vi potest, rapi autem sine vi non potest ». Jam vero violenta abductio rei materialis alienae dicitur *rapina*, viri vel foeminae dicitur *raptus*. Unde raptus proprie est violenta abductio de loco in locum viri vel foeminae. Cum igitur raptus possit esse viri vel foeminae, ob fines diversos ac multiplici modo perpetrari queat, merito quaeritur quinam sub Tridentino decreto includatur, ac proinde secumferat dirimens impedimentum et poenas. In qua haud facili investigatione SS. CC. RR. suis responsis facem afferent, prouti semper.

(1) Santi *IV, I, n.* 154.
(2) De Angelis *IV, I, n.* 20.
(3) D'Annibale *III*, § 316.

Digitized by Google

543. Nonnulli tamquam principium generale statuunt decretum Tridentinum procedere in omnibus illis casibus, in quibus crimen raptus ad normas juris civilis Romani verificatur, innixi praesertim responsioni S. C. C. data *die* 24 *Jan.* 1608 (n. 551). At illud generale principium verum semper haudquaquam est. Aliquando enim est crimen raptus ad terminos juris civilis Romani, quod tamen Conc. Trid. suo decreto non comprehendit; et viceversa decreto Tridentino includitur aliquis raptus, qui non est crimen raptus ad normas juris civilis Romani: quae ex dicendis patebunt. Ratio est, quia Concilium, uti diximus, suo decreto vult consulere libertati matrimonii; unde mirum non est, si jus Romanum adaequate non sequatur, quod criminis punitionem spectabat. Citata autem responsio S. C. C. quonam sensu sit intelligenda, fuse inferius exponimus. Nos potius cum communi dicimus decretum Tridentinum tum quoad impedimentum, tum quoad poenas respicere raptum quo *vir intuitu matrimonii ineundi mulierem de loco in locum violenter abducit ac sub sua detinet potestate.* Singulae hujus propositionis generalis partes indigent declaratione.

544. 1° *Vir*; sive per se sive per alios mulierem rapuerit juxta *reg.* 72 *juris in* 6° « qui per alium facit, est perinde ac si faciat per seipsum ». At in casu mandatarius raptor non intelligitur (n. 546). Non levis est controversia inter DD. an decretum Tridentinum comprehendat quoque casum, quo juvenis pusillanimis a muliere e. g. magnae auctoritatis rapiatur, ac sub ejus potestate constituatur matrimonii causa. Plerique negant: unde matrimonium valeret, si juvenis revera consenserit, quod tamen non praesumitur (1). Rationem dat Sanchez *l. c.*: « Quod id decretum de solo viro raptore verba faciat, quod denotant ea verba illius decreti: *Quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit*, et postea poenas decernens ait: *Et nihilominus ipse raptor.* Et proinde id decretum correctorium et poenale ad foemi-

(1) Sanchez *VII, XIII, n.* 16 qui hanc sententiam dicit probabiliorem. Pirhing *V, XVII, n.* 28. Feje *n.* 156. S. Alph. *VI, n.* 1107. Bangen *II, pag.* 147. D'Annibale *III,* § 316. Lehmkuhl *II, n.* 771. Schmalz. *V, XVII, n.* 24. De Angelis *IV, I, n.* 20.

Digitized by Google

nam viri raptricem extendendum non est ». Alii affirmant, qui proinde ajunt matrimonium, etiam juvene consentiente, nullum esse in utroque foro (1). Nam novum non est in jure masculinum etiam in odiosis comprehendere foemininum, si eadem omnino ratio militat, uti patet ex pluribus exemplis allatis a De Justis *l. c.* ; in nostro autem casu Concilium ferens hoc decretum ut matrimonii libertati consuleret, dicendum est voluisse et hunc raptum comprehendere, quo matrimonii libertas aeque impeditur. Jure civili Romano raptus viri iisdem poenis puniebatur ac raptus mulieris, ut docet Voet *l. c.* contra alios (2). Ista argumentatio spernenda non est, sed tamen prima sententia communior est vere ac certe probabilis, ideoque saltem ex principio reflexo (n. 254) impedimentum aliaeque poenae non urgent, et multo magis matrimonium forte initum in his circumstantiis validum habendum est.

545. 2° *Intuitu matrimonii ineundi* ; secus autem si vir mulierem abduxerit ob alium finem e. g. ad pecuniam ei auferendam aut explendam libidinem. Ad rem Giraldi *I, sect.* 840 : « Si quis vero mulierem raperet ob aliam causam puta explendae libidinis, non ut uxorem duceret, non comprehenderetur in hoc Tridentini decreto, cum Concilium unice consulere voluerit libertati matrimonii ; et ita etiam declaratum fuisse hic refert Gallemart ab eadem Congr. 23 *Jan.* 1586 (3) ». Ante hanc declarationem in dispensatione alicujus impedimenti addebatur clausula : *Dummodo mulier rapta non fuerit*, juxta *reg.* 49 *Cancell. Apost.* ideoque ante ipsum Concilium Tridentinum ; post hanc declarationem additur clausula : *Dummodo mulier* PROPTER HOC *rapta non fuerit*. Proinde matrimonium valet, si mulier rapta ad libidinem explendam, vel pecuniam auferendam, vel ad alium finem sub raptoris potestate constituta consentiat ; quod tamen non praesumitur. In dubio mulier rapta prae-

(1) De Justis *II, XVIII, n.* 72 *sequ.*, qui hanc sententiam dicit *longe probabiliorem*, et alios citat.

(2) Sanchez *VII, XII, n.* 25.

(3) Vide etiam Pyrrhum Corradum *Prax. Disp. Apost. VII, VI, n.* 28. Riganti *Comm. in Reg.* 49 *Cancell. Apost. n.* 54, juxta quem idem declaravit S. C. C. in *Brugnaten.* 14 *Nov.* 1648.

Digitized by Google

sumitur a raptore intuitu matrimonii, licet sponsalia vel tractatus de matrimonio ineundo non praecesserint (1) tum quia est minus malum, tum propter favorem libertatis matrimonii. Instructio Austriaca § 173 haec confirmat : « De rapta, quae cum raptore, dum in ejus potestate permaneret, matrimonium contraxit, praesumendum est quod matrimonii ineundi causa rapta sit. Quod si contrarium plene probatum fuerit, consistit nihilominus praesumptio eam violentia injusta ad consentiendum adactam esse (2). Haec ipsa praesumptio adversus omne matrimonium militat quod a quacumque persona quacumque ex causa rapta, antequam libertatem penitus recuperaverit, contractum fuerit ».

Nonnulli putant raptorem mulieris explendae libidinis causa, si non impedimento dirimenti, aliis tamen poenis in decreto Tridentino statutis subjacere : et Giraldi *II*, *sect.* 123 refert S. C. C. decrevisse raptores quarumcumque mulierum, etiamsi eas non rapiant ad effectum contrahendi cum ipsis matrimonium sed ob alias causas, esse ipso jure excommunicatos. Haec doctrina admitti non potest ; nam, ut supra diximus, cum Concilium in toto suo decreto de eodem raptore agat, illum manent poenae quem impedimentum afficit. Declaratio S. C. C. fortasse ex eo explicari potest, quod in foro externo raptus praesumitur a raptore commissus intuitu matrimonii, et juxta hanc praesumptionem poenae conciliares applicantur in foro externo, nisi aliud probetur. Si autem probatur raptum ob alium finem ab eodem perpetratum fuisse, locus non erit Tridentinae sanctioni, licet Ordinarius possit alias arbitrarias poenas pro delicti gravitate infligere et etiam excommunicationem *can.* 1, *c.* 36, *q.* 2. Jure civili Romano crimen raptus adfuisse, si mulier rapta fuisset ad libidinem explendam, non autem ad alium finem indubium est ; et ita etiam jure canonico nunc est, licet hoc crimen decreto Tridentino non subjaceat. Hic autem raptus ad libidinem explendam constituit speciem distinctam luxuriae ratione violentiae illatae (3).

(1) Feje *n.* 148 *sequ.*

(2) Quae tamen praesumptio non est juris et de jure, sed juris tantum (n. 541).

(3) Sanchez *VII, XII, n.* 30 *sequ.* S. Thomas 2, 2, *q.* 154, *a.* 7.

Digitized by Google

546. Ex dictis apparet, si Titius ex mandato Caji mulierem rapiat, ut matrimonium cum Cajo contrahat, impedimentum esse inter mulierem et Cajum (n. 544), non vero inter mulierem et Titium ita ut, muliere existente in potestate Titii, matrimonium valeret, si ipsa contra juris praesumptionem revera consentiret (1); nam Titius eam rapuit ad mercedem lucrandam. Et si Titius *proprio marte* mulierem rapit, ut Cajo nubat, neuter ipsorum prohibetur eam ducere, licet in eorum potestate sit; non Cajus quia non rapuit, non Titius quia non rapuit matrimonii contrahendi causa (2). Haec intellige, nisi Titius deinde mulierem abductam detineat matrimonii secum contrahendi causa: hic enim casus *violentae abductionis* ob alium finem e. g. ad explendam libidinem, aut pecuniam lucrandam, et *violentae detentionis* matrimonii causa videtur sub decreto Tridentino comprehendi (3).

547. 3° *Mulierem*; cujuscumque tandem conditionis sit virgo, corrupta, honesta ac etiam publica meretrix: nam verba Concilii sunt generalia, nec ulla est distinguendi ratio, cum scopus Concilii fuerit libertatem matrimonii vindicare (4). Jure Romano poenae gravissimae contra raptores non manebant raptorem publicae meretricis (5). Exinde nonnulli immerito deducunt in hoc casu verificari quidem impedimentum, non vero poenas Tridentinas (6). Cum enim Concilium statuens impedimentum ac decernens poenas de eodem raptore loquatur, eo se protendant poenae necesse est quo impedimentum (7). At si mulier rapta perditis moribus est, praesumitur volens abducta explendae libidinis causa, nisi

(1) D'Annibale *III*, § 316, *not.* 33. De Justis *II*, *XVIII*, *n.* 45 cum pluribus aliis Lehmkuhl *II*, *n.* 771.

(2) D'Annibale *l. c.*

(3) Mansella *I*, *I*, *V tertio* in fine alios AA. citans in nota. Feje *n.* 157 *sequ.* Scavini *III*, *n.* 891. Acta S. Sedis *I*, *pag.* 23. Bonacina *De mat.*, *q.* 4, *p.* 18, *n.* 2 contra Schmalz. *V*, *XVII*, *n.* 44. Koning *lib.* 4, *tit.* 7, *n.* 33.

(4) Sanchez *VII*, *XIII*, *n.* 24. Schmalz. *V*, *XVII*, *n.* 50. Pirhing *V*, *XVII*, *n.* 24. D'Annibale *III*, § 316 cum communi.

(5) Sanchez *VII*, *XII*, *n.* 23. Voet *l. c.*

(6) Ludovicus de Ameno *t. III De delictis et poenis*, *tit. IV*, § 70, *raptus n.* 31 apud Giraldi *sect.* 840 in fine.

(7) Feje *n.* 153.

Digitized by Google

aliud probetur ; qui raptus seu potius fuga dispositione Tridentina non includitur.

548. Nonnulli negant sub decreto Tridentino comprehendi raptum suae sponsae invitae, quia, ajunt, eo non laeditur matrimonii libertas, cum mulier ad matrimonium jam teneatur. Contraria sententia vera est (1) : nam si sponsa aliquam habeat resiliendi aut differendi causam, omnes eam admittunt, quia libertas jam laeditur ; « sed nonne ipsa injuria per raptum illata causam ejusmodi praebet, et consequenter evanescit jus sponsi e quo contraria ab iis deducitur solutio ? » Feje *n.* 155. Insuper licet supponas sponsam teneri, tamen semper verum est ejus libertatem in ordine ad matrimonium raptu laedi, quia vi privata cogi nequit sponsalitiam fidem servare. Etiam jure Romano raptus habebatur si quis sponsam propriam nolentem rapere ausus fuerat *l. un. C. De raptu virginis.* Diximus *invitae*; quid enim juris si sponsa volens, invitis aut insciis parentibus, intuitu matrimonii cum sponso aufugiat, infra exponemus.

549. 4° *De loco ad locum :* secus enim raptus ne intelligi quidem potest (n. 542). Ita e. g. si mulier in uno eodemque domus cubiculo detinetur matrimonii causa, erit *sequestratio* cum impedimento vis et metus, sed certe non est raptus, ideoque non est locus decreto Tridentino, quod de raptu loquitur (2). Ut igitur raptus habeatur cum impedimento aliisque poenis Concilii, necesse est ut locus *a quo* et locus *ad quem* sit moraliter diversus, licet raptor ad locum destinatum mulierem perducere nequiverit. Posita vero loci diversitate, nimis insistendum non est in distantia, sed potius consideranda est abductio e loco seu statu tuto, in quo mulier non est in potestate raptoris, in locum seu statum

(1) Sanchez *VII, XIII, n.* 15. S. Alph. *VI, n.* 1108. Pirhing *V, XVII, n.* 28. D'Annibale *III,* § 316. Schmalz. *V, XVII, n.* 40. Bangen *II, n.* 144. Clericatus *XXXIII, n.* 18. Schmalz. *V, XVII, n.* 39 *sequ.*

(2) De Lugo *De Poenit. XVI, n.* 337. D'Annibale *l. c.* De Justis *l. c., n.* 66. Sanchez *VII, XIII, n.* 7. Schmalz. *V, XVII, n.* 4. Pirhing *V, XVII, n.* 10 et 25. Reiff. *V, XVII, n.* 6. Lehmkuhl *II, n.* 772. Scavini *III, n.* 891. S. Alph. *VII, n.* 1107, cum communi contra Bangen *II, pag.* 144-145. Feje *n.* 157. Clericatum *l. c., n.* 23 aliosque, qui putant etiam hanc sequestrationem Tridentina dispositione comprehendi.

Digitized by Google

non tutum, in quo sub hujus potestate degit (1). Si mulier transferatur de cubiculo in cubiculum ejusdem domus, aut de via publica seorsim abducatur in locum contiguum e. g. in agrum, communiter AA. docent raptum non adesse, quia locus non est diversus et separatus (2). Sed non videtur impossibile ut etiam in tam parva locorum distantia seu diversitate inveniatur in aliquo particulari casu ratio raptus, quia locus est physice diversus, et fieri potest ut prior mulieri sit tutus, alter non tutus. Adesset vero raptus, si mulier abduceretur in aliam domum aliquot passus distantem, licet utraque domus sit e. g. in eodem castello. Item, ut putamus, si mulier transferatur de uno in aliud tabulatum (*d'un étage à l'autre*) ejusdem domus a distincta familia occupatum.

550. 5° *Violenter abducit*; quod pariter esse de raptus essentia patet ex dictis n. 542, sed gravibus difficultatibus non vacat. Et quidem si mulier renuens abducatur vi aut metu gravi, evidens est esse raptum in pleno decreti sensu ac impedimentum aliasque poenas manere, etsi forte puellae parentes raptui consenserint. Inter plures, quae citari possent, sit responsio S. C. C. in *Herbipolensi Matrimonii* 24 *Apr.* 1857 et 18 *Jun.* 1859. Nobilis miles nobilem puellam deperibat, matre puellae nuptiis recusante consensum. Mediante ancilla petiit et obtinuit serotinum colloquium cum puella sub aliquo praetextu, eam arripuit, et sensibus destitutam parato currui imposuit ac transtulit una cum eadem ancilla in civitatem A. in domum cujusdam matronae, deinde in civitatem B. in domum cujusdam jurisperiti, tandem rursus in civitatem A. in domum ejusdem matronae. Matrimonium celebratum fuit coram parocho et testibus, pluribusque nobilibus viris, consentiente sponsae avunculo, probante Episcopo, licet mulier antea pluries declaravisset se sine benedictione matris nolle nuptias inire. In vitae consuetudine sponsi manserunt ultra sex annos et duos filios habue-

(1) Feje *n.* 158.

(2) S. Alph. *VI, n.* 1107. Pirhing *V, XVII, n.* 10. Sanchez *VII, XIII, n.* 21. Schmalz. *V, XVII, n.* 4. De Justis *II, XVIII, n.* 66 *sequ.* D'Annibale *III,* § 316, *not.* 34.

Digitized by Google

runt. Mota lite de matrimonii nullitate, proposito dubio « An constet de nullitate matrimonii in casu » ? S. C. reposuit « Affirmative, salvis remanentibus juribus filiorum prout et quatenus de jure ». Quam sententiam rursus *die* 27 *Aug. ejusd. anni* confirmavit.

551. Difficultas est, si mulier consentiens abducatur in alium locum, utrum et quando sit raptus cum impedimento ac poenis Tridentinis. Principii loco ponimus celebrem S. C. C. responsionem datam die 24 *Jan.* 1608 (1). Riganti *Reg.* 49, *n.* 70. *Cancell. Apost.* refert sententiam ejusdem S. C. in casu particulari, qua declaratum fuit raptorem hujusmodi comprehendi tam quoad poenas, quam quoad matrimonii prohibitionem decreto dicti *cap. VI. sess. XXIV de ref. mat.*, licet mulier consentiens educta fuisset. Occasione hujus sententiae fortasse paulo post eidem S. C. proposita fuit quaestio generalis et formalis. « An raptores mulierum, quae raptui consenserint, comprehendantur quoad poenam et matrimonii prohibitionem decreto Conc. Trid. *cap.* 6, *sess.* 24 *de ref. mat.* ». Riganti *l. c.* cum aliis ita refert responsionem S. C. « *Die* 24 *Jan.* 1608 habita est S. C. domi Illmi D. Card. Camerinensis, cui interfuerunt Illmi Cardinales Camerinen. Montp. Paravic. Acquaviva, Mantica, Pamphilius, Montis Regal. Maff., *qui omnes senserunt Concilium procedere etiam in muliere volente, dum tamen sit raptus juxta terminos juris civilis.* Unus Cardinalis Montis Regalis existimavit Concilium procedere quoad nullitatem matrimonii, non autem quoad poenas ; sed caeteri omnes putarunt Concilium sibi vindicare locum etiam quoad poenas etc. ».

Verus hujus responsionis sensus desumi debet ex voto, quod super quaestione proposita exaratum fuit, et juxta quod responsio prodiit (2). Relator igitur ad quaestionem putat respondendum comprehendi. Et in primis animadvertit ra-

(1) Nonnullis haec responsio difficultatem facessit ; e contrario est clavis solutionis, cum S. C. hanc quaestionem formaliter tunc expenderit, sed recto sensu intelligi debet. Prae caeteris omnibus vide Riganti *l. c. n.* 66 *sequ.*

(2) Prostat apud Riganti *l. c.*

Digitized by Google

ptum committi etiam cum muliere volente tum jure cononico ex *can. placuit*, *c.* 36, *q.* 2 *in Decreto* tum jure civili ex *l. un. C. De rapt. virg.* Haec lex ad quam S. C. in sua responsione respexisse videtur, integra ita habet. « Nec sit facultas raptae virgini vel viduae vel cuilibet mulieri raptorem suum sibi maritum exposcere... Huic poenae omnes subjaceant, sive volentibus sive nolentibus virginibus sive aliis mulieribus, tale facinus fuerit perpetratum. Si enim ipsi raptores metu vel atrocitate poenae ab hujusmodi facinore se temperaverint, nulli mulieri sive volenti sive nolenti peccandi locus relinquetur : quia hoc ipsum velle mulierum ab insidiis nequissimi hominis, qui meditatur rapinam, inducitur. Nisi enim eam sollicitaverit, nisi odiosis artibus circumvenerit, non faciet eam velle in tantum dedecus se prodere ». Deinde relator rite explicat jure civili prohiberi matrimonium inter raptorem et raptam, item jure canonico antiquo, non autem jure Decretalium si rapta consenserit, Conc. autem Trid. suum decretum tulisse ut libertati matrimonii melius consuleret juxta ea quae nos diximus n. 840 sequ. Et prosequitur :

« Cum ergo Concilium ita decreverit propter omnimodam libertatem, quae in matrimonio requiritur, *cap. Gemma De sponsal.*, patet hanc rationem militare, sive mulier raptui consenserit, sive non, quia utrobique subest probabile dubium ne propter metum vel illatum vel qui sibi posset inferri quoad cum raptore moratur, matrimonio consentiat.

« Denique hanc opinonem confirmat textus cap. *cum causam* (1), quo manifeste probatur raptum committi etiam cum muliere volente, dum requirit ad excludendum raptum, ut antea de nuptiis actum sit, et ita non sufficit consensus puellae, nisi praecedat tractatus de matrimonio.

« Quod si objiciatur S. Concilium respexisse libertatem puellae, ac matrimonium nullum decrevisse si contrahatur donec est in potestate raptoris, hanc autem rationem cessare si puella raptui consenserit : huic objectioni responde-

(1) *Cap.* 6 *De raptoribus.*

Digitized by Google

tur 1° quod consensus puellae ad raptum praesumitur extortus a viro per dolum juxta dictam *leg. un.*; respondetur 2° esse considerandum quod aliud est raptui consentire et aliud consentire matrimonio, et propterea ex consensu ad raptum non inferri consensum ad matrimonium, atque ita non cessare rationem Concilii in ea quae assentitur raptui, cum postea dissentiret matrimonio.

« Itaque videtur respondendum raptorem mulieris volentis includi decreto Concilii..... Et quod dictum est de matrimonio ut Concilium comprehendat etiam raptorem mulieris volentis, dicendum est etiam de poenis ob easdem rationes. Haec autem omnia ita sunt intelligenda, cum vere raptus intervenit qui requirit aliquam violentiam, adeo ut raptus non tollatur, cum adest violentia et abductio, per consensum mulieris; secus si violentia non intercederet et mulier esset sui juris, idest neque in potestate parentum, neque tutoris, neque similium, neque promissionibus, vel aliis artibus esset deducta..... »

Ex his jam satis apparet quinam raptus mulieris volentis juxta citatam S. C. C. responsionem comprehendatur sub Tridentino decreto; sed majoris claritatis gratia singulos casus qui dari possunt ad examen revocemus, cum non levis confusio sit apud AA.

552. *a*) Si puella, sive sui juris sive non, aufugit libens volens cum viro intuitu matrimonii cum ipso ineundi, quia fortasse in loco suo parentes aliive oppositionem faciunt, non est raptus de quo Concilium, sed simplex fuga impedimentum ac poenas Tridentinas minime secumferens. Propter favorem libertatis matrimonii non praesumitur mulierem consensisse in raptum intuitu matrimonii, nisi probetur (1); in foro autem externo id potissimum evincitur ex praecedentibus sponsalibus aut tractatu de futuro matrimonio. Unde si probas et mulierem volentem virum sequutam esse, et antea inter eos sponsalia intercessisse, aut de nuptiis ineundis actum esse, in foro externo valet matrimonium (2).

(1) Feje *n.* 160-171. Riganti *l. c. n.* 69. Votum supra relatum. Folium S. C. C. in *Olomucensi Nullitatis Matrimonii*, quod infra citamus.

(2) Instructio Austriaca § 19. Feje *n.* 162 *sequ.* Mansella *II, V.* Lehm,

Digitized by Google

Si mulier est sui juris, aut consentientibus parentibus... aufugit, id omnes admittunt et raptus nullo modo est, cum quaelibet violentia deficiat. Si vero mulier est sub protestate parentum..... et iis invitis aut insciis (qui praesumuntur inviti), aufugit, est raptus ; quia violentia infertur parentibus et qualitercumque violentia adsit, salvatur ratio raptus, ut bene docet ipsis terminis D. Thomas 2, 2, *q.* 104, *a.* 7. Etiam jus Romanum in hoc casu admisit crimen raptus cum impedimento matrimoniali ac aliis poenis ad instar raptus mulieris invitae, et ita quoque recentiores legislationes. At vero jus canonicum favens libertati matrimonii in hoc recessit a jure civili, statuitque in casu non dici raptum quoad juridicos effectus, et nominatim hunc raptum non obstare matrimonio ineundo (n. 559 sequ.), licet profecto matrimonium ob dissensum parentum atque injuriam ipsis illatam sit illicitum. Nec Concilium hunc raptum suo decreto comprehendit : volens enim libertati matrimonii melius consulere, de illo tantum raptu loquitur quo haec libertas in discrimine ponitur (1). Unde matrimonium in casu erit illicitum, sed certe est validum. Neque dicas S. C. C. in relata responsione dixisse Concilium procedere in casu etiam mulieris volentis, dum tamen sit raptus *juxta terminos juris civilis*, prouti in casu revera est. Nam responsio S. C. intelligenda est de muliere consentiente quidem in raptum, non autem intuitu matrimonii alibi ineundi : in voto enim relato aperte traditur haec distinctio, et admittitur raptum, de quo nos agimus, non comprehendi decreto Tridentino.

Haec bene etiam declarat folium S. C. C. in *Olomucensi Matrimonii* 14 *Martii* 1772 : « Caeterum dissimulari non debet, quod ad excludendum raptum non sufficit ut puella in illum consentiat, nisi simul probetur quod consentit in matrimonium cum raptore. Fieri enim potest ut puella consentiat in raptum, sed in matrimonium dissentiat, neque enim ex consensu in raptum inferri necessario debet con-

kuhl *II, n.* 772. Riganti *l. c. n.* 71 *sequ.* Gury-Ballerini *II, n.* 857. Acta S. Sedis *I, pag.* 54 *sequ.*

(1) Sanchez *VII, XIII, n.* 13. Bangen *II, pag.* 143, cum communi. Errat igitur Barbosa in *cit. cap.* 6, *De raptoribus* cum aliis.

Digitized by Google

sensus in matrimonium. Oportet itaque ut copulative evincatur consensus ad utrumque, et hac forsan deficiente probatione factum est, ut S. C. decerneret raptores mulierum, quae in raptum tantummodo, non vero in matrimonium consenserunt, comprehendi quoad poenam et matrimonii prohibitionem sub decreto Conc. Trid. *cap.* 6 *de ref. mat.* Consensus vero etiam in matrimonium potissimum desumitur ex iis quae raptum praecesserunt, cujusmodi sunt praevii matrimonii tractatus. Cujus autem generis ii tractatus esse debeant, non aeque apud omnes certum est. Sunt enim aliqui qui sufficere putant generales etiam pollicitationes a viro factas de ducenda puella in uxorem et ab ista acceptatas. Alii censent tam validum et perfectum tractatum requiri ut pro matrimonio pene haberetur nisi parochi et testium praesentia deficeret. *Card. De Luca disc.* 5 *de Matr. et disc.* 28 *ad Conc. Trid.* Ponderandum proinde est an Baronissa de Poppen consenserit tum in raptum tum in matrimonium cum comite Giannini ; an consensus in matrimonium desumi possit ex iis quae raptum praecesserunt, vel ex iis saltem quae in suis familiaribus colloquiis eadem Baronissa testata est ». Alteram autem sententiam, quae Card. De Luca tribuitur, et quam docet etiam Riganti *l. c. n.* 88 *sequ.*, nimis rigidam esse non dubitamus ; non enim appareret ratio, qua tractatus adeo validus et perfectus necessarius sit pro praesumendo hujusmodi mulieris consensu in matrimonium.

Caeterum S. C. C. in casu nostro semper validum declaravit matrimonium. Ita in *Mediolanensi Nullitatis matrimonii* haec S. C. exposita fuerunt. « Clemens a Porta et Anna Maria a Turre supplices huic S. C. ālias narrabant contracta inter se fuisse sponsalia per verba de futuro. Post vero factas tres denuntiationes in parochia viri et duas in parochia mulieris, Gaspar Annae pater et Anna ipsa ejusdem patris impulsu pro rescissione sponsalium coram Ordinario institerunt. Quare cum res in longum traheretur, Anna, misso nuncio ad Clementem, obtulit sese discessuram a paterna domo, si ipse eam secum adducturus, certo constituto tempore, prope domum suam praestolatus esset.

Digitized by Google

Quapropter ex condicto Anna cum Clemente primam circa noctis horam aufugit, et sese in aedes, quas in parochia S. Stephani ipsa Anna nonnullis antea diebus ad annum conduxerat, receperunt. Postridie vero, accersito parocho ejus parochiae, quasi sacramentalis confessio cujusdam infirmi esset excipienda, coram eo per verba de praesenti se invicem desponsarunt, quibus ille auditis, dixit se hujus rei conscium esse nolle, ac murmurans aufugit. Post haec et matrimonium consummatum et proles jam suscepta est. Et quoniam Vicarius Generalis Archiepiscopi Mediolanensis hujusmodi matrimonium ut supra contractum invalidum esse contendit, ideo ipsi conjuges supplices petunt per hanc S. C. declarari : 1° An constet de raptu ad effectum de quo agitur. Et quatenus non constet ; 2° An supradictum matrimonium contractum fuerit coram legitimo parocho ». S. C. *die* 21 *Aug.* 1661 respondit ad 1um negative ; ad 2um affirmative. Pariter huc spectat responso ejusdem S. C. in cit. *Olomucensi Nullitatis matrimonii* 29 *Jul.* 26 *Aug.* 1769, 14 *Mart.* 1772, et adhuc clarius in *Aquensi* seu *Massiliensi matrimonii* 16 *Febr.* 1889, in qua S. C. declaravit non constare de raptu, quia mulier e monasterio ex condicto cum viro anfugisse videbatur, nec tractatus matrimoniales defuerant. Citari etiam solet *Rubensis Raptus et Censurarum* die 3 *Martii* 1714, et *Praemisliensis Nullitatis matrimonii* 8 *Aug.* 1778, *et* 17 *Jun.* 1780, in quibus S. C. declaravit matrimonium valere, muliere in raptum consentiente. At species in his causis non videtur facere ad rem, quia in *Rubensi* mulier loco tuto reddita fuerat, imo S. C. praecepit raptorem esse absolvendum ad cautelam ; et in *Praemisliensi* mulier e monasterio anfugiens non nupsit raptori, sed ejus fratri.

553. Quid vero si mulier prius quidem erat nolens, sed deinde promissionibus, blanditiis ac illecebris seducta virum sequitur ad matrimonium alibi contrahendum? Hic dici solet *raptus seductionis*; nec putamus ipsum decreto Tridentino comprehendi. Nam vir seducens puellam utique peccat, sed puella seducta jam sponte virum sequitur intuitu matrimonii : atqui quando puella consentit in raptum

Digitized by Google

seu potius fugam intuitu matrimonii, non verificatur raptus cum impedimento ac poenis Concilii. Hinc neque relatum votum, neque folium S. C. in *Olomucensi*, dum tradunt mulierem consentientem intuitu matrimonii decreto Tridentino non affici, excludunt mulierem ita seductam. Ad rem Gratianus in fine *c.* 36, *q.* 1. « Aliud est promissionibus aliquam seducere, aliud sibi vim inferre ». At certis argumentis probari debet puellam prius nolentem, deinde promissionibus, blanditiis ac illecebris seductam consensisse in fugam : nam prior dissensus praesumitur perseverare ac proinde puella violenter rapta : insuper ipsae blanditiae ac illecebrae aequivalere possunt violentiae morali, et tunc raptum adesse cum impedimento ac poenis Tridentinis evidens est (1).

554. *b*) Si mulier consentiens abducitur alio, non autem intuitu matrimonii cum abducente ineundi, est raptus de quo Concilium, quoties est raptus ad terminos juris civilis Romani, uti expresse tradit S. C. C. in relata responsione. Atqui raptus ad terminos juris civilis Romani in hac hypothesi est in duobus casibus.

555. *Primus* est si mulier etiam sui juris aut de consensu parentum... dolo viri meditantis rapinam fuerit in alium locum inducta ex *rel. l. un.* C. *De rapt. virg.* Ergo in hoc casu erit etiam raptus, de quo Concilium, cum impedimento ac poenis. Species ita fingi potest : Titius nuptias cogitans, sed nil de matrimonio dicens, inducit aliquo praetextu promissionibus aliisque artibus Semproniam in aliquem locum, quo cum pervenerit, vir eam detinet, eique mentem suam aperit de matrimonio ineundo. Nonnulli negant decretum Tridentinum hunc casum afficere, quia, ajunt, deest violentia raptui essentialis (2). Sed vera sententia affirmat, quia in casu adest raptus juxta communem loquendi usum, qui illum dolum violentiae morali aequiparat, et non solum jus Romanum, sed etiam recentiores codices e. g. *Code penale français*, *art.* 354 raptum in casu agno-

(1) De Angelis *IV, I, n.* 20.
(2) Sanchez *VII, XIII, n.* 12. Pirhing *V, XVII, n.* 26. Schmalz. *V, XVII, n.* 29.

Digitized by Google

scunt : cum vero ratio Concilii plene urgeat, ut patet, dicendum est hunc raptum decreto comprehendi (1).

Rem extra dubium ponit S. C. C. tum relata responsione, tum alia in *Parisiensi Matrimonii die* 25 *Junii* 1864. Nam Aemilius d'E. Parisiis deperire coepit Odittam L., eamque in uxorem petiit a patre Carolo L., qui tamen suadente, ut ferebatur, ipsa Oditta recusavit. Tunc Aemilius apud Annam Odittae matrem a suo viro separatam et pessimis moribus praeditam, et apud Saram ipsius Odittae ancillam agere coepit, ut per vim fraudemque obtineret, quod sponte legitimeque consequi non poterat. Cum Deppae morarentur balneorum maritimorum causa, mater ab Oditta petiit ut una cum Sara quamdam domum remoto in loco sitam conspiciendam accederet, quam a se conductam asserebat. Oditta nil suspicata matris dictis capitur ; simul ac domum illam subiit, mater sub aliquo praetextu egreditur, paulo post et Sara dilabitur, et illico Aemilius sese Odittae sistit, januis clausis. Sequenti die Odittae exterritae paternam domum Parisios repetere volenti mater et Sara suaserunt ut potius ad publicum diversorium Parisios interim sese conferret. Oditta statim iter ferreum arripuit Lutetiam versus, una cum Sara, quae ab ejus latere numquam se dimovit ; etiam Aemilius eodem tempore idem iter agebat. Suasione cujusdam d'Epée, amici Aemilii Oditta adiit parvum quoddam diversorium in via *d'Arcole* situm, ubi tribus hebdomadis commorata est. Cubiculum, agente Sara, hujusmodi assignatum ei fuit, ut ad illud nonnisi per Sarae cubiculum daretur accessus ; et illius fenestrae non viam publicam sed atrium tantummodo introrsum respicerent. Quare nullus exeundi aditus puellae patebat sine Sarae venia, quae tam caute tamque arcte eam custodiebat, ut quoties domo exiret, toties cubiculum clavibus obseraret. Saepius puella ab Aemilio invisebatur, quae eum vel repulit vel invita recepit ; alios alloqui non poterat, sicuti nec egredi nec epistolas scribere. Tandem, comitante Sara, jurisconsultum S. convenit, qui nullum aliud

(1) D'Annibale *III*, § 316, *not.* 30. De Justis *II*, *XVIII*, *n.* 69. De Angelis *IV*, *I*, *n.* 20. Feje *n.* 182. Instructio Austriaca, § 19. Riganti *l. c.*, *n.* 85. Allegre *Imp. Mat. Syn. Sect. II, Cap. I, art. IV.* Votum relatum...

Digitized by Google

huic malo remedium esse respondit praeter matrimonium, cui etiam pater licet invitus consensit. Oditta ante matrimonii diem ad ecclesiam perrexit ut ad poenitentiae sacramentum accederet, Sara semper comitante. Matrimonium malos exitus habuit, et Oditta declarationem nullitatis petente, proposito dubio. « An constet de nullitate matrimonii in casu ». S. C. reposuit *affirmative*, et *die* 27 *Aug. ejusd. anni* stetit in decisis.

556. *Alter* est si mulier non sui juris volens quidem abducitur a viro, sed invitis vel insciis parentibus (1)..... Ergo in hoc casu erit quoque raptus, de quo Concilium, cum impedimento ac poenis. Species ita exhiberi debet. Sempronia ne in monasterium detrudatur aut ad liberius vivendum proponit Titio ut eam auferat, invitis vel insciis parentibus. Titius cogitans nuptias cum Sempronia (secus vide n. 545) acceptat, eam aufert, et quando est in sua potestate ei nuptias proponit. Plures negant hunc raptum comprehendi Tridentina dispositione : sed immerito. In primis enim in foro externo consensus puellae in abductionem suam praesumitur extortus per dolum a viro ex *rel. l. un. C. De rapt. virg.* intuitu matrimonii, ideoque recidimus in casum praecedentem. Praeterea in casu nostro ex una parte habetur raptus, quia violentia infertur parentibus..., qua ratio raptus salvatur (2) et usus loquendi communis, praesertim si mulier *obstantibus* parentibus... abducitur, Romana legislatio, ac recentiores codices raptum in casu admittunt ; ex alia autem parte ratio Concilii urget, quia mulier consentiens in raptum potest dissentire matrimonio, non enim consentit in raptum intuitu matrimonii ex hypothesi ; unde hic raptus Tridentino decreto comprehendi dicendus est (3).

Confirmatur ex relata responsione S. C. C., et ex alia quam refert idem Riganti *l. c. n.* 70. « Felix de Gagliarda laicus decem aut duodecim hominibus armatis associatus Orsettam

(1) Voet *l. c., n.* 4.
(2) S. Thomas *cit.* 2, 2, *q.* 104, *a.* 7.
(3) Relatum votum expresse circa finem. Cit. folium S. C. C. in *Olomucensi Matrimonii*. Riganti *l. c., n.* 69-85. Instructio Austriaca, § 19. Feje *n.* 161 *sequ.*

Digitized by Google

filiam Clementis Thealdini in domo Angeli Massimi et sub ejus tutela degentem *ad hoc tamen consentientem* eduxit, et matrimonium cum ea contraxit. Modo idem Angelus in constitutione et assignatione dotis praedictae Orsettae eam ipsumque Felicem poenis in decretis S. Conc. Trid. *sess.* 24, *cap.* 6 in raptores comminatis illaqueari praetendit. Quaeritur an, stante ipsius Orsettae consensu, dictus Felix poenis adstrictus existat, dictaque dos ei assignari debeat? S. C. Cardinalium Conc. Trid. interpretum censuit hujusmodi raptorem secundum ea quae proponuntur, comprehendi tam quoad poenas, quam matrimonii prohibitionem ». Intellige Orsettam consensisse in raptum, non autem intuitu matrimonii cum Felice ineundi, ne dicere cogamur S. C. sibimet contradicere.

Accedit responsio S. Rotae data *die* 18 *Jun.* 1666, 27 *Mart.* 1667, 13 *Jun.* 1670, 11 *Mart.* 1671, de qua Card. De Luca *De matr. disc. V.* Nam Comes de Duras per nuntium cum Barone de Fraipont concluserat tractatum de matrimonio cum hujus filia ineundo, dissentiente tamen puella, quae alium virum desiderabat. Pater, ut filiam ad matrimonium induceret, statuit, communicato consilio cum eodem nuntio, puellam recludere in monasterio Bruxellensi. Itaque, alia sumpta occasione, iter arripuit Bruxellas, et dum Leodii transirent, pater, qui alibi hospitium destinaverat, inductus fuit a nuntio ut in domo cujusdam sui conjuncti hospitaretur. In hac autem nuntius verum finem itineris puellae manifestavit, eamque in aversione erga Comitem de Duras confirmavit. Sequenti die conclusa fuit inter nuntium et puellam fuga proxima nocte capienda, et revera nuntius puellam duxit in domum alterius sui conjuncti, et, ad aliquot dies conducta quadam domo, coram hujus loci parocho matrimonium iniverunt. Pater, accepta notitia fugae, ipsa qua contigit die statim recurrit ad Superiorem loci; post aliquod tempus obtinuit ut filia in loco tuto reponeretur, et causa de matrimonii nullitate introducta fuit coram S. Rota, quae semper stetit pro nullitate tum ex capite raptus, tum ex capite clandestinitatis. Card. De Luca, qui in hac causa multum pro nullitate adlaboraverat, narrat *l. c.* majorem et

Digitized by Google

pene totam quaestionem fuisse super raptu. Porro, uti saepius advertit De Luca, inter nuntium et puellam actum non fuerat de matrimonio alibi ineundo, et puella in fugam consenserat non intuitu matrimonii cum nuntio (in hoc enim casu raptus seu fuga conjugii validitati minime obstitisset n. 552), sed potius ut claustrum evitaret.

557. Quid vero si mulier sponte sua pergit in aliquem locum et ibi a viro deprehensa detinetur matrimonii causa? E. g. Sempronia petit deambulationis ergo *le Bois de Boulogne*, curiosa domum quamdam ingreditur, ubi Titius eam videns subitaneo amore captus, januis clausis, detinet matrimonii causa. In foro externo mulier vi aut dolo inducta praesumitur, insuper consensus matrimonialis ab ipsa praestitus praesumitur vi metuque gravi extortus, nisi prius ipsa libertatem penitus recuperaverit. In se vero nonnulli negant (1) decretum Tridentinum hunc casum comprehendere, quia est potius casus sequestrationis quam raptus (n. 549); alii affirmant (2), quia in casu adest loci mutatio (in quo hic casus differt a simplici sequestratione) et violenta mulieris detentio, et est raptus juxta communem loquendi usum in sensu aliquantulum latiori, qui tamen, cum matrimonii libertatem aeque offendat, Tridentina dispositione includi dicendus est. Nos litem sub judice relinquimus, hoc unum animadvertentes, nempe quod hic casus, si mulier non est sui juris, fortior videtur praecedenti quo circa mulierem non sui juris fugientem cum viro non intuitu matrimonii, insciis parentibus, decretum Concilii procedit.

Quod si mulier, accedens ad illum locum, ab initio quidem sponte sua accedit, sed deinde vi aut metu gravi deducitur ac sub viri potestate constituitur causa matrimonii, certum omnino putamus adesse verum raptum cum impedimento ac poenis; e. g. dum Sempronia deambulat *au Bois de Boulogne*, a Titio deprehensa violenter defertur in castellum, ibique causa matrimonii detinetur. Sane in casu raptus sin

(1) D'Annibale *III*, § 316.
(2) Feje *n.* 157 *sequ.* Scavini *III*, *n.* 891. Acta S. Sedis *I*, *pag.* 23. Marc *n.* 2004.

Digitized by Google

minus incipit ab eo loco ubi mulier a Titio arripitur (1). Idem dicatur justa omnes si mulier e contrario ab initio nolit, et vi aut metu gravi e loco tuto abducta sit, ac postea velit; nam raptus ab initio perpetratus est.

558. Praeter duos casus quos exposuimus, raptus mulieris consentientis etiam non intuitu matrimonii non comprehenditur sub decreto Concilii ex citata responsione S. C., quia non est raptus ad terminos juris civilis Romani. Hinc si mulier *sui juris* libens volens aufugit cum viro ad liberius alibi vivendum, etiam violentia facta iis qui forte eam aliquo modo custodiebant, potest utique cum eodem viro nuptias inire: cum enim sit sui juris illa violentia per se non est injusta, et est potius facti quam juris, quae proinde non officit. Idem dicatur, si puella non sui juris consentiens virum sequitur, annuentibus iis sub quorum potestate est, licet alii forte obsistant.

559. Haec omnia reassumimus citantes verba Riganti, qui postquam dedisset votum et responsum S. C. *l. c. n.* 85 subdit « Ex dicto autem S. C. C. decreto edito an 1608 duo inferuntur; alterum quod in muliere etiam rapi volente locum sibi vindicet dispositio conciliaris, *dummodo sit raptus juxta terminos juris civilis*, quia nempe intercesserit violentia, aut dolosis artibus fuerit mulier circumventa, seu extiterit sub cura parentum, tutorum, fratrum etc. ; alterum vero quod si praecedat consensus mulieris in matrimonium, ipsaque abduci consentiat, raptus non committitur, etiam insciis et reclamantibus parentibus..... per textum in cap. *Cum causam* 6, *De raptoribus*..... quae tamen decretalis dispositio, ut locum sibi vindicet, duo copulative requirit, nempe quod mulier raptui consentiat, et quod fuerit prius desponsata (2): nam rapiens propriam sponsam, seu eam quae matrimonio consensum praestitit, cum accipiat id ad quod jus habet, non dicitur committere raptum (3)..... ».

(1) Contrarium sentiunt Sanchez *l. c. n.* 9. Pirhing *l. c. n.* 25. Schmalz. *V, XVII, n.* 46.

(2) Idest consensum matrimonio praestiterit etiam extra vera sponsalia.

(3) Intellige sponsam consentientem (n. 552), secus nolentem (n. 548). Insuper haec ratio cum mica salis accipienda est.

Digitized by Google

559. 6° *Ac sub sua detinet potestate.* Conc. Trid. *l. c.* expresse statuit matrimonium inter raptorem et raptam consistere non posse, nisi « rapta *a raptore separata et in loco tuto ac libero constituta* illum in virum habere consenserit ». Ut id verificetur et ita raptus purgetur, necesse est ut mulier in alio loco constituatur, in quo immunis sit a quocumque viri influxu per se vel per alios exercito. Hinc impedimentum perdurat, non verificata Concilii conditione, si mulier eadem domo in quam abducta fuit, permaneat, licet vir eam liberam prorsus relinquat ita ut aufugere posset; item si ponatur in alia viri domo aut ab eodem conducta, vel in domo amici aut parentis ejusdem viri, licet exinde egredi valeat aliosque actus libere ponere, praesertim si quis de viri mandato in eam invigilet eamque aliquo modo custodiat. E contrario impedimentum statim cessat, si mulier suae domui restituatur, aut ponatur in monasterio, vel in domo amici aut parentis ipsius mulieris, qui viri in matrimonii negotio fautor non sit. Vide e. g. *Parisiensem Matrimonii*, cujus speciem dedimus n. 555, et *Herbipolensem Matrimonii* n. 550.

Purgato autem raptu, matrimonium quidem jam licite et valide contrahi potest, sed aliae poenae in raptorem citato decreto statutae manent. Praeterea parochus matrimonio numquam assistat, inconsulto Ordinario (1), etiam in locis ubi lex de examine testium pro statu libero non viget; cum Episcopus judicare debeat de causa raptus, an scilicet rapta separata a raptore loco tuto ac libero revera reddita fuerit, et dotis constitutionem debeat praecipere. Ubi consuetudo vigeret matrimonia hujusmodi etiam post purgatum raptum non fieri sine dispensatione, Episcopus hanc concedere potest: at ea praetermissa, matrimonium foret validum, licet graviter illicitum (2). Haec quae huc usque disputavimus, satis determinant quemnam raptum Concilium suo decreto afficiat.

560. Hoc impedimentum, posito vero mulieris consensu contra juris praesumptionem, est juris ecclesiastici tantum,

(1) Bangen *II, pag.* 145. Feje *n.* 186. De Justis *II, XVIII, n.* 16 *sequ.*
(2) De Justis *l. c. n.* 15. Giovine *I*, § 377.

Digitized by Google

ut facile patet. Proinde Ecclesia dispensare potest et aliquando in gravissimis casibus dispensat, seu sinit ut mulier manens sub potestate raptoris matrimonium cum eodem ineat, dummodo plene in illud consentiat, et hanc dispensandi potestatem aliis quoque aliquando concedit, aut hujusmodi matrimonia sanat in radice. Huc spectant quae in Actis S. C. de Prop. Fide pro Imperio Sinensi *pag.* 12, *die* 31 *Jan.* 1796 leguntur. Vicarius Apost. Sutchuensis expostulaverat :

« 1° An Missionarii dispensare possint in impedimento disparitatis cultus cum muliere fideli, quamvis rapta fuerit nec loco tuto reddita, dummodo ipsa libere in matrimonium consentiat.

« Resp. Cum in decreto facultatis extraordinariae, quae ad tempus concedi solet Episcopis Vicariis Apost. Indiarum Orientalium dispensandi super impedimento disparitatis cultus, omissa sit clausula quae in aliarum facultatum formulis apposita legitur : *Dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat*, hoc ipso concessum videtur quod non est in concedentis decreto restrictum. Cum tamen etiam de hujus facultatis extraordinariae concessione dubium exortum sit inter Sinenses, ne suspensi maneant animi de valore matrimonii, responderunt EE. PP. in proposito casu supplicandum Ssmo ut dignetur declarare Episcopos et Vicarios Apost., quibus concessa est extraordinaria illa facultas dispensandi super disparitate cultus, uti ea valere gravibus de causis in singulis casibus, prout in dicto decreto exprimitur, etiam in casu quo mulier rapta fuerit necdum tuto loco restituta, constito ante de libero ejus consensu in matrimonium, et praehabito partis infidelis consensu in cohabitationem absque contumelia Creatoris. Insuper ut pro tranquillandis conscientiis dignetur Sanctitas Sua revalidare ad cautelam, et quatenus opus sit, matrimonia vi praecedentium dispensationum ante contracta, existente muliere in potestate raptoris, quatenus nullum aliud obstet impedimentum dirimens. — Sanctitas Sua utrique supplicationi dignata est benigne annuere.

« 2° An sit concedenda facultas a missionariis petita con-

Digitized by Google

validandi matrimonia mulierum fidelium cum apostatis contracta seu per vim seu *post raptum* et antequam ipsae loco tuto redditae fuerint ».

« Resp. Consulendum Ssmo pro concessione petitae facultatis, dummodo fides mulierum sit in tuto, ipsae libere consentiant ac possint habitare cum apostata sine contumelia Creatoris. — Sanctitas Sua benigne dignata est petitam facultatem concedere.

« In hac porro dispensatione concedenda sedulo pastor mulierem admonere non omittat de gravi obligatione, qua tenetur, omni ope curare ut per bonam conversationem virum apostatam a suscepta impietate revocatum Christo lucrifaciat; tum ut et suscepta proles in Christiana religione rite instituatur ».

561. Sed haec rarissima exceptione: nam Ecclesia ab hoc impedimento dispensare non solet, et merito; quia vir optime potest mulierem loco tuto ac libero reddere, et deinde matrimonium inire sine ulla dispensatione. Imo Ecclesia adeo ab hoc crimine abhorret, ut si commissum fuerit etsi purgatum, nolit matrimonialem dispensationem in alio impedimento e. g. consanguinitatis concedere. Hinc diximus n.545 in omnibus literis dispensationum matrimonialium apponi solere clausulam: *Dummodo mulier propter hoc rapta non fuerit.* Haec clausula importat conditionem (n. 364), ideoque dispensatio est nulla, si raptus revera perpetratus fuit, etsi deinde purgatus, muliere separata a raptore loco tuto ac libero constituta. Hinc Ordinarius nequit illam exequi, uti reposuit S. C. C. *die* 1 *Dec.* 1583, et *die* 6 *Apr.* 1606 apud Riganti *l. c. n.* 96 *sequ.*, sed opus habet novas literas petere in forma *perinde valere*. Quando in instantia circumstantia raptus exposita fuit, in rescripto dispensationis adduntur clausulae: «..... *Postquam N. praefatam M. arbitrio tuo competenter dotaverit, et dummodo M. a praefato N. separata et in loco tuto ac libero constituta existat, et dictum N. in virum habere consentiat..... quodque si dictus N. praefatae M. supervixerit perpetuo absque spe conjugii remaneat* ». Vi primae clausulae Ordinarius potest executionem dispensationis legitime dene-

Digitized by Google

gare, donec raptor de facto raptam decenter dotaverit juxta decretum Concilii, ut ipsis verbis rescripsit S. C. C. 10 *Dec.* 1583, imo debet executionem dispensationis denegare (1). Ultima clausula importat impedimentum impediens (n. 246) vestigium antiquae disciplinae (n. 432). S. Sedes in eo facile dispensat, si in instantia dicatur quod conjux superstes *continenter vivere diffidat*, sed in hac dispensatione eadem clausula rursus apponitur. Et licet excommunicatio decreto Tridentino inflicta non sit reservata (n. 540), tamen post petitam dispensationem non decet propter appositionem manus Pontificis Episcopum ab ea absolvere, nisi dispensandi potestas ei facta fuerit (2). Idem dicito de aliis poenis, postquam de iis sententia lata fuit.

562. Cum hoc impedimentum sit ex Ecclesiae statuto, sequitur infideles non afficere. Hinc, si rapta revera consenserit, quod non praesumitur, matrimonium inter raptorem et raptam penes infideles valet, nisi hoc impedimentum a civili auctoritate latum fuerit. Quod si rapta sit fidelis et raptor infidelis, aut viceversa, putamus matrimonium esse nullum, etiam praecisione facta ab impedimento disparitatis cultus, quia decretum Tridentinum, licet favore partis raptae latum, tamen utramque inhabilem reddit ad contrahendum, dum rapta sub potestate raptoris permanet.

563. In media aetate raptus mulierum frequentius perpetrabantur. Ideo Rituale Romanum *De sacram. matr.* monet parochum. « Praesertim vero meminerit matrimonia inter raptorem et raptam, dum ipsa in raptoris potestate manserit, inita... ex ipsius Concilii decretis irrita omnino ac nulla esse ».

§ 4. — *De impedimento voti* (3).

564. Quamquam vota quae matrimonio opponuntur illud, si forte contrahatur, reddant per se illicitum quidem sed

(1) De Justis *II, XVIII, n.* 19 *sequ.*

(2) De Justis *l. c. n.* 39. Feje *n.* 187 aliique, qui imo putant Episcopum non amplius habere dispensandi potestatem ; sed nos consulto dicimus *non decet* (n. 410).

(3) Vide canonistas in *tit. Qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt VI lib. IV Decret.*

Digitized by Google

non invalidum (n. 434), Ecclesia nihilominus statuit nonnulla ex illis votis conjugium etiam irritare seu constituere impedimentum dirimens matrimonium. Talia sunt.

565. 1° *Professio solemnis* in Ordine Regulari proprie dicto. Id patet ex *cap.* 3, 4, 5, 6, 7 *cit. tit.*, *cap. un. De voto et voti redemptione in* 6°, *cap.* 10. *De convers. conjug.* aliisque juribus. Iis accedit *canon.* 9 dogmaticus Conc. Trid. *sess XXIV*: « Si quis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto, et oppositum nihil aliud esse quam damnare matrimonium... anathema sit... » Imo haec solemnis religiosa professio irritat etiam matrimonium antea contractum ratum tantum non consummatum ; de qua re alibi. Etiam in Ecclesia Orientali catholica professio solemnis religiosa est impedimentum dirimens matrimonium (1).

566. Ut haec rite intelligantur, recolendum est Ecclesiam juxta recentem disciplinam institutum regulare approbare vel *cum votis solemnibus*, quod tunc audit *Ordo Regularis*, *Ordo Religiosus*, vel *cum votis simplicibus*, quod dici solet *Congregatio Religiosa*. Illa votorum solemnitas, quam Ordini Regulari Ecclesia concedit, non consistit in pompa exteriori qua vota emittuntur, sed consistit praecise in efficacia ipsis Ecclesiae constitutione indita, qua votum non solum illicitos sed etiam irritos reddat actus contrarios, atque idcirco in casu nostro votum castitatis dirimat matrimonium postea contrahendum vel antea contractum ratum tantum. Igitur professio horum votorum solemnium seu professio solemnis in Ordine Regulari conjugium irritat. Antiquitus non aderant Congregationes Religiosae cum votis simplicibus, sed tantum Ordines Regulares cum votis solemnibus, et in iis una erat solemnis professio. Hinc in citatis juribus absque ulla distinctione traditur matrimonium impediri ac dirimi a professione expressa vel tacita in religione a Sede Apostolica approbata ; cujus « pro-

(1) Mansella *p. I, cap. IV, art. II.*

Digitized by Google

fessio ad castitatis custodiam et abdicationem temporalium suos professores adstringat » addit Joann. XXII in *extravag. un. De voto et voti redemptione*, ut excluderet professionem in Ordine militari, ac in tertio Ordine S. Francisci et S. Dominici, quae non est solemnis (1), si institutum Ordinis Ierosolymitani excipias, de quo Ben. XIV in Const. *Biennium* 13 *Oct.* 1745.

567. Ex dictis jam satis apparet hanc solemnem religiosam professionem matrimonium irritare ex solo jure ecclesiastico (2). Nam illa solemnitas ex qua hanc efficaciam haurit « ex sola Ecclesiae constitutione est inventa » ut ait Bonif. VIII in *cit. cap. un. De voto et voti redemptione in* 6°, seu sola Ecclesiae lege fit ut actus illis votis contrarii non solum illiciti, sed etiam irriti sint. Id fusius evolvere ad alium tractatum pertinet. Confirmatur ex praxi RR. PP., qui aliquando ex rationabili causa solemniter religionem professis nuptias inire permiserunt. Nonnulla exempla citat Giovine *I*, § 241, *n.* 2, quibus adde Pium VII initio hujus saeculi sanavisse in radice multarum monialium aut monachorum sacrilega conjugia. S. Alph. *VI*, *n.* 1025 probabiliorem habet sententiam quae tenet votum solemne religionis dirimere ex jure divino (3), quia in voto simplici corpus tantum promittitur Deo, sed in solemni per acceptationem legitimam praelatorum corpus insuper Deo traditur. Hanc rationem habet quoque S. Thomas 4 *dist.* 38, *q.* 1, *a.* 3, *q.* 3 cum aliis. At haec ratio, salva tantorum AA. reverentia, solida non est, sed « asceticorum potius meditationibus accommodata, quam philosophorum et jurisconsultorum sententiis » Berardi *Jus Ecc. tom. III*, *diss. IV, cap. V.* Nam voto simplici e. g. in Congregatione Religiosa corpus eodem modo traditur Deo per acceptationem legitimorum praelatorum, quin tamen matrimonium postea contractum dirimatur. Proinde illa traditio in solemni professione non

(1) Gury-Ballerini *II*, *n.* 797. Giovine *I*, § 239. Berardi *III, IV, V.*

(2) Sanchez *VII, XXVI.* Fagn. comm. *cap.* 6. *De statu monachorum.* Schmalz. *IV, VI, n.* 50. De Angelis *IV, VI, n.* 5. Lehmkuhl *II, n.* 507. Feje n. 514. Giovine *I*, § 240. Berardi *l. c.*

(3) Haec D. Alphonsi sententia difficile conciliatur cum iis, quae ipse tradit eodem libro *n.* 1059.

Digitized by Google

secumfert nullitatem subsequentis matrimonii, nisi accedat lex Ecclesiae, quae professum inhabilem reddat ad matrimonium aliosque actus professioni contrarios. Caeterum S. Alph. *III*, *n.* 256 cum eodem S. Thoma *l. c. a.* 4, *q.* 1 *ad.* 3um admittit R. P. posse solemniter castitatem professis matrimonium indulgere.

568. Dispensandi potestate, prout alias, gaudet unus R. P., nisi Ordinarius obtinuerit indultum. Hoc omnes Ordinarii habent pro articulo mortis, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, nec voto solemni sacerdotium conjungitur (n. 405). Quaenam causa sit rationabilis pro hac dispensatione concedenda, prudentiae R. P. relinquendum est. At, testante Ursaja *Discept. Ecclesiast. t. IV*, *p.* 17, *disc. V*, ea fuit semper Ecclesiae disciplina ut haec dispensatio non concederetur, nisi ex causa publica, quae in religionis utilitatem vergat, e. g. ne successio regni devolveretur ad eterodoxum vel infidelem, pro conversione regni vel provinciae ad fidem, ad evitandum bellum successionis regiae, ne familia valde illustris potens et Ecclesiae benemerita extinguatur (1). Aliquando autem concedi ex causa privatum tantum bonum respiciente patet vel ex ipso indulto Ordinariis concesso pro mortis articulo.

569. Si autem quaeras quandonam nuptiae post solemnem professionem attentatae primum irritae factae sint, respondemus rem esse valde obscuram in historia ecclesiastica. Doctus Berardi *l. c.* plura habet, quorum summam ita exponit De Angelis *IV*, *VI*, *n.* 6. « Videtur hoc inductum esse saltem inchoative tempore Greg. M. post exortum Benedicti institutum de monachis in Occidente. Tum vero cum quis ex monachis, monasterio relicto, conjugia inivisset, renovatae fuerunt veteres leges in Concilio Triburiensi *can.* 11, 12, 13 *et* 14, *c.* 27, *q.* 1 in Decreto, et cautum ut monachi regulae desertores ad monasterium etiam inviti reducerentur, quod satis videbatur ad eosdem monachos a voluntate ineundi conjugia avocandos. Tandem initio saeculi XII suprema manus imposita fuit huic disciplinae, et

(1) Giovine *I*, *cit.* § 241, *n.* 2.

Digitized by Google

sub Callixto II in Conc. Lat. *an.* 1123, *can.* 24 statutum est ut irrita omnino forent ea conjugia *can.* 8, *dist.* 27, ubi praeter poenam in personas illas conjugium contrahentes illatam dicitur *contracta quoque conjugia disjungi*, quae verba utpote in conjugium ipsum collata vim decreti irritantis praeseferunt. Id ipsum paulo postea seu *an.* 1139 confirmavit Inn. II in Lat. Conc. *can.* 40, *dist.* 29, *q.* 1 ita definiens: *Hujusmodi copulationem matrimonium non esse censemus.* Atque id ad sanctimoniales foeminas extendit..... »

570. Poenae contra regulares et moniales post solemnem professionem, aut clericos majores post ordinationem attentantes matrimonium (sunt enim eaedem pro omnibus), hodie sunt sequentes:

a) Incurrunt excommunicationem latae sententiae Ordinariis reservatam ex Const. *Apostolicae Sedis n.* 1 : « Clericos in sacris constitutos vel regulares aut moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes, nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes ». Haec excommunicatio lata jam fuerat in *Clem. un. De consang. et affinit.* (1). Episcopus N. inter alia quaesiverat a S. C. S. Officii : « 1° Ac primo quidem per praedictam Constitutionem (*Apostolicae Sedis*) excommunicationi latae sententiae Episcopis, sive Ordinariis reservatae subjacere declarantur: *Clerici in sacris*..... Quam censuram aliqui extendi etiam ad eos clericos defendunt, qui civile, quod vocant, matrimonium contrahere attentant in locis ubi decretum *Tametsi* Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. I de ref. mat.* promulgatum et in usu est. Haec vero sententia ab aliis rejicitur. Quaeritur ergo utri sententiae sit adhaerendum? » S. C. reposuit 22 *Dec.* 1880. « Ad 1um dubium: Clericos in sacris

(1) Jure antiquo Concilium Toletanum *can.* 6 statuerat foeminam in monasterio, clericum in coenobio detrudi debere usque ad mortem : et Concilium Neocoesarense *can.* 1 presbyterum deponi et inter laicos redigi ad poenitentiam agendam. Jure decretalium Alex. III *cap.* 1, *De clericis conjugatis* praecipit ut Episcopus per suspensionem et excommunicationem cogat ipsos ad uxorem dimittendam et poenitentiam agendam. Clemens V *l. c.* hanc poenam auxit.

Digitized by Google

constitutos, vel regulares aut moniales post emissum solemne castitatis votum praesumentes contrahere matrimonium sic dictum civile in locis ubi lex Tridentina de clandestinitate viget, incurrere excommunicationem latae sententiae Episcopis seu Ordinariis reservatam ». D'Annibale *I*, § 298, *not.* 23, et *III*, § 305, *not.* 40 putat cum Sanchez, *III. II*, *n.* 7 *sequ.* contra Sotum hanc censuram eos non manere, si matrimonium fuit nullum ex alio capite, idest si contraxerint obstricti alio impedimento dirimente, vel sine parocho aut testibus; sed putamus id verum non esse, et Soti sententiam esse retinendam praesertim post relatam declarationem S. Officii. Cum vero in cit. articulo Const. *Apostolicae Sedis* dicatur *praesumentes*, ab hac censura excusat ignorantia invincibilis, et vincibilis etiam crassa vel supina, et etiam affectata juxta meliorem sententiam.

571. *b*) Sunt suspecti de haeresi, ut docet Thesaurus *I*, *IV*, *v. matrimonium*, ideoque uti tales denuntiandi S. Inquisitioni. Nam facto putare videntur hoc matrimonium licitum et validum contra canonem dogmaticum Conc. Trid. Quod si revera ita putaverint, sunt haeretici formales; ac proinde, si haec haeresis fuerit exterius manifestata, incurrunt aliam excommunicationem R. P. speciali modo reservatam in cit. Const. *Apostolicae Sedis n.* 1 latam in haereticos et apostatas.

572. *c*) Recensitas poenas ipsi incurrunt sive matrimonium fuerit consummatum sive non: nam consummatio nullibi exigitur. At ulterius si matrimonium consummatum fuit, clerici majores, aut regulares post solemnem professionem juxta plerosque sunt irregulares ex *bigamia similitudinaria*, quia scilicet post initum matrimonium spirituale per susceptionem sacrorum ordinum aut solemnem professionem matrimonium carnale attentant et consummant. Sed cum haec irregularitas non reperiatur in jure expressa, verius est eamdem non existere; quod fusius demonstrare nostrum in praesentiarum non est (1).

(1) D'Annibale *I*, § 419.

Digitized by Google

573. Praeter has poenas clericus major, aut regularis solemniter professus privilegiis clericalibus non privatur : imo sacrilegis vinculis solutus ad clericatum, vel claustrum redire cogitur. Clem. V in *cit. Clement. un. De voto et voti redemptione* praecipit ut ecclesiarum praelati tamdiu eos excommunicatos publice nuntient, aut a suis subditis nuntiari faciant, donec suum humiliter recognoscentes errorem, separentur ad invicem et absolutionis obtinere beneficium mereantur. Insuper ecclesiarum praelatos posse poenis jure statutis alias addere in taliter delinquentes non est dubium. Quod si clericus major, aut regularis post solemnem professionem ex dispensatione R. P. nuptias inivit, has omnes poenas effugere evidens est, cum nuptiae sint validae et licitae. At, defuncta uxore, Episcopus non posset virum in statum clericalem rursus recipere, ei permittere ut in susceptis ordinibus ministret, aut eum ad superiores ordines promovere, inconsulta Sede Apostolica, quae, concedens dispensationem, illum in laicalem statum in perpetuum redigendum esse praeceperat.

574. 2° *Professio simplex in Societate Jesu* post biennium novitiatus ex. Greg. XIII Const. *Ascendente Domino* 25 *Maii* 1584. « Quinimo eos omnes ad contrahendum (matrimonium) inhabiles, et contractus hujusmodi nullos et irritos esse, prout irritos facimus et annullamus ». Nimirum in Societate Jesu sunt vota solemnia quae serius emittuntur : post biennium novitiatus eadem vota emittuntur simplicia, quae tamen Greg. XIII *l.c.* voluit matrimonium postea contrahendum irritare, non vero dirimere antea contractum. Caeterum haec vota cum impedimento dirimenti eo ipso cessant quo professus dimittitur.

Analoga disciplina inducta est et in aliis Ordinibus virorum ex decreto S. C. EE. et RR. auctoritate Pii IX edito *die* 18 *Martii* 1857, nempe ut post novitiatum aetate praescripta professio simplex fiat, et nonnisi post triennium solemnis. At peculiaris illa constitutio pro Societate Jesu ad alios Ordines extensa non est : proinde haec simplex professio impedimentum impediens, non dirimens constituit, ut declaratum fuit *die* 24 *Jan.* 1861. Professum votorum

Digitized by Google

simplicium in Societate Jesu, qui matrimonium attentaverit, non manent poenae supra descriptae (nisi forte sit clericus major), utpote quae professum votorum solemnium afficiant.

575. 3° Tandem *votum castitatis quod in saeculo emittit uxor*, viro de consensu ipsius sacros ordines suscipiente. Nimirum uxoratus potest juxta canones, vivente etiam uxore, ad sacros ordines promoveri, dummodo uxor non solum liberum praebeat consensum, sed insuper religionem ingrediatur et solemniter profiteatur : quod si fuerit senex, nec de incontinentia suspecta, poterit juxta veriorem ac tutiorem sententiam in saeculo remanere, castitatem perpetuam in manu Episcopi vovens. Jam vero si, viro defuncto, ipsa hoc simplici castitatis voto obstricta ad alias nuptias convolare ausa fuerit, matrimonium erit nedum illicitum, sed etiam nullum, uti colligitur ex *can.* 10, 11, 12 *dist.* 28 et *can.* 14 *dist.* 32 *in Decreto*, et est communis sententia (1). Idem a fortiori dicas, si ipsa hanc castitatem perpetuam profiteatur in Congregatione Religiosa cum votis simplicibus. Hoc autem votum castitatis in saeculo emissum est reservatum.

576. Quaestio est an eodem jure matrimonium dirimat votum castitatis quod in saeculo emittit conjux, altero de ejus consensu post matrimonii consummationem religionem solemniter profitente. Nempe si matrimonium est ratum tantum, conjux potest, etiam altero renuente, statum religiosum amplecti, et solemni professione vinculum matrimoniale dissolvitur. Si vero matrimonium est consummatum, canones statuunt conjugem non posse ad religionem transire eamque profiteri, nisi alter consentiat, et ipse quoque coenobium ingressus in eo regularem professionem emittat, aut saltem, si provectae aetatis est et ab omni incontinentiae suspicione immunis, voto castitatis perpetuae in saeculo sese obstringat. Hoc posito, si conjux in saeculo post

(1) Ben. XIV *De Syn. XIII, XII, n.* 16. Sanchez *VII, XL.* D'Annibale *III*, § 305, *not.* 37, *et* § 339, *not.* 26. Schmalz. *IV, VI, n.* 41. Ballerini ad Gury *II, n.* 44 cum communi. Contrariam sententiam S. Alph. *VI, n.* 812 circa finem appellat satis probabilem, sed alii non immerito ei quamcumque probabilitatem negant.

Digitized by Google

alterius mortem contra suum castitatis votum matrimonium inire praesumpserit, plerique docent hoc esse illicitum quidem, sed validum (1), quia nullo jure declaratur irritum, et leges, quae nullitatem tradunt in casu praecedenti, ad hunc, utpote odiosae, extendendae non sunt. Ben. XIV *l. c.* sententiam suam non profert, sed ait *dubitari non omnino temere posse de matrimonii nullitate,* subdens : « Par enim ratio inesse videtur utrique speciei, nimirum reverentiae habendae erga solemne votum licet ab altero conjuge emissum ; quam rationem innuit S. Thomas *in 4 sent. dist.* 37, *q.* 1, *a.* 2, *ad* 2 ». Stante hoc dubio in casu particulari, si agatur de matrimonio contracto, eidem favendum est, donec S. Sedes aliud non declaraverit.

§ 5ª. — *De impedimento ordinis sacri* (2).

577. Notum est pro clericis in Ecclesia adesse *legem caelibatus* qui proinde dicitur *ecclesiasticus.* Haec lex tota continetur in principio, quod Alex. III, *cap.* 3, *De conv. conjug.* expresse tradit : « Simul voluptatibus et carnalibus desideriis ac divinis et ecclesiasticis obsequiis vacare non valeant » (clerici); seu clericus mancipatus divinis et ecclesiasticis obsequiis debet continentiam et caelibatum servare : ideoque et clericus arcetur a matrimonio et uxoratus ab ordine, nisi servatis servandis.

578. Ratio hujus legis triplex assignari potest. 1° Quia status continentiae et caelibatus perfectior est prae statu matrimoniali (n. 213). 2° Quia clerici curis matrimonialibus soluti melius possunt sibi concreditum divinum ministerium praestare ac salutem spiritualem hominum curare juxta illud Apostoli 1 *Cor. VII* : « *Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est* ». 3° Tandem quia clerici conti-

(1) Sanchez *VII, XXXII, n.* 8. Schmalz. *IV, VI, n.* 40. D'Annibale *III,* § 305, *not.* 37, et § 339, *not.* 26.

(2) Vide canonistas in eodem *tit. Qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt VI lib. V Decret.*

Digitized by Google

nentiam servantes majorem habent populorum veneratio-nem, ideoque eorum ministerium est efficacius. Haec autem major veneratio duabus rationibus praecedentibus innititur.

579. Originem hujus legis ita eruditi explicare solent. Christus D. doctrina ac exemplo, B. V. M. et S. Joseph exemplo, Apostoli doctrina ac exemplo continentiam laudaverunt et praetulerunt matrimonio. Ante vocationem S. Petrus habuit uxorem, ut patet ex S. Matt. *VIII*, 18, non vero probabilius alii Apostoli, neque S. Philippus de quo aliqua posset esse dubitatio(1), sed post vocationem neque S. Petrus neque si quis alius Apostolus duxerat uxorem, eam retinuit aut ea usus est, et multo minus uxorem duxit. Hinc mirum non est, si usque ab initio Ecclesiae clerici continentiam servarent, et uxorati retinentes uxorem a clericali statu repellerentur, licet lex caelibatus non extaret, praesertim cum continentiae status adeo opportunus et conformis esset statui clericali, uti rationes supra allatae probant. Hoc modo ab ipsis primis Ecclesiae temporibus inducta est lex consuetudinaria caelibatus pro clericis tum in Oriente, tum in Occidente, quae consuetudo fuit etiam constitutionibus particularibus Episcoporum pro suis dioecesibus firmata. Tandem accesserunt dispositiones RR. PP. ac Conciliorum Generalium.

580. Ex dictis apparet hanc legem caelibatus ecclesiastici duplicem veluti partem habere, quatenus prohibet uxoratos a statu clericali, et clericos a matrimonio, ipsos cogens ad continentiam. Nostrum heic est hanc legem exponere quoad secundam partem tantum quatenus clericis matrimonium interdicit. Quum vero Ecclesia Orientalis a primitivae disciplinae puritate hac in re deflexerit, hinc distinctim loquemur de Ecclesia Occidentali, ac de Ecclesia Orientali (catholica).

(1) Zaccharia *Storia polemica... cap. I.*

Digitized by Google

I

In Ecclesia Occidentali.

581. In primis clerici in minoribus ordinibus constituti, idest infra subdiaconatum, possunt pro lubitu matrimonium inire, ita ut prima tonsura et ordo minor non sit impedimentum neque impediens neque dirimens matrimonium. Id clare eruitur ex *cap.* 1, 3, 5, 6, 7. *De clericis conjugatis* aliisque juribus. Quum vero in Ecclesia Occidentali plene vigeat canonicum principium, ut mancipatus divinis ac ecclesiasticis obsequiis nequeat voluptatibus et carnalibus desideriis vacare (n. 577), hinc minorista contrahens matrimonium valide quidem et licite agit, sed eo ipso decidit e statu clericali. Proinde minoristae tenentur ad caelibatum, et prohibentur a matrimonio *in sensu composito*, ut ajunt philosophi, nempe si velint in statu clericali permanere.

582. Hinc in minoribus ordinibus constitutus contrahens matrimonium ipso jure privatur :

a) Omnibus beneficiis et pensionibus ecclesiasticis, si quas habet, ex *cit. cap.* 1, 3, 5, 8... *De clericis conjugatis ;* nam, ut ait Inn. III in *cit. cap.* 5, in *eorum conversatione cithara cum psalterio male concordat.* Quamquam vero *ex cit. cap.* 1, 3, 5, 8... *De clericis conjugatis* haec privatio beneficiorum et pensionum ecclesiasticarum videatur ferendae sententiae, tamen communis doctrina est ipsam esse latae sententiae. Imo Thesaurus *De poenis... p. II, cap. IV, v. apostasia* docet non solum *ipso jure* minoristam privari beneficiis et pensionibus ecclesiasticis, sed teneri ea dimittere ante omnem judicis declarationem, et fructus quoque perceptos post matrimonium restituere. Nam assumens statum matrimonialem incompatibilem lege Ecclesiae cum statu clericali, videtur huic statui ideoque beneficiis ac pensionibus ecclesiasticis renuntiavisse, quae renuntiatio ab Ecclesia acceptata est : atqui renuntiatio beneficii aut pensionis ecclesiasticae acceptata a legitimo superiore importat privationem ipso jure ante quamcumque declaratoriam sententiam (1). Idque etsi matrimonium sit tantum ratum,

(1) De Angelis *III, III, n.* 4. Santi *IV, VI, n.* 5.

Digitized by Google

nondum consummatum ; non vero si minorista sponsalia tantum de futuro iniverit, nec si matrimonium fuerit nullum, ut probabilius docet Giraldi *I*, *sect.* 336. Episcopus vero nequit dispensare, ut uxoratus minorista retineat aut obtineat beneficium vel pensionem ecclesiasticam.

583. *b*) Privilegiis omnibus clericalibus. Conservat tamen privilegium canonis, si 1° cum unica et virgine contraxerit ; 2° tonsuram et vestes deferat clericales ex *cap. un. De clericis conjugatis in* 6°. Conservat privilegium fori, si 1° cum unica et virgine contraxerit ; 2° tonsuram et vestes deferat clericales ex *cit. cap. un. ejusd. tit. in* 6° ; 3° inserviat alicui ecclesiae de mandato Episcopi ex Conc. Trid. *sess. XXIII, cap. VI de ref.*, idest, ut explicat Ben. XIV *De syn. XII, IV, n.* 3, si ecclesiae ministrare pergat. In praesenti Ecclesiae statu vix locus est his conditionibus, nominatim alteri, ut minorista uxoratus gaudere valeat privilegio canonis et fori.

584. At clericus major post subdiaconatum inclusive illicite et invalide matrimonium init, ideoque ordo major est impedimentum dirimens matrimonium postea contrahendum. Id patet ex *cap.* 1 *et* 2, *Qui cler. vel vov.*, *cap.* 1 *et* 4, *De cleric. conjug.*, *Clement. un. De affin. et consanguin.* aliisque juribus ; quibus accessit canon dogmaticus Conc. Trid. (n. 565). Olim disputatum fuit an ordo sacer dirimeret quoque matrimonium antea contractum ratum tantum non consummatum, sicuti solemnis religiosa professio. « Cardinalis Ostiensis *in Summa* eamdem sacro ordini vim tribuit ad dissolvendum matrimonium ratum nec consummatum, quam habet regularis professio. Oppositam sententiam alii sunt sequuti impensius monentes quod, nulla super hoc allata nec evulgata pontificia definitione, periculosum nimis est Ostiensis opinioni subscribere. Verum cum postmodum Joan. XXII suam ediderit constitutionem, quae incipit *Antiquae* sub titulo *De voto et voti redempt.* in collectione ejusdem decretalium *tit.* 6, indubium firmumque mansit, quamvis matrimonium ratum sed non consummatum dissolvat religiosa professio, minime tamen per suscep-

Digitized by Google

tionem sacrorum ordinum dissociatum illud censeri oportere ». Ben. XIV *De syn. XIII, XII, n.* 14.

585. Ab hac regula generali duae sunt exceptiones. Nimirum clericus major nullo modo a nuptiis prohibetur, si fuit ordinatus, *a*) ante pubertatem ; *b*) sub vi, et fortasse etiam sub metu gravi, cum nemo invitus sine sua culpa privari debeat jure, quod habet a natura, ad matrimonium. Haec breviter declaranda sunt.

586. *a*) De primo casu agit Ben. XIV in Const. *Eo quamvis tempore* 4 *Maii* 1745 cujus haec fuit occasio. A missionariis catholicis in Aegypto proposita fuerunt eidem Pontifici nonnulla dubia quae Ecclesiam Copticam respiciebant. Inter Coptos invaluerat disciplina a remotis temporibus, ut statim post baptismum tonsura et ordines, excepto presbyteratu, parvulo conferrentur. In hac ordinatione parentes veluti sponsores accedebant quoad obligationes ordinibus adnexas; imo cum ordinatus nonnulla specialia munia observare deberet ex illius Ecclesiae disciplina, haec pro ipso parentes praestabant usque ad XVI illius aetatis annum completum. Jam vero missionarii quaerebant in dubio 3°, utrum ii, qui in infantili aetate diaconatum receperant, possent ex sola dispensatione obtenta a missionariis absque ullo speciali indulto Apostolico inire non solum primum, sed etiam alterum matrimonium ; et in dubio 4°, utrum dicti diaconi officium divinum recitare tenerentur. Sapientissimus Pontifex respondet certum esse ordinationem in casu esse illicitam sed validam ; sed aeque certum esse promotum non subjici obligationi servandae castitatis, nec aliis oneribus ab Ecclesia impositis, nisi post pubertatem receptam ordinationem ratam habuerit sive expresse sive tacite, exercitio scilicet ordinis recepti aut observantia obligationum ordini adnexarum (1). Statuit igitur diaconos Coptos, postquam XVI aetatis annum excessissent, esse interrogandos utrum velint in sancto perseverare proposito, vel temporale inire conjugium. Si diaconus respondeat nolle diutius in diaconali officio persistere, liceat illi primum,

(1) « Modo sciat et advertat per hujusmodi actum tali obligationi se subjicere » S. Alph. *VI, n.* 811.

Digitized by Google

eoque legitime soluto, alterum quoque inire matrimonium, et praeterea certior fiat se nulla ecclesiastica lege teneri ad divinum officium recitandum. Contra si respondeat se velle in suscepto ordine perseverare et ecclesiasticis vacare muneribus, nuptiae quaecumque sunt ei interdicendae et obligatio divini officii recitandi est intimanda.

Idem Pontifex *l. c. n.* 23-26 docet cum theologis nec teneri obligationibus clericalibus impuberem post usum rationis ordinatum, nisi, confirmata jam aetate, suam ordinationem expresse vel tacite ratam habeat. Ei igitur eadem providissima dispositio, quae pro diaconis Coptis a tanto Pontifice lata fuit, applicanda esse videtur (1).

587. *b*) Ad alterum casum quod attinet, ordinatio physica vi collata invito prorsus ac reluctanti certe est nulla, ideoque nullas parere potest obligationes, contraria veteri obsoleta disciplina, uti docet Ben. XIV in cit. Const. *n.* 21. Quod si quis gravi metu impulsus, ne detrimentum grave patiatur, accedit ad ordinationem, haec est valida, quia metus etiam gravis non excludit voluntarium (n. 806). At quoad obligationes ordini sacro adnexas DD. inter se non conveniunt. Nonnulli putant ordinatum iisdem non adstringi: quia cum eae obligationes sint juris tantum ecclesiastici (n. sequ.), non praesumitur Ecclesia velle eas eidem imponere (2). Facile autem admittunt pro foro externo adeundam esse Sedem Apostolicam ad illusiones in re tanti momenti removendas et scandalum impediendum; in dubio autem ordinatio praesumitur rite collata, ideoque inducere obligationes non solum in foro externo, sed etiam in foro interno. In hac opinione, si ordinatus metu gravi coactus nuptias iniret, matrimonium in foro interno valeret. Alii censent ordinationem, sicuti in se valida est, ita obligationes quoque secumferre; at metum gravem esse rationem sufficientem pro dispensatione a Sede Apostolica obtinenda (3). Praxis S. C. C. videtur huic sententiae favere: nam cum hujus generis causae proponuntur, probato metu, S. C. declarare

(1) Giovine *I*, § 243, *n.* 6. D'Annibale *III*, § 467.
(2) S. Alph. *VI*, *n.* 811. Lehmkuhl *II*, *n.* 618. Sanchez *VII*, *XXIX*.
(3) Giovine *I*, § 243, *n.* 5.

Digitized by Google

non solet ordinatum obligationibus non adstringi, sed potius locum esse adeundi Pontificem pro dispensatione (1). Exinde sequeretur matrimonium forte initum esse illicitum et invalidum quoque in foro interno. Stante hac controversia, interim favendum matrimonio forte inito, donec S. Sedes aliud non declaraverit. Quod si ordinatus susceptam ordinationem libere ratam habuit tacite vel expresse, ut supra, certum est obligationibus jam subjici. S. Alph. *VI, n.* 811 probabilius putat obligationes clericales urgere ordinatum ex metu gravi justa causa incusso, puta si Episcopus ob inopiam ministrorum adstringeret metu aliquem ad ordinationem : sed hic casus practicus non est.

588. Hoc impedimentum est juris ecclesiastici tantum (2). Nam neque ex rei natura neque ex jure divino positivo status clericalis foret incompatibilis cum statu matrimoniali, ut patet in Graecis. Accedit RR. PP., urgente gravi causa, aliquando dispensavisse ; e. g. Ben. IX nuptias permisit Ramiro *presbytero religionem professo* ut labentem Aragoniae prosapiam editis liberis propagaret, et Pius VII initio hujus saeculi in Galliis sacrilega revalidavit conjugia, a quibus civiliter contractis clerici majores haud facile poterant sese extricare, sed noluit revalidare matrimonium Episcopi Augustodunensis. Alia exempla vide apud Giovine *I*, § 245. Proinde quod docet S. Alph. *l. c.* et *n.* 808 R. P. non posse sacerdotibus matrimonium indulgere, non est amplius probabile. Hac obligatione continentiae juxta omnes tenetur lege Ecclesiae in utroque foro et ille, qui accedit quidem ad ordinationem volens recipere ritum et effectum ordinationis, sed sine intentione illam obligationem contrahendi. Imo si ipse vult quidem recipere ordinationem serio collatam ab Episcopo, sed non vult recipere effectum ordinationis seu caracterem, putamus ex *cap.* 3 § *Item*, *De baptismo* ordinationem esse validam, ideoque illam obligationem urgere in utroque

(1) *In Aprensi* 10 *Dec.* 1710. *Parisiensi Dispens.* 25 *Jan.* 1721. *Lusitana Ordinationis* 13 *Aug.* 1870.

(2) S. Alph. *VI, n.* 1059. Bellarminus *De clericis I, XVIII.* Sanchez *VII, XXVIII, n.* 12. Pontius *VII, XXII.* S. Thomas 4 *dist.* 37, *q.* 1, *a.* 1. Schmalz. *IV, VI, n.* 2.

Digitized by Google

foro, et matrimonium nullum esse. Quod si quis suscipiat ordinem sacrum ignorans invincibiliter adnexam coelibatus legem, hac juxta nonnullos non astringitur (1), sed regula generalis (n. 301), quam plerique huic etiam casui applicandam esse putant, contradicit.

589. Dispensandi potestas reservatur R. P., nisi Episcopus indultum habeat. In articulo mortis, quando tempus non suppetit recurrendi ad S. Sedem, omnes Ordinarii indultum habent dispensandi cum subdiaconis et diaconis, non vero cum presbyteris (n. 405). Quaenam causa sit sufficiens pro elargienda dispensatione, R. P. videt. Praeter casum metus gravis, de quo supra, haec dispensatio dari non solet nisi propter causam quae in publicum bonum civilis societatis ac religionis vertat. « Callixtus III ob causam mere privatam cuidam diacono asserenti non posse servare continentiam, dispensationem denegavit, uti colligitur ex epistola Aeneae Sylvii, qui postea fuit Pius II, de cujus epistola Foelinus in cap. *Si quando n.* 5, *De rescriptis* mentionem facit. Similiter in causa *Coloniensi Dispens.*, cum Carolus Gaspar filius Baronis Bilandt sacris ordinibus insignitus Pontificem expostulasset ut ipsum a continentiae voto solveret, ne, defuncto patre, castrum et reditus dinastiae Rheidanae transferretur in dominium Dinastae acatholici, S. C. C., perpenso quod in casu ageretur de unico Castro, quod causam publicam minime efficit, respondit non esse locum dispensationi, tametsi certa foret illius futura translatio in dominium Dinastae acatholici, juxta declarationem jam datam a S. S. S. Officii in *Trevirensi Dispensationis* » Giovine *I*, § 246, *n.* 5. Caeterum si pro subdiaconis gravis causa necessaria est, pro diaconis gravior, pro presbyteris gravissima requiritur. Primis raro, secundis rarius, tertiis rarissime, Episcopis numquam dispensatio datur. Quoties vero haec licentia conceditur, semper injungitur ut clericus in statum laicalem redactus ordines susceptos exercere nullatenus possit, et ita servatur principium fundamentale Ecclesiae

(1) D'Annibale *I*, § 147, *not.* 24. Croix *VI, II, n.* 2162 cum Pal. et Coninck apud S. Alph. *VI, n.* 809 qui hanc sententiam habet probabilem contra plerosque.

Digitized by Google

Occidentalis (n. 577). Obligatio autem breviarii in alia pietatis opera commutatur, aliaeque conditiones addi possunt (1).

590. Quaeritur quandonam Ecclesia clericorum majorum nuptias primum irritas declaraverit. Berardi *III*, *diss. IV*, *cap. V* putat id primum factum fuisse *lege* 45 C. *De Episc. et cleric.* ab Ecclesia recepta et canonizata, quae quidem lex Orientales simul et Occidentales respicit. At potiusquam irritare, videtur Justinianus ea lege clericorum nuptias irritas supponere. Putamus igitur ex eadem consuetudine hoc impedimentum dirimens inductum esse, quia scilicet ipsi clerici ac fideles adeo a matrimonio abhorrebant, ut illud forte initum haberent illicitum et invalidum. Pro subdiaconis non semper eadem fuit disciplina. Giraldi *I*, *sect.* 808, *n.* 11 docet subdiaconatum inter sacros ordines Romae cooptatum fuisse saltem a saec. V tempore S. Leonis Papae, ut desumitur ex ejus epistola ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem relata *can.* 1, *dist.* 32 in Decreto, qua subdiaconis matrimonium interdictum esse declarat. In Syllabo *n.* 72 reprobatur haec propositio: « Bonif. VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit ». Quae revera falsissima est.

De poenis contra clericos majores matrimonium attentantes vide n. 570 sequ.

II

In Ecclesia Orientali.

591. In primis clericus in minoribus ordinibus constitutus, idest usque ad subdiaconatum exclusive, potest utique uxorem ducere, sive caelebs sive viduus sit, neque per hoc decidit ullo modo e statu clericali, aut beneficia, officia et privilegia clericalia ullatenus amittit, imo potest promoveri usque ad presbyteratum inclusive. Haec certissima sunt, cum Graeci admittant uxoratos etiam ad sacros ordines usque ad presbyteratum inclusive.

591. At semel suscepto ordine subdiaconatus, nequit

(1) Albitius *De inconstantia in Fide cap.* 30 *sequ.* Giovine *l. c.*

Digitized by Google

amplius matrimonium contrahere, etiamsi uxor ante sacram ordinationem ducta moriatur. Id canones Ecclesiae Orientalis usque a prima antiquitate constituunt ; quibus proinde contraria est consuetudo apud nonnullas Orientales Ecclesias recentius subintroducta nuptias subdiacono permittendi. Ad rem S. C. de Prop. Fide in instructione ad Archiep. Provinciae Eccles. Fogarasiensis, et Alba Juliensis sub die 24 *Maii* 1858 : « Quin imo eo usque in aliqua provincia Orientali se protulit laxioris disciplinae aestus, ut nonnulli etiam post sacrorum ordinum susceptionem matrimonium attentare praesumpserint : quod tamen utroque jure, ecclesiastico videlicet ac caesareo, et quidem ante Trullanos canones, severe ac sub gravissimis poenis improbatum prohibitumque fuit, ut vel ipsae Justiniani leges luculenter ostendunt. Etenim praefatus Imperator graviter conqueritur de quibusdam clericis, qui *despicientes sacros canones* post ordinationem nuptias attentare praesumpserant. Sacri siquidem canones severe vetabant sub poena privationis sacri ministerii, ne qui ex presbyteris, diaconis ac subdiaconis post hujusmodi ordinationem conjugari possent : unde prosequitur idem Justinianus : *Quemadmodum sacris canonibus prohibita sunt talia, sic et secundum nostras leges rem ipsam prohiberi* : et canonicas poenas civilibus cumulans filios ex tali nefaria conjunctione susceptos illegitimos decernit, ac si ex incestuoso conjugio prognati essent : *Ita ut neque naturales, aut nothi seu spurii intelligantur, sed prorsus et undique prohibiti, et successionis genitorum indigni.* Hactenus Justinianus. Et quamvis in juribus ecclesiasticis, ut rectissime loquitur Ben. XIV, potestati laicae sola relicta sit gloria obsequendi, non auctoritas imperandi, tamen in re, de qua agitur, Imperator loquitur relative ad sacros canones. Neque obstat quod provinciale concilium Ancyranum *can. X* diaconis, si in ordinatione contestati fuerint se non posse continere, permisit ut vel post ordines susceptos matrimonium contrahere possent. Esto enim quod canon ille concessionis vim habuerit pro Ancyrana provincia ; non poterat certe Orientalis Ecclesiae disciplinam immutare, et revera non immutavit, prout perspicuis verbis una testantur Epi-

Digitized by Google

phanius, Hieronymus aliique Patres, et ipse Imperator apertissime tuetur. Quapropter vel ipsa Trullana synodus *can. VI* sub depositionis poena generatim decernit: *Ut nulli penitus subdiacono, vel diacono aut presbytero post ordinationem nuptias contrahere liceat*: unde etiam Graecorum canonistae ultro fatentur canonem concilii Ancyrani a *Quinisesto* fuisse penitus abrogatum. Quae cum ita sint, facile quisque videt quantum a germana Orientalis Ecclesiae disciplina sit alienus mos ille, ut hypodiaconi contrahentes post hujusmodi ordinationem matrimonium ad superiores ordines promoveantur, cum hoc vel ab ipsa Trullana synodo penitus abhorreat ». Etiam synodus Maronitarum habita in Monte Libano *an.* 1736, *p.* 2, *c.* 11, § 8, *n.* 9, videtur permittere subdiaconis matrimonium : statuit enim : « Nonum impedimentum (est) ordinis sacri, nimirum in Ecclesia nostra post susceptum diaconatum, qui primus inter sacros ordines est, subdiaconatu inter minores computato ; diaconi enim, presbyteri et Episcopi post susceptos ordines irritum est et nullum matrimonium quod contrahere praesumpserint ». Haec synodus confirmata fuit a Sede Apostolica in forma specifica.

592. Poenas contra subdiaconum, diaconum, presbyterum, qui post sacram ordinationem nuptias iniverunt, recenset pro Italo-Graecis Ben. XIV in cit. const. *Pastoralis n.* 27 : « Si quis subdiaconus, diaconus, vel presbyter post sacram ordinationem, uxore mortua, aliam duxerit, vel si uxorem non habebat, ducere praesumpserit, nedum excommunicationis latae sententiae poena aliisque nostro et successorum nostrorum RR. PP. arbitrio infligendis severissime punietur, verum etiam statim ab ordine erit deponendus ». Quae poenae multo magis Episcopum manent, qui in tantum dedecus prolabitur. Pro aliis vero omnibus Graecis est poena depositionis, quae in *cit. can.* 6 concilii Trullani decernitur.

593. Quaeritur utrum eorum matrimonium sit quoque irritum? Pro Italo-Graecis certum est matrimonium esse nullum : nam Ben. XIV *l. c.* post allata verba haec subdit : « Deponendus et ab illegitima uxore separandus : matrimonium enim post recensitos ordines contractum nullum irri-

Digitized by Google

tumque declaramus ». Item pro Maronitis ex cit. synodo Maronitarum in forma specifica probata. Item pro Ruthenis ex synodo Zamoscensi pariter a S. Sede probata, quae *tit. III*, § 8 haec habet : « Si quis autem *presbyter* post collatos ordines matrimonio jungi, aut prima uxore defuncta, secundas incestas nuptias inire praesumpserit, per Episcopos a communione atque altari arceatur, captivetur et aliis poenis canonicis afficiatur, ut peregrinam spuriamque conjunctionem abjiciat ». Idem pro Rumenis decernit synodus provincialis *an.* 1883, *art. 4, sect. I, cap. II*, § 2 : « Monachi qui vota solemnia emiserunt, prout etiam clerici qui ordines majores cum onere perpetuae castitatis susceperunt, matrimonium valide contrahere nequeunt ». Pro aliis vero omnibus Graecis, licet probabilius sit matrimonia esse irrita, tamen quaestio nondum decreto Apostolico definita fuit. Haec quaestio practica praesertim est pro schismaticis Graecis qui, uxore suscepta post sacram ordinationem, convertuntur ad religionem catholicam. Eam rite agitat Ben. XIV in cit. Const. *Eo quamvis tempore n.* 38 *sequ.* Etiam S. C. de Prop. Fide in cit instructione hanc quaestionem insolutam relinquit : concludit enim : « Quod si aliqui deinceps (quod Deus avertat) post sacros, ut praefertur, ordines matrimonium attentare praesumpserint, decernit Sanctitas Sua ut ad tramites sacrorum canonum severe puniantur, ut quos studium servandae disciplinae ac amor continentiae non movet, vel poenarum timor compescat ».

594. In praxi, hac extante quaestione, si agitur de matrimonio ineundo, petenda est dispensatio a Sede Apostolica quae illam aliquando concedit, saepius negat (1). Si agitur de matrimonio inito, in singulis casibus particularibus processus informatorius fieri quidem debet ab Ordinario ad documenta necessaria et motiva colligenda, sed deinde Ordinarius, non prolatâ sententiâ, causam deferre debet ad Sedem Apostolicam. Ita statuit Ben. XIV in Const. *Anno vertente* § 12, 19 *Junii* 1750 : « Auditis congregatorum suffragiis in ea fuimus sententia, ut nemini facultas dispensandi conce-

(1) Vide nonnulla exempla *Journal du droit canon et de la jurisprudence canonique*, 1885, *pag.* 110 *sequ.*

Digitized by Google

deretur, sed Sedi Apostolicae reservaretur : ut cum casus contingerit et dispensatio postuletur, mature expendantur, quae necesse est considerare, ut vel concedatur vel denegetur dispensatio, cum de re gravissima ac magni momenti agatur. Decretum autem conditum est in haec verba : *Recurrant in casibus particularibus : in quibus si ob graves causas dispensatio super matrimonio inito post Ordines sacros concedenda videbitur, tunc nullum verbum fiat de renovatione consensus* ». Deinde vero explicat ideo renovationem consensus non fuisse praescriptam, quia controversia de nullitate matrimonii adhuc viget. Haec omnia S. C. de Prop. Fide saepius inculcavit.

595. Haec tota Orientalis Ecclesiae disciplina, quam exposuimus, certe minus rationabilis est. Nam si status matrimonialis optime consonat cum statu clericali, permittendum est matrimonium etiam ordinatis in sacris : si secus est, uxorati retinentes uxorem ad statum clericalem assumendi non sunt, sicuti in Ecclesia Occidentali. Et revera ab initio eadem fuit utriusque Ecclesiae rationabilis disciplina : a qua deinde Ecclesia Orientalis per abusum deflexit, et ad quam Sedes Apostolica sensim sine sensu illam reducere merito curat (1).

§ 5ª. — *De impedimento disparitatis cultus.*

596. Disparitas cultus (n. 442), de qua heic agitur, est perfecta, scilicet inter partem baptizatam sive catholicam sive acatholicam et partem non baptizatam, et constituit impedimentum dirimens, ita ut matrimonium inter ipsas initum sine dispensatione sit nullum. De hoc impedimento legenda est epistola Ben. XIV *Singulari Nobis* 9 *Febr.* 1749, cujus haec fuit occasio. Hebraeus mulierem e secta protestantium uxorem duxerat. Quum vero uterque ad catholicam religionem transire optaret ille per baptismatis susceptionem haec per haeresis abjurationem, quaestio mota fuit,

(1) Mansella *De imp. matr. dir. p. I, cap. IV, a. II.* Liberati *Journal du droit canon,* etc. *l. c. pag.* 16 *sequ., pag.* 60 *sequ., pag.* 107 *sequ.* De Angelis *IV, VI, n.* 1 *sequ.*

Digitized by Google

num post baptismum et haeresis ejurationem rursus matrimonium celebrari deberet, seu utrum matrimonium antea contractum fuerit validum necne. Ben. XIV *l. c.* hanc quaestionem solvens concludit matrimonium fuisse nullum ideoque renovandum, et de hoc impedimento late disserit.

597. Hoc quidem si baptismus unius et non-baptismus alterius certus est ante matrimonium. Nam in genere *baptisma dubium sive dubio juris sive dubio facti haberi debet ceu validum in ordine ad matrimonium*, ut pluries S. C. S. Officii tradidit in documentis infra citandis. Proinde in hoc dubio baptismatis unius partis matrimonium est nullum, si altera pars est certo non baptizata ; est validum, si altera pars est certo vel dubie baptizata, et tunc validum perseverat, etsi post initas nuptias dubium cesset ita ut baptismus unius ac non-baptismus alterius certus appareat. Multo magis matrimonium validum fuit, et remanet, si ante nuptias baptismus vel non-baptismus utriusque certus habetur, et post nuptias deprehenditur unam partem esse baptizatam et alteram non baptizatam. Ratio horum omnium ea esse videtur, quia consuetudo, quae hoc impedimentum induxit (n. 607), hos casus non respiciebat, ideoque impedimentum in eis non existit. Sed praestat diversos casus in specie considerare.

598. In primis si matrimonium inter duas partes catholicas initum fuit, et deinde de baptismate unius serio dubitatur, ipsa quidem baptizari debet sub conditione, sed sine ullo praejudicio validitatis matrimonii. Huc spectat responsio S. C. C. in *Tarvisina Matrimonii 4 Mart.* 1737. Laura Delfini posita fuerat ab avia Tarvisi in nosocomio pauperum enutrienda et educanda. Cum de suo baptismate nemo dubitaret, recepit confirmationem, et tandem nupsit Tarvisino viro, apud quem morabatur moribus ornata Christianis. Tunc coepit dubitare num lustralibus undis baptismi fuerit abluta, quod dubium, inspectis circumstantiis, serium ac probabile erat. Proposito itaque dubio : « An Laura Delfini baptizari debeat sub conditione in casu », S. C. reposuit *affirmative, et secreto, et sine praejudicio validitatis matrimonii.* Super qua responsione notat Giraldi *I, sect.* 615: « Et quidem

Digitized by Google

speciatim quoties reiterandus est baptismus, si res est de adultis, semper reiterandum esse secreto, sive adultus ligatus sit sive non matrimonio, et sine praejudicio matrimonii, si prius fuerit rite contractum ». Folium S. C. *diei* 28 *Apr.* 1736 citat etiam responsionem S. C. S. Officii, quae negative eamdem doctrinam confirmat. Nam miles qui, dispensatus ab exhibenda fide baptismatis, matrimonium contraxerat, post quatuordecim annos de recepto baptismate dubitavit. Dubio per consultorem ejusdem S. C. discusso, licet expressam matrimonii mentionem fecisset, nullam tamen super eo proposuit providentiam, et eadem S. C. 29 *Sept.* 1734, de uno baptismate sollicita, commisit Vicesgerenti Urbis ut *oratori conferre faciat baptismum sub conditione et secreto.* Ex his clarum esse videtur matrimonium in casu valere non solum praesumptione fori externi, quatenus in dubio praesumitur baptismus rite datus, ideoque validum matrimonium, sed etiam in foro interno, licet reapse baptismus datus non sit, aut nulliter datus ; secus S. C. respondere non potuisset baptismum esse conferendum sub conditione et secreto *sine praejudicio validitatis matrimonii,* sed potius his casibus providendum foret per baptismi collationem sub conditione, et simul per consensus renovationem ad cautelam. Exinde sequitur matrimonium valere, etsi post matrimonium certitudo acquiratur de baptismi defectu in alterutra parte, valere, inquam, usque ab initio ita ut, baptismo absolute collato, consensus renovari non debeat (1).

599. Eodem modo resolvimus, si dubium ortum est ante matrimonium, et cum hoc dubio matrimonium initum. Huc referri potest sequens responsio S. C. S. Officii. Vicarius Apostolicus Japoniae quaesiverat : « 1° Utrum in casu dubii de valore baptismi, qui ita baptismum susceperunt Japonenses, ut Christiani vel infideles adhuc considerandi sunt ? 2° Utrum si dubium de valore baptismi remaneat, et non visum sit opportunum solvere dubium de iis qui sic dubie baptizati sunt, in rebus quae matrimonium spectant, ac si vere et valide baptizati fuissent, judicandum sit vel non » ?

(1) **Lehmkuhl** *II, n.* 752 (6e édit.).

Digitized by Google

S. C. 9 *Sept.* 1868 respondit : « Ad 1um generatim loquendo ut Christiani habendi sunt ii, de quibus dubitatur, an valide baptizati fuerint. Ad 2um *censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii* (1) ». Attentis hujus regulae verbis rursus putamus matrimonium valere quoque in foro conscientiae, ideoque in suo robore permanere, etsi deinde post illius celebrationem certitudo in locum dubii subintret de baptismate unius et non-baptismate alterius.

600. Hoc dubium de baptismate facile verificari potest quoad haereticos. Si post accuratam investigationem in singulis casibus faciendam dubium grave perdurat, applicans idem generale principium habebis sequentes conclusiones.

601. 1° Valet matrimonium inter partem catholicam et partem haereticam, de cujus baptismate serio dubitatur. Episcopus Anneciensis in Sabaudia postulavit a S. C. S. Officii an Calvinistae et Lutherani in illis partibus, ubi baptisma dubium est, tamquam infideles habendi sint ita ut inter catholicos et eos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censeatur. S. C. reposuit 17 *Nov.* 1830 sequentibus declarationibus a Pio VIII probatis : « 1° Quoad haereticos quorum sectae ritualia praescribunt collationem baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis debet examinari casus particularis ; 2° Quoad alios, qui juxta eorum ritualia baptizant valide, validum censendum est baptisma. Quod si dubium persistat etiam in primo casu, *censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii* ; 3° Si autem certo cognoscatur nullum baptisma ex consuetudine illius sectae, nullum est matrimonium ». Si matrimonium initum fuit cum dispensatione Sedis Apostolicae ab impedimento *mixtae religionis*, certum esse videtur valere quoque in foro interno, etsi pars haeretica reipsa baptizata non sit, ideoque in sua validitate perseverare, licet post celebrationem non-baptismus illius certus appareat ; quia S. Sedes noscens dubium, et ab illo impedimento dispensans, tacite dispensavisse censenda est etiam ab impedimento dirimenti disparitatis cultus, si adesset (2). Si

(1) Collect. Parisiens. *n.* 243.
(2) Lehmkuhl *l. c.*

Digitized by Google

matrimonium initum fuit sine illa dispensatione, Lehmkuhl *l. c.* putat nullum esse, si pars haeretica revera baptizata non est, ita ut illud principium contineat tantum regulam practicam fori externi. Sed si insistamus verbis allati decreti, videtur dicendum matrimonium valere etiam in foro interno, sive quia Ecclesia censetur in tali dubio ab impedimento dispensare (1), sive potius quia impedimentum in casu non urget, ut probat ratio allata n. 597 in fine.

602. 2° Valet pariter matrimonium inter duas partes haereticas, si de utriusque baptismate dubitatur. S. C. S. Officii 5 *Febr.* 1851 declaravit: « Generatim loquendo, qui in Hollandia convertuntur ad catholicam fidem, habendos esse ex capite baptismatis tanquam valide conjugatos, *nisi forte certe et evidenter constet in aliquo casu particulari haereticum de quo agitur, fuisse revera nulliter baptizatum* : sed oratorem, quoties occurrunt casus particulares hujus generis, recurrere debere cum expositione omnium omnino casus circumstantiarum ad S. Sedem. Et detur decretum authenticum feriae IV *diei* 17 *Nov.* 1830 a Pio VIII adprobatum (n. 601) ». Accedit responsio ejusdem S. C. in sequenti facti specie : « Vir quidam protestans Anglicanae sectae vult amplecti catholicam religionem. In Anglia matrimonium fecit cum muliere quae ad sectam Anabaptistarum pertinebat et quae, prout ipse affirmat, numquam baptizata fuit. Quum vero ipse baptismum a ministro protestante Anglicano receperit, de validitate ejus proprii baptismatis ratio quoque dubitandi gravis existit. Propter jurgia continua mulierem Anabaptistam vir praefatus deseruit, venitque N., ubi matrimonium iterum fecit, sed cum muliere Lutherana. Quaenam ex istis mulieribus tamquam ejus uxor haberi debet? « S. C. *die* 20 *Jul.* 1840 respondit : « *Dummodo constet* de non-collatione baptismi mulieris Anabaptistae, primum matrimonium fuisse nullum; secundum vero, dummodo nullum aliud impedimentum obstet, fuisse validum ».

603. 3° Tandem nullum est matrimonium inter partem

(1) Gury-Ballerini *II, n.* 831. Mansella *p. I, cap. IV, art. I in nota.*

Digitized by Google

haereticam, de cujus baptismate dubitatur, et partem infidelem non baptizatam. At in hoc casu si pars haeretica revera baptizata non est, matrimonium est legitimum, quia neutra subest Ecclesiae. S. C. S. Officii proposita fuerunt sequentia dubia : « 1° Matrimonium dubie baptizati cum non-baptizata estne validum ? 2° Si affirmative ad 1um, poteritne pars dubie baptizata uti privilegio fidei post reiterationem baptismi ; et viceversa poteritne pars non baptizata uti privilegio post baptismum, si pars dubie baptizata nolit converti aut pacifice cohabitare ? 3° Matrimonium duorum dubie baptizatorum estne validum etiamsi sint consanguinei vel affines ? 4° Si affirmative ad 3um, poteritne unus uti privilegio fidei post iterationem (conditionatam) baptismi, si alter nolit converti nec pacifice cohabitare ? 5° Si affirmative ad 1um vel 3um vel ad utrumque simul, quid de matrimoniis nullis, quae contracta fuerunt per erroneam interpretationem responsorum 1868 ? debentne fideles relinqui in bona fine ? 6° Utrum sive dubium sit juris sive facti (scilicet de baptismo recepto) conclusiones debeant esse eaedem respectu matrimoniorum ? » S. C. 7 *Jul.* 1880 respondit : « Ad 1um matrimonium habendum esse uti invalidum ob impedimentum cultus disparitatis. Ad 2um provisum in primo. Ad 3um matrimonium habendum esse uti invalidum ob impedimentum consanguinitatis vel affinitatis. Ad 4um provisum in praecedentibus. Ad 5um provisum in responsis datis ad 1um et 3um. Ad 6um praevio diligenti examine in singulis casibus, et persistente adhuc dubio sive juris sive facti, eaedem debent esse conclusiones respectu matrimoniorum ».

604. In hac materia prae oculis etiam haberi debent sequentes responsiones ejusdem S. C. Episcopus Savanensis in Statibus Unitis Americae Septentrionalis exposuit prout sequitur :

« Frequenter contingit ut duo acatholici inter se contraxerint matrimonium et ignoretur utrum sive uterque sive alteruter fuerit baptizatus. Ejusmodi matrimoniis inter duos acatholicos aut sine dispensatione inter catholicum unum et acatholicum alterum initis in nulla ex dioecesibus nostris obstat impedimentum clandestinitatis. Contracto ita matri-

Digitized by Google

monio, haud raro evenit, ut compars compartem deserat. Post aliquod tempus partes ita separatae non infrequenter ad alias nuptias convolant, superstite altera parte.

« Scio equidem casu quo, spectata qualitate probationum pro et contra, dubitetur num vel alteri vel utrique parti collatum fuerit baptisma, standum esse pro valore matrimonii cum tali dubio ac sine dispensatione contracti, usque dum non constet illud fuisse invalidum. Verum deficientibus caeteris pro utraque dubii parte probationibus,

« Quaero num in ordine ad matrimonii contracti validitatem vel nullitatem collatio vel non collatio baptismi, dum ignoratur, ex principio praesumptionis definienda sit. In dubiis id affirmat doctiss. b. m. Archiep. Patr. Kenrick: in theologia enim sua morali *tract. XXI, n.* 48, haec habet: *Si de consortis baptismo non constet, nec certum haberi queat testimonium, in eam propendere oportet de baptismo et matrimonii valore, cui favent indicia et adjuncta.* Quod si recte ita sentit laudatus Kenrick;

« Quaero ulterius utrum, dum baptismi collatio ignoratur, principium praesumptionis in ordine ad valorem matrimonii contracti rite applicetur in articulis sequentibus:

« 1° Si pars vel partes acatholicae parentes habuerint ad sectam pertinentes quae baptismum respuit, hic non est praesumendus?

« 2° Idem resolvendum, si parentes habuerint pertinentes ad sectam quae infantium baptismum non admittit, seu in qua non confertur nisi adultis e. g. an. aetatis 30 jam adeptis, quemadmodum res se habet in secta Baptistarum?

« 3° Idem pariter resolvendum, si parentes habuerint qui dum in vivis essent, professi sint, se nolle ad ullam sectam pertinere, seque ens supremum honestis potius, ut ajunt, moribus, quam speciali aliquo cultu honorare?

« 4° Si parentes habuerint pertinentes ad sectam quae eumdem ut necessarium habet, vel in qua saltem ordinarie administratur, et iidem parentes in secta sua zelosi fuerint, praesumendus est baptismus. — At quid si parentes in sua secta socordes fuerint, aut ad sectam pertinuerint quae baptismum quidem non respuit, sed eum non habet ut neces-

Digitized by Google

sarium, et in qua ordinarie non administratur? an in utroque aut alterutro casu praesumendus baptismus, vel non?

« 5° Si juxta unius tantum parentis sectam et animi, ut supra, zelosam dispositionem praesumptio faveat baptismo, et in educatione prolis de facto, et indubie primas habuerit partes, praesumendus est baptismus. — Idem resolve si, facta inquisitione, ignoretur aut non satis constet utrum primas habuerit partes: baptismus enim in ordinè ad matrimonium praesumendus est, cum conjugium semel initum censendum sit validum, quandiu obex se prodat. Sed quid si certo constet illius, qui de facto et indubie primas in educatione habuit partes, sectam et animi dispositionem non favere baptismo, dum alterius secta et animi dispositio eidem favet?

« 6° Casu quo nulla pro baptismo militat praesumptio, factum non praesumitur, sed probandum est. Hujus regulae applicatio in his Foederatis Statibus, ubi inter acatholicos plurimi sunt qui de baptismo infantibus suis conferendo nihil aut parum curant, potiori forte jure locum habere debet, quam in multis aliis regionibus.

« Quaestiones praefatae ideo praecipue proponuntur, ut ex earum solutione norma habeatur juxta quam tuto procedi possit in his praesertim casibus: 1° Dum ex duabus partibus acatholicis ab invicem, ut supra, separatis altera in gremium Ecclesiae recipi postulat, et ad alias nuptias convolavit vel convolare cupit: 2° Dum pars catholica ab acatholica, ut supra, separata cum alia conjungi postulat, aut cum alia jam juncta ad sacramenta admitti exoptat ».

S. C. *feria* IV *die* 1 *Aug.* 1883 reposuit:

« Ad 1um affirmative, peracta tamen investigatione in singulis casibus (1).

» Ad 2um: Nempe: — Utrum dum baptismi collatio ignoratur, principium praesumptionis in ordine ad valorem matrimonii contracti rite applicetur in articulis sequentibus?

» Resp. — Affirmative quoad *primum*, *secundum* et

(1) Huic principio innititur responsio relata n. 602 *diei* 5 *Febr.* 1851.

Digitized by Google

tertium articulum : et quoad *primam partem quarti* (1) : et *primam partem quinti numeri* : at in hoc postremo articulo post verba *habuerit partes* addatur : — *neque alter conjux cognoscatur positive contrarius collationi baptismi, praesumendus est baptismus.* In reliquis casibus, qui adnotantur in secunda parte, numeri *quinti*, recurrendum est ad S. Sedem, expositis omnibus rerum, locorum, et personarum adjunctis aliisque ad rem facientibus. Ad *sextum* provisum in praecedentibus » (2).

605. Quae huc usque diximus satis determinant in quonam consistat inpedimentum disparitatis cultus. Hoc impedimentum non est juris divini seu naturalis seu positivi. Equidem si hoc matrimonium secumferret contumeliam Creatoris (n. 609), jure divino naturali esset in genere illi citum, sed non irritum ; si sit absque contumelia Creatoris, jure naturali esset quoque licitum. Nonnulli putaverunt matrimonium in casu esse nullum jure divino positivo praesertim ex 2 *Cor. VI :* « *Nolite jugum ducere cum infidelibus : quae enim participatio justitiae cum iniquitate, aut quae societas luci ad tenebras, aut quae pars fideli cum infideli?*» Sed immerito : nam traditio haec Apostoli verba interpretata est de simplici prohibitione, ita ut in casu contumeliae Creatoris matrimonium foret illicitum tum jure divino naturali tum positiva Apostolica prohibitione ; sine contumelia autem Creatoris foret illicitum hac sola prohibitione Apostolica, a qua R. P. potest dispensare, et potestatem dispensandi elargiri. Sane historia ecclesiastica maxima cum laude commemorat plures sanctissimas foeminas Christianas contraxisse matrimonium cum infidelibus, qui earum opera ad Christi sequelam adducti sunt ; et praeterea R. P. ab hoc impedimento dispensat, et dispensandi potestatem quoque communicat ; quod facere non posset si illud foret juris divini (3).

606. Remanet igitur ut impedimentum, qua dirimens, sit juris ecclesiastici tantum. Ecclesia scilicet augens Aposto-

(1) S. C. non respondet ad alteram partem : hinc recurrendum erit ad S. Sedem in singulis casibus, expositis omnibus circumstantiis.

(2) Ex Concilio Baltimorensi III *pag.* 246 *sequ.*

(3) Sanchez *VII, LXXI.* Mansella *I, I, IV.* Pirhing *IV, I, n.* 134. Santi *IV, I, n.* 171 *sequ.*

Digitized by Google

licam prohibitionem, reddidit partem baptizatam, quae ei subest, sive catholicam sive acatholicam, inhabilem ad contrahendum cum non baptizata : quo posito, licet pars non baptizata habilis sit, matrimonium non intelligitur, cum claudicare non possit, seu requirat utriusque partis habilitatem (n. 216, 297). Ratio propter quam Apostolus impediens et Ecclesia impedimentum dirimens tulit, sic exponitur a D. Thoma in *supp.* 3 *p.*, *q.* 59, *a.* 1 : « Principalius matrimonii bonum est proles ad cultum Dei educanda. Cum autem educatio fiat communiter per patrem et matrem, uterque secundum fidem suam intendit ad cultum Dei prolem educare. Et ideo si sint diversae fidei, intentio unius alterius intentioni contraria erit. Et ideo inter eos non potest esse conveniens matrimonium, quia disparitas cultus contraria est matrimonio ratione principalioris boni ipsius, quod est bonum prolis ». Adde periculum perversionis partis baptizatae, quod plerumque adest.

607. At vero Ecclesiae lex universalis scripta, quae irritet hoc matrimonium, nullibi legitur. In Decreto *can.* 15, *et* 17 *c.* 28, *q.* 1 « fidelium cum infidelibus matrimonia prohibent, non ita tamen ut eadem faciant irrita. Et quamvis facerent, tamen cum canones illi a conciliis provincialibus conditi fuerint, tantam vim obtinere minime possunt, ut iis universalis Ecclesia obligetur... » Bent XIV *l. c. n.* 9. Potius primus canon auctorem habet D. Ambrosium, alter desumptus est ex quodam concilio provinciali Arvernensi. Proinde cum ex una parte hoc dirimens impedimentum nonnisi ab Ecclesia certissime latum sit, cumque ex alia nullibi reperiatur lex scripta quae illud primum pro tota Ecclesia constituat, videtur hoc impedimentum consuetudine introductum. Nimirum fideles agnoscebant in hisce nuptiis grave perversionis periculum tum prolis tum partis Christianae, easque abhorrebant juxta Apostoli praeceptum ; qui horror adeo crevit ut qui ausi fuissent hoc matrimonium sine Ecclesiae dispensatione inire, non reputarentur uti veri conjuges, et matrimonium censeretur nullum (1). Deinde

(1) Ben. XIV *l. c. n.* 10. Bellarminus *De sacram. Matr. I, XXIII.* Berardi *III, diss. IV, V.* Santi *IV, I, n.* 175 cum communi.

Digitized by Google

accesserunt leges particulares irritantes. Bellarminus *l. c.* putat hoc impedimentum jam inde ab initio saec. XII receptum ubique fuisse.

608. Quae cum ita sint, quaesitum fuit utrum hoc impedimentum vigeret etiam in illis locis, ubi haec consuetudo non adest. Ben. XIV *l. c. n.* 19 enarrat hanc quaestionem a P. Lessio tum excitatam fuisse, cum primum Japonenses ac Sinenses a falsorum Deorum cultu ad veri Numinis religionem transierunt : cum enim idem Lessius assereret nullam apud eos hujusmodi esse consuetudinem, idcirco matrimonia ibidem inter baptizatos et non baptizatos inita esse rata existimabat. Haec quaestio hunc finem habuit ut Greg. XIII amplissimas facultates missionariis concederet novos Christifideles ab hoc impedimento dispensandi. « Cumque hujusmodi remissio, nisi lex obstet, non concedatur, satis superque id est, ut clarissime innotescat nullius momenti esse quod de consuetudine impedimenti disparitatis cultus non adhuc suscepta objiciebatur : cum potissimum peculiaris asserta consuetudo universali contrariae consuetudini cedere debeat ». Ben. XIV *l. c.*

609. Tandem ab hoc impedimento R. P. posse dispensare patet ex dictis n. 606 ; alii autem non possunt nisi indultum receperint. Ita e. g. inter facultates extraordinarias, quae Vicariis Apost. Indiae conceduntur ad quindennium, *n.* 5° legitur : « Dispensandi cum iisdem catholicis, exceptis Italis (1) de quibus non constat Italicum domici-

(1) Haec restrictio in indulto pro matrimoniis mixtis suppressa est (n. 470). Si in indulto pro matrimoniis inter partem baptizatam et partem non baptizatam haec restrictio adhuc servatur, locum habebit sequens responsio S. C. S. Officii. Propositis dubiis : « 1° Agli Ordinarii muniti della facoltà di dispensare nell' impedimento di mista religione si vieta di potere usarne cogli italiani. Si vuol sapere se debbano in tal caso considerarsi gli italiani in vista soltanto del governo a cui sottostanno, od invece in riguardo della loro lingua e della regione ? 2° Non ostante la proibizione predetta può l'Ordinario dispensare sulla mista religione in tempo di morte, se il matrimonio è urgente o per levare l'occasione dello scandalo o per legitimare la prole » ?— *Latine* : 1° Ordinariis praeditis potestate dispensandi in impedimento mixtae religionis prohibetur eadem uti cum italis. Quaeritur an in casu itali haberi debeant tantum ratione gubernii, cui subsunt, vel potius ratione linguae vel regionis ? 2° Non obstante praedicta prohibitione, potestne Ordinarius dispensare in mixta religione

Digitized by Google

lium omnino deseruisse, gravibus tamen accedentibus causis, super disparitate cultus in matrimoniis sive contractis sive contrahendis, ubi plures sunt infideles quam Christiani ; quatenus sine contumelia Creatoris id fieri possit, et dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia praescriptis ac praesertim de amovendo a conjuge catholico perversionis periculo, deque conversione conjugis infidelis pro viribus curanda ac de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino educanda, servata in reliquis adjecta instructione typis impressa » (1). Similia prorsus leguntur n. 3° inter facultates extraordinarias quae Vicariis Apost. Sinarum et regnorum adjacentium conceduntur ad quindennium (2).

610. Ex his apparet pro obtinenda hac dispensatione a delegato vi hujus indulti sequentia verificari debere : 1° In loco sint plures infideles quam catholici ; 2° Absit contumelia Creatoris, quod, proprie loquendo, significat partem infidelem revereri religionem catholicam alterius partis, liberum illius exercitium eidem relinquere, eam non pertrahere ad apostasiam et in genere ad peccatum mortale, ac tandem sinere ut universa proles baptizetur et educetur in catholica religione (3) ; 3° Pars fidelis pro viribus curet conversionem infidelis ; 4° Adsint graves causae. Aliquando in indulto adduntur etiam aliae restrictiones e. g. excluditur matrimonium inter mulierem catholicam et virum Hebraeum. Easdem conditiones, praesertim tres ultimas, Sedes Apostolica non solùm in omnibus istiusmodi indultis ponit, sed ipsa quoque exigit directe hanc dispensationem concedens. De singulis pauca.

611. 1° *In loco sint plures infideles quam catholici.*

tempore mortis, si matrimonium urget vel pro removenda occasione peccati vel pro legitimanda prole ? — S. C. 11 *Julii* 1866 reposuit : « Ad 1um Italos vocari non ex gubernio sed ex lingua et regione. Ad 2um affirmative, facta advertentia quod si actu quo conceditur et exequutioni traditur dispensatio ob temporis defectum omissae fuerint conditiones et cautiones in promiscuis connubiis requisitae, promittendae erunt vix dum infirmus convaluerit ».

(1) Collect. Paris. *n.* 32.
(2) Collect. Paris. *n.* 33.
(3) Sanchez *VII, LXXIV, n.* 6.

Digitized by Google

Haec conditio non apponitur indulto quod forte datur pro regionibus Christianorum, ut facile patet, sed tantum indulto missionariis concesso pro locis missionum. Vi verborum attenta, ut haec conditio verificetur, necesse est et sufficit ut in ipso pago, in quo dispensatio conceditur, plures sint infideles quam catholici. Cum vero Episcopus Coricensis Visitator Apost. missionum Tungkini Occid. exposuisset gravissima incommoda, quae saepe orirentur, si ea conditio in singulis pagis observanda esset, Clem. XII 12 *Sept.* 1736 concessit ut facultas extenderetur ad unam *toparchiam*, quae plures pagos comprehendit, ita ut post hanc concessionem verificetur conditio, si in toparchia sint plures infideles quam catholici, licet in pago contrarium contingat. Haec eadem facultatis extensio concessa deinde fuit a Pio VII 14 *Jan.* 1806 omnibus, quibus in Sinis et universis Indiis Orientalibus a S. Sede facultas data jam fuerat vel in posterum dari contigerit, dispensandi super impedimento disparitatis cultus cum hac conditione (1). Quod si haec potestas aliquando alicui detur sine hac extensione, prior interpretatio a delegato sequenda erit.

612. 2° *Absit contumelia Creatoris*, quod jus ipsum divino-naturale exigit. Si id verificatur, cessat lex prohibens juris naturae, remanet tamen lex prohibens Apostolica et lex irritans ecclesiastica, donec dispensatio non obtineatur. Si id non verificatur, remanet in genere lex prohibens juris naturae, in qua dispensatio dari nequit, ideoque matrimonium foret illicitum, etsi per hypothesim in lege prohibente Apostolica et in irritante ecclesiastica daretur dispensatio. Sed haec dispensatio non conceditur : concessa scienter a R. P. est illicita, sed valida ; a delegato, est invalida et illicita. Et quidem in singulis casibus inquisitio facienda est, secus delegatus nulliter dispensat, etsi forte contumelia Creatoris de facto non adsit, uti colligitur ex responsione S. C. S. Officii *diei* 15 *Febr.* 1780 ad Vicarium Apost. Sutchuensem (n. 619). Dispensans certus moraliter esse debet abesse contumeliam Creatoris juxta ordinarias prudentiae regulas ; sed per se non requiritur ex parte infidelis

(1) Collect. Paris. *n.* 894.

Digitized by Google

nec juramentum nec scriptura. Quod si deinde constet adesse contumeliam Creatoris, dispensatio fuit licita et valida. Haec contumelia Creatoris remotior erit, ideoque dispensatio facilius concedetur, si aliqua affulget spes conversionis partis infidelis. Haec melius declarant plures responsiones SS. CC., quae respiciunt matrimonia vel *contrahenda* vel *contracta*.

613. Si sermo sit de *contrahendo* matrimonio, S. C. de Prop. Fide in instructione data *die* 13 *sept.* 1760 ad Vicarium Apost. Fokiensem docet :

« 1° Non debere dispensationem impertiri mulieribus quae contrahere volunt matrimonium cum viris infidelibus (praeter quam in casibus extraordinariis ac raris), quia non cessat periculum perversionis, tum in die ingressus in domum conjugis infidelis, tum in colloquiis quotidianis in familia infideli, sicut circumstantiarum complexus et quotidiana experientia assidue ostendit.

2° Posse dispensationem concedi viris fidelibus qui contrahere matrimonium volunt cum mulieribus infidelibus in illis circumstantiis in quibus prudenter judicatur cessare periculum perversionis in parte fideli, et potius affulgere spem conversionis in parte infideli, et in morali securitate esse prolis nasciturae educationem in vera religione, sicut series eventuum et experientia ipsa demonstravit.

3° Talia itaque matrimonia esse semper dissuadenda tam genitoribus quam filiis propter ordinaria pericula, quae ipsa comitantur, et propter impedimentum disparitatis cultus, quod certe irrita matrimonia reddit absque dispensatione Apostolica, quae non conceditur, nisi intervenientibus debitis circumstantiis et gravibus de causis, et in casibus in quibus cessat omne morale periculum perversionis tum in contrahente fideli, tum in prole nascitura. Possunt quidem inveniri tales casus et circumstantiae in viro fideli qui contrahere intendit cum infideli, et etiam in muliere fideli quae contrahere vult cum viro infideli ; sed ut Dominatio Tua advertit, sicut rarissimus et extraordinarius est casus, ita rarissimus et extraordinarius esse debet usus dispensationis... ».

Digitized by Google

614. S. C. S. Officii 12 *Jan.* 1769 in cit. instructione jussu Clem. VIII missa ad Vicarium Apost. Sutchuensem docet..... « 3° Si vero matrimonia contrahenda sint, distinguendum est, num dispensationem praefati impedimenti petant qui jam adulti sunt, et in hoc casu missionarius sese conformet omnino juxta tenorem facultatum sibi concessarum, et juxta instructionem S. C. de Prop. Fide. Si vero dispensationem petant parentes pro filiis vel filiabus impuberibus ut eos desponsent filiis infidelium juxta morem regionis, abstineat missionarius a concedenda dispensatione, sed tunc solum illam largiatur, cum ambo sponsi ad annos pubertatis pervenerint, et mutuum consensum praestiterint, servatis semper conditionibus in praefata instructione S. C. de Prop. Fide contentis ».

615. Si sermo sit de matrimonio *contracto*, sed invalide, obstante impedimento disparitatis cultus, cit. instructio S. C. de Prop. Fide 13 *Sept.* 1760 docet in primis, si contumelia Creatoris abest, concedendam esse dispensationem, et ita matrimónium revalidandum : si adest contumelia Creatoris : «... approbatur sententia illorum qui opinantur talem mulierem serio monendam esse de statu miserabili, in quo manet, et ipsi absolutionem negandam, dum talis deplorabilis status perseverat : eique tacendam nullitatem sui conjugii donec vel cesset periculum proximum, ut, mediante dispensatione, adjuvari possit, vel cesset status ille violentus, a quo evadere minime potest nisi per sacrificium vitae. ..... Quod si ipsa non voluntarie se constituisset in tali statu, sed violenter et per vim tracta et retenta, curandum esset ut utrumque periculum perversionis scilicet et fornicationis a proximo fiat remotum, et facta experientiâ de ejus conatibus et dissensibus continuis, subsidii gratiâ, prudenter illi conferre sacramenta : at numquam illi concedere dispensationem, etiamsi in posterum petatur, nisi actualiter cesset periculum perversionis, quod provenit a parte infideli, et nisi etiam cesset ejus vis et seductio ». Penes nationes civiles remedium in promptu esset : nempe pars fidelis deberet divortium petere.

616. S. C. de Prop. Fide in epist. 3 *Maii* 1828 ad Vi-

Digitized by Google

carium Apost. Tongkini Orient. haec habet: « Quoad dispensationum matrimonialium materiam tres insuper proponis casus: 1° Ejus, qui in praecedenti cohabitatione vixerit cum infideli cum contumelia Creatoris, et deinde petat dispensationem super impedimento disparitatis cultus, impetrata prius a parte infideli facultate secum cohabitandi sine contumelia Creatoris, quam vitari posse speratur spectata indole partis infidelis atque filiorum, quando aliqua spes sit ejus conversionis ad fidem, vel etiam quamvis nulla spes ejus conversionis affulgeat; 2° Ejus qui dispensari postulat, et speratur quod vitari poterit contumelia Creatoris respectu partis fidelis, filiorum parvulorum, atque nasciturae prolis, quamvis filii adulti infideles ob suam duritiem nolint ad fidem converti; 3° Quando pars infidelis consentiat in reliquis, impediat tamen ne proles mascula nata vel nascitura vel ad minus primogenitus in Christiana educetur religione, praesertim occurrente causa urgentissimae necessitatis, ut quando pars fidelis in periculo mortis constituta reperitur, nec alia ratione animae suae saluti providere potest: et quaeris utrum his dispensatio petita concedi possit. S. C. ad has quaestiones respondet: Ad 1um, et 2um affirmative, ad 3um affirmative pro casu mortis, dummodo pars catholica spondeat, si convaluerit, se modis omnibus curaturam conversionem partis infidelis et educationem cujusque prolis in religione catholica ».

617. S. C. S. Officii 12 *Jan.* 1769 jussu Clem. VIII sequentem instructionem transmisit ad Vicarium. Apost. Sutchuensem: «..... Si matrimonia jam inita fuerint inter catholicas et infideles sine praevia dispensatione impedimenti disparitatis cultus, tunc missionarius sequenti modo se gerat. Curet nempe: 1° Ut eae dispensationes nonnisi vere catholicis indulgeantur, et ubi conjux in infidelitate remanens baptizari renuit. 2° Ut tunc solum concedantur, cum ex separatione gravia praevidentur incommoda secutura. 3° Ut eaedem dispensationes gratis omnino et absque ulla prorsus mercede impertiantur. 4° Ut in concessione conjugi catholico commendetur atque injungatur catholica quoque prolis educatio, et quod curare debeat modo, quo

Digitized by Google

fieri poterit, conjugis infidelis conversionem. 5° Ut easdem dispensationes impetrantes instruantur super necessaria renovatione consensus, quae ad persecutiones et ad scandala declinanda sat erit ut inter solos conjuges privatim habeatur, patefacta tamen, quoad fieri poterit, etiam parti infideli prioris matrimonii nullitate. 6° Ut hac eadem sibi indulta facultate missionario extra suae missionis fines uti minime liceat » (1).

618. 3° *Pars fidelis pro viribus curet conversionem infidelis.* Haec enim est obligatio charitatis. Aliquando ponitur in indulto conditio ut aliqua spes sit hujus conversionis. Igitur dispensans debet monere partem fidelem de hac sua obligatione ; et hac promittente se curaturam esse pro viribus conjugis conversionem, dispensationem concedere ; secus sub poenam nullitatis negare. Quomodo autem pars fidelis debeat curare suae compartis conversionem, ejus prudentiae remittitur : certe in primis per accuratum adimplementum omnium conjugalium obligationum.

619. 4° Tandem *adsint graves causae.* Secus dispensatio scienter concessa a R. P. est illicita sed valida, ideoque et matrimonium est validum, imo et licitum si caeterae conditiones juris naturalis concurrant ; concessa vero a delegato est quoque nulla, ideoque et matrimonium. Graves causae facilius in contractis quam in contrahendis matrimoniis reperiuntur, facilius in locis missionum quam in regionibus Christianorum : unde facilius in illis, quam in istis dispensatio datur. Quaenam sint graves causae, non potest regula generali determinari, sed remittitur prudenti dispensantis judicio.

Quaesitum fuit : « Utrum per haec verba *gravibus tamen de causis* intelligi possit tanquam causa gravis et sufficiens salus animae illorum, qui in tali matrimonio jam diu contracto absque contumelia Creatoris vixerunt, praesertim

(1) Interrogata : « an queant dispensari super disparitate cultus mulieres illae Christianae ab antiquo gentilibus absque praevia dispensatione traditae, quibus a maritis libertas quidem conceditur sese in sacra religione exercendi, sed non est in tuto posita proles aut nata aut nascitura, ut possit baptizari et in Christiano ritu educari ». S. C. de Prop. Fide 30 *Jan.* 1807 remisit ad hanc instruct. S. C. S. Officii.

Digitized by Google

si filios genuerint, vel iisdem difficillimum sit ab infideli conjuge separari ». S. C. S. Officii 5 *Sept.* 1736 reposuit causam expositam in quaesito esse gravem et sufficientem ad impertiendam dispensationem, de qua agitur.

Praeterea notentur quae tradit S. C. S. Officii in instructione *die* 12 *Jan.* 1769 jussu Clem. VIII data ad Vicarium Apost. Sutchuensem : « Cum missionarius habeat etiam facultatem dispensandi supra impedimentis consanguinitatis et affinitatis, faciliorem se praebere debeat in hujusmodi dispensationibus concedendis, si hac ratione matrimonia inter catholicos jungi possunt, potius quam in dandis dispensationibus super disparitate cultus ad effectum ut catholici cum infidelibus matrimonia contrahant ».

Porro dispensans singulos casus expendere debet sub nullitatis poena, si dispensatio datur a delegato : « Alienum quippe a more ac mente hujus Sanctae Sedis prorsus est cuipiam facultates delegare velle, quae executioni mandentur, non prius visa diligenter causa, nec positis per eumdem executorem in tuto conditionibus quae apponuntur » S. C. S. Officii in responsione data ad Vicarium Apost. Sutchuensem *die* 15 *Febr.* 1780 (1).

620. Potestas dispensandi indulto data aliis subdelegari nequit nisi et quatenus id expresse concessum sit. Quaesitum fuit : « An facultas dispensandi super disparitate cultus, quamvis speciali diplomate Vicariis Apost. ad quindennium concedatur, inter ordinarias tamen numeretur, ac proinde aliis missionariis communicari possit, sicut et caeterae ordinariae » ? S. C. de Prop. Fide 14 *Jan.* 1806 reposuit: « Facultatem dispensandi super disparitate cultus esse extraordinariam, nec licere Vicariis Apost. eam communicare aliis missionariis qui tenentur in casibus particularibus recurrere ad Vicarium Apost. ». At eadem S. C. die 31 *Jan.* 1796 declaravit : « Episcopus et Vicarius Apost., quibus concessa est extraordinaria facultas dispensandi super disparitate cultus, uti ea valere gravibus de causis etiam in casu *quo mulier rapta fuerit necdum tuto loco resti-*

(1) Collect. Paris. *n*. 889.

Digitized by Google

tuta, constito ante de libero ejus consensu in matrimonium, et praehabito partis infidelis consensu in cohabitationem absque contumelia Creatoris ». Caeterum vide quae diximus n. 414 sequ. de indulto dispensandi in genere, et applica indulto dispensandi in hoc impedimento.

621. In istiusmodi matrimoniis publicationes praetermittuntur ad normam sequentis responsionis. Proposito dubio ab Episcopo Nesqualiensi (Nesqualy États-Unis) : « Se come nei matrimonii misti cosi nei matrimonii fra cattolici ed infedeli siano permessi i banni o proclamazioni » (1). S. C. S. Officii 4 *Julii* 1874 reposuit : « Posse fieri proclamationes in matrimoniis, de quibus agitur, quatenus Apostolica dispensatione contrahantur, suppressa tamen religione contrahentium ». S. C. ulterius mentem suam ita declaravit : « E'mente pero degli Emi che questa risposta venga accompagnata a Mons. Vescovo con una lettera, nella quale gli si dica che potendosi dalla curia o da chi per essa accertare la libertà dello stato dei contraenti, osservando le norme prescritte da s. m. di Clem. X colla istruzione dei 21 *Agosto* 1670, sarebbe più espediente, almeno in alcuni casi e circostanze, dispensare dai detti banni per evitare il pericolo di ammirazione o scandalo ; il che pero vuolsi rimesso al di lui prudente arbitrio » (2). Praeterea viri docti, qui in missionibus operam suam praestiterunt, a nobis consulti affirmarunt etiam in his matrimoniis prohiberi caetera omnia, quae in mixtis conjugiis vetantur (n. 458 sequ.) ; imo si decretum *Tametsi* in loco non viget, sacerdos his matrimoniis assistere nullatenus solet.

622. Remoto per hypothesim impedimento disparitatis cultus, id sequitur. Nempe pars infidelis non tenetur forma Tridentina : atqui quando una pars eadem non tenetur,

(1) *Latine* : « Utrum sicut in mixtis conjugiis, ita et in conjugiis inter catholicos et infideles permissa sint banna seu proclamationes ».

(2) *Latine* : « Mens tamen est Em. PP. ut huic responsioni adjungatur epistola ad Dom. Episcopum, in qua ei significetur quod, quum possit sive a curia sive ab aliquo vices eius agente libertas status contrahentium certior fieri, observatis normis a Clem. X s. m. praescriptis in instructione diei 11 *Aug.* 1670, saltem in aliquibus casibus et circumstantiis magis expediret a praedictis bannis dispensare ad evitandum admirationis vel scandali periculum ; quod tamen ejus prudenti arbitrio relinquitur ».

Digitized by Google

communicat propter individualitatem contractus hanc exemptionem etiam alteri parti quoad actus validitatem (n. 863): ergo nec pars fidelis tenetur quoad actus validitatem, et ita matrimonium sine Tridentina forma foret illicitum quidem, sed validum, licet in loco vigeat decretum *Tametsi*. Sed haec in abstracto, quia in dispensatione semper exprimitur conditio, ut matrimonium in facie ecclesiae debita forma contrahatur. At haec ratiocinatio practice inservit pro excludenda necessitate formae civilis quae infidelem obligat. Nam pars fidelis eadem non tenetur; proinde et infidelis eximitur, ideoque matrimonium, non servata civili forma, est procul dubio validum.

623. Quod si in aliquo loco adeo pauci sunt Christiani ut nequeant inter se matrimonia inire et non valeant ob locorum distantiam dispensationem petere, cessat impedimentum; quippe in casu juri ecclesiastico praevalet jus naturale ad matrimonium, ita ut matrimonium cum infideli contractum sine dispensatione validum et licitum videatur. Huc refertur sequens responsio S. C. S. Officii. Expositum fuerat: « In his difficillimis dissitisque regionibus saepius occurrunt Christiani, qui sive persecutionis vitandae causa, sive propter pecuniae necessitatem, sive etiam propter aliam causam satis incauti, ut sunt plerumque Sinenses, e locis Christianorum, ubi habitant ipsi sive nati sunt, ad loca longingua proficiscuntur ad quadraginta vel quinquaginta et amplius dies itineris simul cum uxore et filiis. In quibus locis non sunt Christiani, nec inveniri possunt, nec ullus fuit unquam rumor de religione Christiana per circuitum. Grandiores facti filii et filiae nubunt cum paganis sine dispensatione possibili. Pro moribus gentis filiae praesertim et saepissime etiam filii sunt in impossibilitate absoluta transmigrandi ad loca Christianorum, sicque debent omnino vel nubere cum paganis, vel manere innuptae aut caelibes. Quid juris in hoc casu? Tenentur ne impedimento disparitatis cultus? Quid juris ubi fides eorum est in tuto, ut fit aliquando, et ubi sunt in bona fide, ut plurimum evenit? » S. C. 4 *Jun.* 1851 reposuit: « In propositis circumstantiis non esse inquietandos, facto verbo cum Ssmo. Ssmus appro-

Digitized by Google

bavit » (1). Illa verba *non esse inquietandos* intelligi possent de eorum bona fide non turbanda : quo in casu matrimonium validum non declararetur. At S. Alph. *III*, *n.* 763 illa verba interpretatur ita ut « non meram tolerantiam, sed positivam permissionem significent ».

624. In Europa auctoritas civilis fere ubique habet valida matrimonia inter Christianos et infideles. At in Hungaria matrimonia Christianorum cum Hebraeis etiam jure civili interdicuntur : et quum nonnulli postulavissent hoc impedimentum juris civilis abrogari, Camerae hanc legis propositionem repudiarunt. Qua de re maxime eos laudat Leo XIII in Encyc. *Quod multum*, 22 *Aug.* 1886 ad Primates, Archiepiscopos, Episcopos... Hungariae.

§ 7ª. — *De impedimento ligaminis* (2).

625. Ligamen est vinculum matrimoniale existens (n. 205), quod constituit impedimentum dirimens aliud matrimonium. Ita ut sicuti vir nequit plures simul ducere uxores, quod diceretur *polygamia simultanea*, ita multo minus mulier pluribus simul nubere viris, quod appellaretur *polyandria simultanea*. Unde matrimonium est *monogamum* idest unius cum una, excludens *bigamiam* simultaneam quae polygamiam et polyandriam simul indicat. Haec unitas est proprietas essentialis matrimonii, praesertim Christiani quod repraesentat unionem Christi cum Ecclesia (n. 209) De iis fusius theologi ; nos ea breviter declarantes in primis de polyandria, deinde de polygamia simultanea loquemur (3).

626. Omnes admittunt, si nonnullos impios ac stultos excipias, polyandriam simultaneam jure naturali vetari prorsus. Nam illud est contra naturae jus, quod excludit finem principalem quem natura ex aliquo opere intendit. Atqui polyandria simultanea excludit finem principalem quem natura ex matrimonio intendit, idest generationem et rectam educationem prolis ; quia, experientia teste, mulier quae

(1) Collect. Paris. *n.* 890.
(2) Vide canonistas in *tit. De sponsa duorum IV, lib. IV Decret.*
(3) Vide Palmieri *Tractatus de Matr. Christ. thes. XII, XIII, XIV, XV.*

Digitized by Google

pluribus inservit, est infoecunda, et si proles forte enascitur, incertus est pater qui illius curam habeat. Ergo polyandria simultanea est contra naturae jus. Unde si mulier pluribus nupserit viris, ipso jure naturali omnia simul matrimonia valida esse nequeunt; sed primum erit validum, et posterius nullum, non enim admitti potest primum solvi per attentatum alterius. Idque etiamsi primum sit ratum, et posterius consummatum, quia ante consummationem erat nullum ex dictis, et copula carnalis illud revalidare non potuit. Argumentum ex S. Scriptura contra polyandriam desumes ex iis quae n. 639 dicemus de polygamia. Caeterum ipsi infideles ac barbari habent quidem polygamiam, non vero polyandriam.

627. Etiam Alex. III in *cap.* 3 *cit. tit.* tradit prius matrimonium a muliere initum valere, alterum nullum esse, licet illud ratum, hoc consummatum sit. Ast addit: *Quamvis aliter a quibusdam praedecessoribus nostris sit aliquando judicatum*. Haeretici exinde RR. PP. vehementer carpunt, veluti si aliquando docuerint vel utrumque matrimonium simul valere, vel primum solvi per attentatum alterius. Catholici non conveniunt in illis verbis explicandis. Intellectus magis obvius hic est. Alex. III *l. c.* respondet consultationi Archiepiscopi Salernitani, qui fortasse nonnulla exempla citaverat, quibus mulieri a Sede Apostolica permissum fuerat, vivente adhuc marito primi matrimonii, aliud inire. Istae permissiones ex eo datae fuerant, quia vel primi matrimonii in foro externo probatio defecerat (n. 774 sequ.), vel nulliter fuerat celebratum, obstante aliquo impedimento dirimente. Alex. III tradens generalem doctrinam, illis verbis significare vult objectas decisiones pro casibus particularibus datas non obesse (1).

628. Polygamia simultanea permissa fuit Hebraeis, inter quos Salomonem praesertim nemo inficias ibit omnes limites excessisse, qui duxit septingentas uxores et tercentas concubinas: 3 *Reg. XI*. Apud cultiores nationes in usu non fuit, imo lege civili prohibebatur. Ita penes antiquos Roma-

(1) De Angelis *IV, IV, n.* 6. Feje *n.* 439 *sequ.*

Digitized by Google

nos lege Numae vetita erat, et infamia notabatur qui plures simul habuisset uxores. Apud Tacitum haec est praecipua laus Germanorum. Euripides aliique monogamiam apud Graecos laudant. Post Christum D. novatores saec. XVI non consentiebant circa polygamiae liceitatem (1). Nostris diebus, ut de infidelibus taceamus, pluralitatem uxorum profitebantur paucis abhinc mensibus Mormones in America Septentrionali, qui tandem a gubernio coacti eidem renuntiaverunt. Caeterum certum omnino est post Christum D. polygamiam omnino vetari ita ut, primo extante, aliud matrimonium sit illicitum et nullum.

629. Revera Matth. *XIX,* 9 cum locis parallelis Christus D. ait: « *Quicumque dimiserit uxorem suam..... et aliam duxerit moechatur, et qui dimissam duxerit moechatur* ». Vide etiam S. Paulum 1 *Cor. VII.* Jam vero in his verbis Christi in primis observa illud *quicumque*, quod afficit omnes homines, ut patet. Praeterea si moechatur qui, dimissa uxore, aliam duxerit, a fortiori moechabitur, qui prima retenta, aliam assumpserit, uti ratiocinatur Inn. III in *cap.* 8 *De divortiis*; atque ita patet lege Christi alterum conjugium, donec primum subsistit, esse invalidum. Praeterea S. Paulus *l. c.* docet mulierem non habere potestatem sui corporis, sed virum; similiter autem et virum sui corporis potestatem non habere, sed mulierem. Ergo vir hanc potestatem in suum corpus post primum matrimonium alteri dare nequit: atqui in hoc matrimonium consistit. Ulterius ex doctrina Apostoli *l. c.* et *ad Ephes. IV* ac alibi uxor et maritus quoad matrimonium pari jure reguntur: atqui uxor aliud matrimonium illicite et invalide iniret ex dictis. Adde *cap.* 1, 2, 4, 5 *cit. tit., cit. cap.* 8 *De divortiis* aliaque innumera jura, quae in re notissima inutile est recensere, nec non universam traditionem quae semper alterum matrimonium, primo subsistente, illicitum et invalidum habuit: uti theologi exponunt. Conc. Trid. *sess. XIV, can. II* definivit contra nonnullos novatores (2):

(1) Bossuet *lib. IV, Hist. variat. protest.*

(2) Novatoribus hac in re praeiverat Cajetanus apud Sanchez *VII, LXXX, n.* 3.

Digitized by Google

Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum A. S. »

630. Ut vero id melius determinemus, nos putamus pluralitatem uxorum jure naturae *per se* non prohiberi, si proprie loqui velimus. Nam ipsa non excludit finem principalem matrimonii seu procreationem et rectam prolis educationem, sed reddit difficiliorem assecutionem finis secundarii tum mutui adjutorii, cum difficile esse possit pax et concordia in familia unius viri plurium uxorum, tum remedii concupiscentiae, cum unus vir minus bene possit pluribus mulieribus satisfacere. Atqui id quod pro fine principali nullo modo requiritur et pro fine secundario est opportunum, potius consilii quam praecepti rationem habet. Ergo si spectetur strictum naturae jus, unitas uxoris est potius de consilio quam de praecepto. Secus permissio polygamiae Hebraeis a Deo facta difficile admodum explicari posset; et tamen eam Deum positive permisisse non est dubium, ut patet tum ex facto sanctissimorum virorum, qui plures simul habuerunt uxores, tum ex *Deuter. XXI*, 15, *XXVI*, 5-9, et ex *II Reg. XII*, 8. At Deus in ipsa primitiva matrimonii institutione unitatem non solum indicavit ac suasit, sed etiam juxta meliorem theologorum sententiam praecepit, prohibens non solum polyandriam sed etiam polygamiam, uti explicat Inn. III in *cit. cap.* 8, *De divortiis*: polyandriam quidem confirmans jus naturae, polygamiam autem positiva lege, quae in ipso jure naturali fundamentum habebat. Deinde ab hac lege Deus dispensavit Hebraeos: non convenit autem inter DD. utrum dispensaverit et gentiles, licet sententia affirmativa probabilior videatur. Hinc rursus matrimonium remansit sub lege naturae, et unitas uxoris rursus fuit de consilio, non de praecepto. At Christus D. hanc dispensationem revocavit, matrimonium reducens ad primitivam sui institutionem *cit. Matt. XIX*. Ergo post Christum D. rursus unitas uxoris praecipitur, polygamia prohibetur jure illo divino positivo primigenio. Hoc modo intelligimus doctrinam D. Thomae in 4 *dist.* 33, *q.* 1, *a.* 1 ubi demonstrat pluralitatem uxorum quodammodo esse contra legem naturae, quodammodo non; esse contra praecepta secunda-

Digitized by Google

ria legis naturae, non autem contra praecepta primaria.

631. Ex dictis apparet impedimentum ligaminis esse juris divini naturalis, si de polyandria, positivi, si de polygamia agatur. Hinc locus esse nequit dispensationi et acatholici calumniantur, quando affirmant RR. PP. has dispensationes aliquando concessisse (1). Hinc etiam penes infideles, primo legitimo matrimonio inito, aliud nullum est, cum impedimentis juris divini omnes teneantur (n. 298) et expresse Christus D. *cit. Matt. XIX* dicat: *Quicumque* (n. 639). Congruit et praxis Ecclesiae ; nam si infidelis, plures habens uxores, convertatur ad fidem, debet retinere primam tantum ; et si haec nolit cum eo cohabitare, aut nonnisi cum contumelia Creatoris, tunc potest unam ex aliis, quaecumque ea sit, secum retinere, renovato tamen consensu. Unde patet Ecclesiam primum tantum matrimonium validum habere. Sed de his fusius alibi.

632. Causae bigamiae simultaneae pertinent ad forum ecclesiasticum, cum tota res pendeat a validitate primi conjugii, sed punitio criminis est mixti fori. In primis hoc crimen inducit infamiam tum jure civili Romano *l. Praetoris ff. De iis qui notant. infam.*, tum jure canonico *cap.* 4, *De bigamis non ordinandis*. Insuper bigamus est suspectus de haeresi, et ideo denuntiandus S. C. Inqu. ; nam facto videtur putare id sibi licere contra canonem dogmaticum Conc. Trid. Quod si id revera cum contumacia putaverit, est vere haereticus : quam haeresim si externe manifestaverit, incurrit excommunicationem latae sententiae R. P. speciali modo reservatam latam in haereticos et schismaticos in Const. *Apostolicae Sedis n.* 1. Et si matrimonium mala fide initum etiam consummarunt conjuges bigami, incurrunt impedimentum *criminis* ita ut neque defuncto priori conjuge valeant matrimonium sine dispensatione inire : de quo infra. Alias poenas spirituales latae sententiae in ipsum bigamiae crimen directe statutas non legimus. Urb. VIII in Const. *Magnum* 20 *Jun.* 1637 praecipit ut vir bigamus tradatur

(1) Bangen *II, pag.* 122 refert epistolam Cardinalis Majoris Poenitentiarii datam *die* 25 *Maii* 1807, qua hanc calumniam refellit.

Digitized by Google

curiae saeculari, sed haec constitutio non videtur usu fuisse recepta (1).

Etiam graves poenas temporales Ecclesia contra bigamos olim constituit. In *cap.* 2 *cit. tit.* imposuit publicam poenitentiam per septem annos cum jejunio per quadraginta dies in pane et aqua, quod *carina* dicebatur. S. C. S. Officii *an.* 1647 interrogata ab Archiepiscopo Beneventano, qua poena puniendus esset polygamus, respondit: « Polygamorum poenâ, si falsos testes ad suum liberum statum comprobandum non induxerint, post abjurationem de vehementi (2), solet esse damnatio ad triremes per quinquennium, si vero induxerint, per septennium. Falsi testes ipsi quoque damnantur ad triremes per quinquennium, aut brevius pro delicti sui qualitate (3) ».

Hodie his poenis temporalibus ab Ecclesia inflictis locum non esse quisque videt. Crimen autem bigamiae plectitur a tribunali laico juxta civilem legislationem matrimonialem; et cum haec legislationi Ecclesiae in pluribus non cohaereat, fieri potest ut qui est vere bigamus, poenas effugiat, si nempe non est bigamus lege civili; et e contrario qui vere bigamus non est, poenas incurrat, si scilicet est bigamus lege civilii.

Caeterum palam est bigamos esse publicos peccatores magnum scandalum afferentes, si bigamia notoria sit: unde filios esse adulterinos (quod in libro parochiali baptismorum adnotandum est), parentes arcendos a sacramentis, a benedictionibus Ecclesiae, e. g. si mulier benedictionem post partum petat, et ab ecclesiastica sepultura, nisi debite resipuerint (4).

633. Quum extante primo matrimonio, aliae nuptiae ipso jure divino irritae sint, pars nupta non admittitur ad aliud conjugium nisi prius probet primum fuisse, *a*) vel nulliter contractum, *b*) vel solutum sive per dispensationem R. P., aut per solemnem professionem religiosam, si erat

(1) Ben. XIV *De Syn. IX, VI, n.* 8.
(2) Scilicet de vehementi suspicione haeresis.
(3) Ben. XIV *l. c.*
(4) Giovine *I*, § 201. Bangen *II*, *pag.* 123-124. Thesaurus *De poenis ecclesiast. p.* 2, *v. Matrimonium*, *c.* 3.

Digitized by Google

ratum tantum, sive per mortem alterius conjugis. In primo casu haec nullitas primi matrimonii ad alterum ineundum constare in genere debet ex sententia judicis ecclesiastici, servato ordine juris, de qua in *cap. IX*, *art. II*: tantum si primum matrimonium in loco ab omnibus ignoratur et certe judicio Ordinarii nullum est, putamus pro foro interno conjuges in altero matrimonio forte contracto non esse inquietandos. In altero casu exhiberi debet authenticum testimonium dispensationis obtentae a R. P., vel professionis religiosae alterius conjugis, et in hoc casu probandum est in forma juris matrimonium non fuisse consummatum (n. 125). Tandem non sufficit probabilitas mortis, sed requiritur moralis certitudo; nam quis praesumitur vivere, donec mors non probetur, et in dubio nemini conjugum debet praejudicium ferri in jure suo, ac novum matrimonium exponi periculo nullitatis (1). Etiamsi absentia conjugis per plures annos perduret, et, omni diligentia adhibita, nulla habeatur notitia de vita aut morte ipsius, novum matrimonium permitti non debet, nisi indicia positiva concurrant, quae certitudinem moralem de illius morte ingerant. Ita expresse Clem. III in *cap.* 19, *De sponsalibus...* rescribens Caesaraugustano Episcopo : « In praesentia nostra quaesivisti quid agendum sit de mulieribus, quae viros suos causa captivitatis vel peregrinationis absentes ultra septenninm praestolatae fuerint, nec certificari possunt de vita vel de morte ipsorum, licet super hoc solicitudinem adhibuerint diligentem, et pro juvenili aetate seu fragilitate carnis nequeant continere, petentes aliis matrimonio copulari. Consultationi ergo tuae taliter respondemus, quod quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium canonice convolare, nec auctoritate Ecclesiae permittas contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum ». Concinit Lucius III in *cap.* 2, *De secundis nuptiis*, quae decretalis directa est ad universos Christianos in captivitate Saracenorum positos. Proinde jus canonicum hac in re correxit jus civile Roma-

(1) S. C. C. in *Papiensi Matrimonii* 12 *Dec.* 1733 et 27 *Febr.* 1734.

Digitized by Google

num, quod *l.* 6, *C. De divortiis* post certum annorum numerum novas nuptias permittebat. Ipse Justinianus id jam emendaverat *Nov.* 117, *c.* 11, qui tamen in alium ivit excessum, statuens uxorem adhuc annum expectare debere, licet tribuni ac duces militum jurejurando affirmarent virum mortuum esse. S. Sedes plures instructiones dedit, quibus declaratur quandonam haec moralis certitudo mortis conjugis habeatur ita ut novum matrimonium permitti queat. Ad rem faciunt instructio S. Officii 21 *Aug.* 1670 (Alleg. III, I) et alia ejusdem S. C. 22 *Jun.* 1822. At aliam omnibus pleniorem eadem S. C. dedit *die* 14 *Maii* 1866, quae in hisce causis semper prae oculis haberi debet. Prostat in Alleg. V.

Giraldi *I*, *sect.* 656 putat magis tutum, imo necessarium, ut parochus habeat licentiam Ordinarii sui, antequam partem ad novas nuptias admittat, potissimum si conjugis mors in remotis partibus accidit, vel scriptura exaratae fidei eidem parocho nota non sit ; Ordinarius autem hanc licentiam non concedat, nisi de morte conjugis moralem habeat certitudinem. Ubi viget lex de examine testium, quisque videt parochum hac Ordinarii licentia necessario indigere : in aliis locis consilium Giraldi parochus sequi omnino debet. Sed si mors conjugis probetur ex authentico documento, de quo in citata instructione *n.* 2, videtur in iis locis parochus posse partem ad novum conjugium admittere, inconsulto etiam Ordinario : nam tunc revera applicari potest *reg.* 31 *juris in* 6° « eum qui certus est, certiorari ulterius non oportet ».

634. Quid vero si, contracto novo matrimonio, pars quae mortua credebatur, vivens appareat, aut de illius morte jam serio dubitetur ? Respondet Lucius III in *cit. cap.* 2, *De secundis nuptiis* : « Si vero aliquis vel aliqua id hactenus non servavit et de morte prioris conjugis adhuc sibi existimet dubitandum, ei quae sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod a se tamen noverit nullatenus exigendum. Quod si post hoc de prioris conjugis vita constiterit, relictis adulterinis complexibus ad priorem conjugem revertatur ». Proinde si conjuges contraxerunt et sunt in bona fide, reliquendi sunt in bona fide, quia bonae fidei possessor turbari a possessione non debet ; si jam constat utrique vel alterutri

Digitized by Google

de vita prioris conjugis, separentur; tandem si alteruter serio dubitat, reddere debet, sed petere nequit, ideoque si uterque serio dubitat, neuter petere ac reddere potest, et separari ad invicem debent. At in hoc casu neutri aliud matrimonium permittendum, uti patet. Dubium autem leve spernendum est : « conscientia levis et temerariae credulitatis explosa » ait Inn. III *in cap.* 44, *De sententia excommunicationis.*

Huc spectat responsio S. Officii *diei* 22 *Mart.* 1865. Missionarii Jesuitae Missionis Nankini quaesiverant: « 1° Mulier, cum frustra per duos vel tres annos reditum viri praestolata fuisset, matrimonio unita est alteri viro, non obstantibus admonitionibus quas missionarius utrique fecit: nunc secundus maritus hujus mulieris facti poenitens vult eam relinquere, et ad alia vota transire. 2° Altera mulier, cum et ipsa frustra reditum mariti expectasset, post tres annos existimans ipsum jam mortuum esse, bona fide alii viro in matrimonio se conjunxit, et cum impossibile nunc sit investigare utrum primus maritus vivat adhuc, aut reapse mortuus sit, quaeritur utrum relinqui ipsa possit in usu secundi matrimonii contracti, donec certitudo habeatur de vita primi mariti? » S. C. reposuit: « Ad 1um separandos esse conjuges et virum non posse secundas inire nuptias usque dum moraliter sit certum, quo tempore ipse matrimonium iniit cum muliere de qua agitur, jam primum virum ejusdem mulieris non obiisse. Ad 2um relinquendos esse in bona fide » (1). Eadem repetas si dubitetur an prius matrimonium validum fuerit.

§ 8^{a}. — *De impedimento erroris conditionis servilis* (2).

635. Notum est plures distingui servorum classes. Sunt *servi servitute proprie dicta*, qualis erat apud Romanos, et adhuc viget penes infideles; *servi glebae addicti* sive adscriptitii sive originarii, prouti erant paucis abhinc annis in imperio Russiaco ; *famuli conductitii*, qui pro certa mercede operas suas locant; tandem *servi poenae*, idest dam-

(1) Collect. Paris. *n.* 973. Vide etiam *n.* 971.
(2) Vide canonistas in tit. *De conjugio servorum, IX, lib. IV, Decret.*

Digitized by Google

nati ad carcerem perpetuum vel triremes. Heic de primis tantum agitur : de aliis enim nil speciale quoad matrimonium statutum est. Clericatus *Dec. XX, n.* 10 legislationem; quae primos respicit, ultimis immerito applicat.

636. Jam vero inter servos, servitute proprie dicta jus Romanum verum matrimonium recognovit, quod tamen appellavit *contubernium* (n. 202 in nota). Etiam Ecclesia semper admisit verum matrimonium inter eos consistere posse. Usque ad saec. VIII pro conjugii validitate requisivit domini consensum (1); sed deinde receptum fuit servos posse matrimonium licite et valide inire, etiam insciis ac invitis dominis, sed exinde a servitute non liberari, uti expresse docet Adrianus IV *cap.* 1 *cit. tit.* Patet autem dominum, matrimonio valido semel inito, non amplius potuisse in servos conjugatos quae juri naturae, in quantum matrimonium regit, adversantur, e. g. unum conjugem vendere. Pariter Ecclesia semper habuit uti validum licitumque conjugium inter partem servam et partem liberam notam habentem alterius servilem conditionem, licet jus civile aliud statuerit *l.* 2, *C. De incestis nuptiis.*

637. At casu quo pars libera ducens servam ignorasset hujus servilem conditionem, matrimonium declaratum fuit nullum *cap.* 2, 3, et clarius 4 *cit. tit.*, etsi haec ignorantia aut error non dedisset causam contractui, et pars serva evasisset libera antequam pars libera errorem suum cognosceret. Excipe juxta nonnullos si haec ignorantia fuerit crassissima et levissima, quod Sanchesio *VII, XIX, n.* 20 est valde probabile. Hic auctor *l. c. n.* 4 putat valere quoque matrimonium si pars serva erit libera infra breve tempus, idest infra bimestre : sed certe validum est si pars serva statim libera evadit matrimonium contrahens. Item si pars libera contraxit cum libera putans eam servam, aut pars serva contraxit cum serva putans eam liberam (2). En igitur *impedimentum erroris conditionis servilis.*

638. Matrimonium hoc impedimento nullum revalidatur expresse vel tacite, sicuti alia matrimonia nulla ; secus par-

(1) Giraldi *I, sect.* 700. Feje *n.* 123.
(2) S. Alph. *VI, n.* 101.

Digitized by Google

tes discedant. Utrum pars serva, si libera post cognitam ejus servitutem vellet matrimonium revalidare, consentire in conscientia teneatur, non convenitur inter DD. Si mala fide contraxit, tenetur, ne commodum ex sua iniquitate habeat; secus non tenetur. Enata autem quaestione coram judice, pars serva probare debet scientiam liberae, quia in facto alieno « praesumitur ignorantia ubi scientia non probatur » uti habet *reg. 47 juris in* 6°, nisi illius servilis conditio fuerit communiter nota.

639. Certum omnino est, quidquid nonnulli dixerint, hoc impedimentum nuptias dirimere jure tantum ecclesiastico. Sane n. 684 sequ. declaramus errorem circa personam matrimonium jure naturae irritare, non vero errorem circa qualitatem (nisi qualitas apposita fuerit tamquam conditio sine qua non, aut error qualitatis refundatur in errorem personae). Proinde cum in casu nostro error non sit circa personam, inspecto jure naturae matrimonium valeret, non obstante illo errore qualitatis etiam dante causam contractui ac ex dolo malo alterius proveniente. At Ecclesiam posse juxta de causa statuere ut error alicujus qualitatis reddat nullum matrimonium, quod ex jure naturae valeret, indubium est (1). Revera id constituit pro errore qualitatis servilis, nolens partem liberam ignoranter tale conjugium subire, in quo tanta est inaequalitas, tanta incommoda, tanta in exercitio jurium matrimonialium difficultas.

Nonnulli putaverunt hoc impedimentum esse naturale, quia conditio servilis repugnat bonis substantialibus matrimonii, canones citati illud proprie non ferunt sed potius existens supponunt, tandem error hujus qualitatis refunditur in errorem personae. Sed primum nimis probat; si enim ipsa servitus impedimentum matrimonio ineundo praestat, sequeretur matrimonium existere non posse nec inter liberum et servam, cognita etiam servitute, nec inter servum et servam; quae certe falsa sunt. Caeterum jam diximus, inito conjugio, jura naturalia sarcta tectaque esse debere. Alterum nil probat; nam multa sunt juris positivi, quorum

(1) Sanchez *VII, XVIII, n.* 9.

Digitized by Google

initium indicari nequit. Tandem tertium per se falsum est (n. 685).

640. Ex dictis sequitur hoc impedimentum inter infideles non adesse. Hinc si infidelis liber ducit infidelem servam ignorans illius servitutem, matrimonium est legitimum. Praecisione facta ab impedimento disparitatis cultus, si fidelis liber ducit infidelem servam matrimonium est nullum, quia hoc impedimentum latum est in favorem partis liberae ; e contrario matrimonium valet, si infidelis liber ducit fidelem servam, quum impedimentum juris ecclesiastici illum non afficiat.

§ 9ª. — *De impedimento criminis* (1).

641. Non omnia crimina impedimentum dirimens secumferunt, sed sequentia tantum : *conjugicidium ab utraque parte patratum ; adulterium cum promissione matrimonii ; adulterium cum attentato matrimonii ; adulterium cum conjugicidio ab una tantum parte patrato.* Nonnulli addunt et *raptum*, de quo in § 3ª actum est : et praeterea hoc impedimentum alia quam ratione criminis procedit (n. 541).

Jure Romano etiam antiquissimo generaliter cautum fuerat ut adulter et adultera invicem numquam possent, ne soluto quidem priori conjugio, jungi *l.* 21, §11, *l.* 40 *ff. Ad legem Juliam de adulter.*, *l.* 13 *ff. De iis quae ut indign. Nov.* 134 *cap.* 12, licet adulterio nec promissio, nec attentatum matrimonii, nec conjugicidium accessisset. Eamdem legislationem antiqui canones receperunt. Hinc S. Leo Papa universim statuit *can.* 1, *c.* 31, *q.* 1 : « Nullus ducat in matrimonium, quam prius polluit adulterio » ; unde deducta est rubrica *cit. tit.*, et concinit decretum Concilii Triburiensis *an.* 895 relatum in *can.* 3 *l. c.* Et quidem ii canones videntur impedimentum dirimens importare.

Deinde limitatio recepta fuit. Adulterium enim solum induxit impedimentum impediens ante peractam publicam

(1) Vide canonistas in tit. *De eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium, VII, lib. IV Decret.*

Digitized by Google

poenitentiam *can.* 5 *l. c.*, quod publicâ poenitentiâ sublatâ evanuit, ita ut matrimonium inter adulteros, mortua conjuge, liceret *cap.* 1, et 6 *cit. tit.*, etsi propter tantum facinus condigna poena esset reis imponenda. Idem dicatur de sola matrimonii promissione, aut attentato sine adulterio *cap. ult. cit. tit.*, aut de mortis machinatione in conjugem ex una parte tantum. Adulterium vero una cum promissione aut attentato matrimonii, aut conjugicidio ab una tantum parte commisso induxit impedimentum dirimens, sicuti conjugicidium solum utriusque tamen consilio perpetratum. Quaenam crimina impedimentum impediens antiqua disciplina secumferrent vide n. 432.

642. Hoc criminis impedimentum est juris ecclesiastici tantum, ut facile patet. Ecclesia illud tulit, seu, quod idem est, reos inhabiles reddidit ad matrimonium inter se ineundum tum in poenam commissi criminis, injuriae scilicet illatae conjugi innocenti ac matrimonio, tum ut incolumitati ipsius innocentis conjugis consuleret, ne spes futuri matrimonii det reis ansam captandae illius mortis, tum tandem quia hoc matrimonium foret publice inhonestum et perniciosum (1). Quinam fuerit Ecclesiae finis primarius, quinam secundarius, DD. non conveniunt; putamus Ecclesiam omnes illos fines una simul intendisse et obtinuisse hac inhabilitate. Quod nonnulli ajunt hoc impedimentum esse magis inhabilitatem quam poenam aut viceversa, sensu caret, si res intimius scrutetur: nam hoc impedimentum sicuti alia omnia impedimenta dirimentia est inhabilitas pure ac simpliciter, quam tamen Ecclesia tulit tum in poenam criminis tum ob alios indicatos fines, atque ita vere haec inhabilitas est poena.

Lutherus et Melanchton inepte carpunt impedimentum ex quarto crimine, citantes exemplum Davidis, qui, perpetrato adulterio cum Bethsabea, in mortem Uriae machinatus est, quo defuncto, eam duxit. Sed quid aliud haec probant, nisi

(1) D'Annibale *III*, § 308. De Lugo *De Poenit.. XVI, n.* 336. Suarez *De Legibus, V, XIX, n.* 6. Lehmkuhl *II, n.* 770. Gury-Ballerini *II, n.* 788 **cum communi.**

Digitized by Google

quod in Veteri Testamento impedimentum in casu non aderat? Modo de singulis.

643. 1° Et in primis hoc impedimentum enascitur ex *conjugicidio ab utraque parte patratum* intuitu matrimonii ineundi inter se : e. g. Titius et Caja de medio tollunt Sempronium uxorem Titii, ut nuptias inter se inire valeant. Id aperte traditur in *cap.* 1, *De conversione infidelium* : « Interrogasti de Saracenis qui, dum in captivitate essent, quarumdam Christianarum viros earum insidiis et machinationibus occiderunt, utrum, quia postea per ipsas ad fidem Christianam conversi sunt, eas de jure possint accipere in uxores, vel si duxerint, conjugium teneat earumdem. Hic Triburiensis Concilii regula contenti sumus, asserentis quod, *si in mortem ipsorum malitiose fuerint machinatae*, licet earum studio ad fidem accesserint, tamen nec eis adhaerere debent, nec sunt, si adhaeserint, etiam tolerandi, cum tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit ». Deinde Caelest. III tradit e contrario uxores virorum Christianorum in bello interfectorum posse Saracenis conversis nubere, cum « tales non procuraverint virorum interitum defunctorum ». Canon 40 Concilii Triburiensis prostat *can.* 5, *c.* 31, *q.* 1 in Decreto.

644. Ex relata decretali Caelest. III colligi debet, quaenam requirantur ut hoc delictum impedimentum producat. Nimirum necesse est :

a) Ut sequatur mors conjugis, etiam vulnere de se non mortali inflicto (1), ita ut non sufficiat simplex attentatum. Quamquam vero *l. c.* agatur de viro occiso, tamen idem juris est, si uxor potius interfecta fuerit, tum quia vir et uxor *non ad imparia judicantur*, ut ait Inn. III *in cap.* 8, *De divortiis*, tum ex *cap.* 6 *cit. tit.*, quod uxorem meminit (2).

b) Ut mors sequatur operâ utriusque. Hinc si, inflicto vulnere non mortali, mors deinde sequatur imperitiâ vel

(1) Lehmkuhl *II*, *n.* 769. D'Annibale *III*, § 310. Schmalz. *IV. VII*, *n.* 54. Sanchez *VII*, *LXXVIII*, *n.* 7. Reiff. *IV*, *VII. n.* 22-25.

(2) D'Annibale *l. c.* cum communissima.

Digitized by Google

negligentiâ medici, impedimentum non enascitur (1). Indifferens autem est, utrum opera fuerit physica vel moralis, dummodo uterque in mortem concurrerit e. g. mandato vel consilio, etsi mandatum vel consilium fuerit revocatum, si haec revocatio homicidae non innotuerit. Omnes admittunt satis non esse ratihahitionem, e. g. si Caja audiens Titium occidisse suam Semproniam, illum approbat ac laudat intuitu matrimonii : nam ipsa revera nullo modo machinata est in Semproniae mortem, quod jura requirunt (2). Idem dicatur ob eamdem rationem si, Titio manifestante suum propositum interficiendi Semproniam, Caja taceat nec approbans, nec reprobans. Quod si illum approbet, et ita Titius impium propositum executioni demandet, videtur Caja sua approbatione Titium incitavisse, et ita moraliter concurrisse in illius mortem, ideoque impedimentum exurgere (3). Ex his sequitur impedimentum non oriri si Titius suasione Cajae habens intentionem interficiendi Semproniam, eam interficit casu fortuito, etsi culpabili; quia mors potius ex casu fortuito quam ex eorum communi operâ sequitur.

c) Ut matrimonium fuerit validum et perseverans tempore occisionis; nam relatum *cap.* 1, *De conv. inf.* stricta interpretatione intelligi debet de valido matrimonio. Hinc impedimentum non oritur si matrimonium fuit nullum, etsi Titius, Caja, Sempronia aliique omnes illud per errorem validum existimaverint : in hoc casu vere non foret conjugicidium sed homicidium simplex.

d) Ut hoc delictum perpetratum sit intuitu matrimonii cum socio conjugicida ineundi, vel cum uno ex eis, si fuerint plures (4). Id quidem in *cit. cap.* non exprimitur, sed argumentando deducitur. « Ratio enim et finis inductionis hujus impedimenti fuit, ne conjux conjugem vita orbaret ut, eo

(1) D'Annibale *l. c., not.* 20. Reiff. *l. c.*, n. 25. Schmalz. *l. c. n.* 53. Pirhing *IV, VII, n.* 23. Sanchez *l. c., n.* 9.

(2) Sanchez *VII, LXXVIII, n.* 6. D'Annibale *l. c.*

(3) D'Annibale *l. c.* contrarium docet, quia putat machinationem deesse.

(4) S. Alph. *VI, n.* 1033. Pontius *VII, XLV, n.* 4. Sanchez *l. c. n.* 13. D'Annibale *l. c.* Feje *n.* 453. S. Thomas 4, *dist.* 37, *a.* 2. Schmalz. *l. c. n.* 55. Reiff. *l. c. n.* 24. Folium S. C. C. in *Ulixbonensi* 7 *Sept.* 1726. Santi *IV. VII, n.* 4 cum communi.

Digitized by Google

matrimonio soluto, ad aliud migraret cum persona quam amat. Quae ratio numquam habet locum quoties conjugis interfectio non eo tendit, ut aliud matrimonium cum ea persona ineatur. Atque proinde jura inducentia hoc impedimentum minime ad hunc casum extenduntur ». Sanchez *l. c.* Hinc impedimentum dirimens non adest, si Titius, Caja cooperante, Semproniam interfecit, ut Caja liberius fruatur, vel ejus filiam ducat.... Subdit d'Annibale *l. c.*: « At vero haud necesse est ut haec intentio concurrerit ex utraque parte (1) : nihilominus verius necesse est ut appareat exterius, quia in jure nihil est, nisi quod apparet, utque innotescat socio uxoricidae (2) : nam quamdiu intentio unius alterum latet, nulla subest certa spes matrimonii ineundi, atque ideo aut nullum aut non tam grave periculum imminet alteri conjugi ». S. Alph. *l. c.* docet sufficere « si occisionem praecesserint sufficientia indicia intentionis, puta munera, familiaritates, epistolae amatoriae, et similia ». Imo multi AA. (3) censent hanc intentionem in foro externo praesumi, si post patratum conjugicidium culpabiles velint matrimonium inire, nisi ex circumstantiis et conjecturis aliud probetur, licet id non omnibus arrideat (4).

Haec igitur omnia in foro externo probari debent ad matrimonii nullitatem ex hoc crimine evincendam; secus matrimonium semel contractum substinetur (5).

645. 2° Deinde *adulterium cum promissione matrimonii* producere impedimentum dirimens inter culpabiles ita ut, soluto etiam primo matrimonio, nuptiae inter eos consistere nequeant, patet ex *cap.* 1. *cit. tit.*, ubi Alex. III tradit generale principium : « Licet autem in canonibus habeatur ut nullus copulet matrimonio, quam prius polluerat adulterio, et illam *maxime* cui fidem dederat, uxore sua vivente, vel quae machinata est in mortem uxoris..... » Illud *maxime*

(1) S. Alph. *VI, n.* 1084. Sanchez *VII, LXXVIII, n.* 9.
(2) Contrarium putat Ballerini ad Gury *II, n.* 821.
(3) Ballerini ad Gury *l. c.* Schmalz. *IV, VII, n.* 55. Sanchez *l. c. n.* 19, Giovine *I*, § 229, *n.* 2 in fine, Pirhing, Reiffenstuel...
(4) D'Annibale *l. c. not.* 23.
(5) S. C. C. in *Bituntina Matrimonii* 15 *Jan. et* 2 *Jul.* 1718.

Digitized by Google

nonnullis difficultatem facessit, veluti si etiam ex adulterio solo impedimentum dirimens oriri aliquando posset. DD. passim respondent vocem *maxime* in casu significare *tantum*, sed quin recurramus ad hanc violentam responsionem; sensus obvius est sacros canones prohibere matrimonium inter adulteros (n. 641), praesertim (*maxime*) cum matrimonii promissione aut machinatione in mortem uxoris, quia in hoc casu non solum prohibent, sed etiam dirimunt. Idem rursus tradit Alex. III *in cap.* 3 *cit. tit.*, demptis illis verbis *sive non* quae in manuscriptis non leguntur juxta glossam marginalem. Accedit Inn. III *in cap.* 6 *et* 7, et tandem Greg. IX *in cap. ult. cit. tit.*, ubi expresse docet promissionem aut attentatum matrimonii cum adulterio parere impedimentum dirimens, mortua etiam conjuge ; non vero solam promissionem aut attentatum matrimonii sine adulterio, quamvis utrique ipsorum pro eo quod in hoc graviter deliquerint, sit poenitentia injungenda.

646. Ut vero oriatur impedimentum, necesse est ut adulterio conjungatur promissio matrimonii *ante mortem* conjugiis innocentis. Id traditur expresse in *cap. ult. cit. tit.:* « Caeterum tolerari non debet, si prius vel postea (ad fidem datam), *dum vixerit uxor ipsis*, illam adulterio polluisset ». Revera si, constante matrimonio, adulterium locum habuit; et, eo soluto, promissio matrimonii, haec nullum parit periculum conjugi innocenti, et licita ac valida per se est : e contrario si, constante matrimonio, promissio ; et, eo soluto, copula carnalis, haec non est adulterium sed simplex fornicatio. Indifferens autem est utrum promissio antecedat adulterium vel viceversa, ut patet ex relatis verbis Greg. IX ; sed si promissio adulterium praecedit, requiritur ut antea promissio non fuerit revocata ; secus numquam habentur promissio simul et adulterium, quae impedimentum pariunt. Quod si promissio revocetur post adulterium, nil officit : nam impedimentum jam existit. Pariter nec impedimentum adest si, constante primo matrimonio, Titius cognovit Cajam, et, constante secundo matrimonio, Titius eidem nuptias promisit, quia in neutro simul habetur adulterium et promissio.

Digitized by Google

647. Praeterea impedimentum non enascitur nisi *adulterium* fuerit:

a) *Perfectum* per copulam aptam ad prolis generationem (n. 965): leges enim ferentes hoc impedimentum, utpote odiosae, de perfecto tantum adulterio sunt intelligendae(1). At si copula locum habuit, in dubio praesumitur perfecta in utroque foro (cit. n. 965).

b) *Materiale* ob matrimonium inter Titium et Sempro-niam validum et adhuc perseverans; secus, Titio cognoscente Cajam, injuria matrimonio non infertur, ideoque impedimentum non oritur (2), etsi omnes illud validum reputaverint. At non interest utrum matrimonium fuerit consummatum vel ratum tantum, aut conjuges sint inter se separati. Si in exemplo allato etiam Caja est conjugata cum Maevio, nonnulli putant utrumque matrimonium debere esse validum ut impedimentum oriatur: quae opinio nullo videtur fulciri solido fundamento.

c) *Utrinque formale*, utraque parte adultera ligamen noscente. Hinc si Caja ignorat Titium esse conjugatum, et sub fide aut attentato matrimonii cum eo commisceatur, impedimentum non enascitur, et, mortua Sempronia, matrimonium inter Titium et Cajam utique iniri potest; imo Titius, urgente Caja, ad illud *per se* cogi potest, ne lucrum ex suo dolo reportet. Id expresse tradit Alex. III in *cap.* 1 *cit. tit.*, ubi de hac specie praecise agitur, et Inn. III in *cap.* 7 *ejusd. tit.* Juxta hanc certam juris dispositionem Giraldi *II*, *in App.* in fine bene resolvit casum sequentem sibi propositum. Titius intuitu matrimonii rem habuit cum Berta, quam putavit solutam: deinde dum vellet eam ducere, Berta sincere aperuit se esse conjugatam; unde a nuptiis abstinuit, sed matrimonium sibi mutuo promisere pro casu futurae mortis conjugis. Doctus Auctor respondit nullum exinde inductum esse impedimentum. At si utraque pars

(1) Sanchez *VII, LXXIX, n.* 2. Schmalz. *IV, VII, n.* 14. Pirhing *IV, VII, n.* 15. Reiff. *IV, VII, n.* 12. De Justis *II, XVI, n.* 52. Feje *n.* 450. Santi *IV, VII, n.* 2.

(2) Sanchez *VII, LXXVIII, n.* 2. Schmalz. *l. c. n.* 35. Reiff. *l. c. n.* 8. Feje *l. c.* De Justis *l. c. n.* 54.

Digitized by Google

adultera est conjugata, Titius cum Sempronia, Caja cum Maevio, necesse non est ut utraque utrumque ligamen cognoscat, sed sufficit si alterutrum : hinc est impedimentum si Caja scit Titium esse conjugatum, licet Titius ignoret matrimonium Cajae cum Maevio (1). Ex dictis apparet ab hoc impedimento excusare ignorantiam matrimonii invincibilem. Omnes admittunt pariter excurare ignorantiam vincibilem leviter culpabilem, qua pars rationabiliter credit alteram non esse conjugatam, et non excusare affectatam. Utrum vero excuset ignorantia vincibilis graviter eulpabilis, quam vocant crassam et supinam, plerique negant (2), alii vero magnae quoque auctoritatis affirmant (3). Stante hac controversia, impedimentum in casu non adesse saltem ex principio reflexo (n. 302) dicendum est. Quod si Caja sciat quidem Titium esse conjugatum, sed modo tum ipsa tum Titius dubitant an Sempronia vivat, et ita copulam habeant cum aliis requisitis circumstantiis, est impedimentum juxta omnes, quia Sempronia praesumitur vivere, donec mors non probetur (4).

648. Tandem ut impedimentum adsit, matrimonii *promissio* debet esse.

a) *Externata* signis vel verbis ab una parte, et ab altera similiter *acceptata* (5). Utrum taciturnitas sit sufficiens signum acceptationis disputant hinc inde DD., et utramque sententiam S. Alph. *l. c. n.* 1038 appellat *merito probabilem* : ac proinde, promittente Titio, tacente Caja, putamus ob principium saltem reflexum impedimentum non adesse, etsi revera interne Caja acceptaverit, quia acceptatio debet esse externa, sicuti promissio, nisi in illis circumstantiis taciturnitas acceptationem significet. Posita acceptatione,

(1) Feje *l. c.*

(2) Schmalz. *IV, VII, n.* 11. Palao *XXVIII, VI, p.* 12, *n.* 8 cum communi, teste ipso Sanchesio.

(3) Sanchez *VII, LXXIX, n.* 38. S. Alph. *VI, n.* 1036 cum Busemb. De Justis *II, XVI, n.* 38. D'Annibale *III*, § 309.

(4) De Justis *l. c. n.* 37, qui ait id esse singulare. Sanchez *l. c. n.* 36. Busembaum apud S. Alph. *VI, n.* 1031.

(5) Schmalz. *IV, VII, n.* 20. Reiff. *IV, VII, n.* 16. Pirhing *IV, VII, n.* 14. Sanchez. *VII, LXXIX, n.* 7 et 22. S. Alph. *VI, n.* 1037.

Digitized by Google

nonnulli (1) insuper requirunt repromissionem, sicuti in sponsalibus, ut impedimentum enascatur, quod alii communius et probabilius negant (2), cum in citatis capitibus tantum de fide data, non autem de repromissione mentio fiat. Cum autem prima sententia vere et certe probabilis sit (3), rursus ex principio reflexo impedimentum nullum erit, altera parte acceptante quidem, sed non repromittente, nisi acceptatio in illis adjunctis repromissionem includat.

b) *Vera* ita ut ficta promissio hoc impedimentum non producat in foro interno, et nec in externo, si fictio probari queat, quia ficta promissio non est promissio. Sanchez *l. c. n.* 10 cum aliis putat hoc impedimentum oriri in utroque foro, si fictio externe non appareat, quia haec promissio dat alteri parti ansam captandae mortis conjugis innocentis; sed communior et probabilior sententia negat, quae proinde tuto teneri potest. Idem dicatur si acceptatio ficta fuit. At in foro externo « nemo existimandus est dixisse quod non mente agitaverit » *l.* 7 *ff. De suppellect. leg.*

c) *Pura*: conditionata enim promissio non sufficit ad impedimentum producendum, nisi quando dignoscitur verificata ante conjugii solutionem: nam si conditio pendet aut ignoratur utrum existat necne, frustra metuitur conjugi innocenti. Hinc promissione conditionata *de praeterito* vel *de praesenti* impedimentum oritur statim ac constat conditionem existere; promissione conditionata *de futuro necessario*, *impossibili*, aut *turpi* oritur: de futuro *contingenti* ac *honesto* si non verificetur, non oritur juxta omnes, si verificetur post solutionemc onjugii, pariter non oritur, quidquid contra dicat Sanchez *VII, LXXIX, n.* 11 cum aliis (4), tandem si verificetur ante solutionem conjugii, oritur. Haec clariora erunt ex iis quae de conditionibus matrimonio appositis disputamus n. 743 sequ.

(1) Bellarminus *De Matr. I, XXII.* Layman *l.* 5, *tract.* 10, *p.* 4, *c.* 10 *n.* 4. Lemhkuhl *II, n.* 767.

(2) Sanchez *VII, LXXIX, n.* 20. S. Alph. *VI, n.* 1041. Schmalz. *IV, VII, n.* 30. Reiff. *IV, VII, n.* 17. Feje *l. c.*

(3) Schmalz. *l. c.* D Annibale *l. c. not.* 11. S. Alph. *l. c.*

(4) Schmalz. *IV, VII, n.* 27. De Justis *VI, n.* 41. Layman *V, X, IV, X, n.* 4.

Digitized by Google

d) *Cum scientia ligaminis.* Quaestio huc redit, an impedimentum existat casu quo Titius, ignorans Cajam esse conjugatam, promisit ei matrimonium, et postea, cognito illius matrimonio, adulterium perpetravit. Et quidem si Titius post notitiam ligaminis promissionem eidem Cajae expresse confirmaverit, palam est et omnes fatentur impedimentum oriri : secus DD. inter se non conveniunt. Alii affirmant (1), quippe, ajunt, promissio adulterio tacite confirmatur. Alii probabilius negant, quia: « ceu turpis promissio non est facile praesumenda (Sanchez *n.* 14), ita nec turpis ratihabitio. Quin puto nec ratihabitionem ex dictis sufficere, si facta fuerit altero inscio. Aliud juris est, si matrimonium seu potius contubernium ignorantes inierint, et postea scienter in eo perstiterint : etenim non recedendo et commiscendo illud tacite ratum habent (Sanchez *VII*, 79, 32) ». D'Annibale *l. c. not.* 17. Stante hac controversia impedimentum in casu saltem ex principio reflexo non videtur urgendum.

e) Tandem promissio debet esse de matrimonio ineundo *post mortem conjugis*; quippe per hoc datur ansa captandi illius mortem (2). Hinc non esset impedimentum si Titius Cajae diceret : *Promitto nuptias, postquam divortium civile obtinueris.*

649. 3° A fortiori hoc impedimentum exurgit *ex adulterio una cum attentato matrimonii*, prouti jura citata expresse etiam tradunt. « Contrahere autem seu attentare matrimonium de praesenti est inire nuptias, utique invalide, per verba de praesenti vel per aliquod aliud signum quod consensus promissionem includat : nihil tamen refert an adulterium praecesserit attentationem matrimonii vel subsequatur... : ut assumptio concubinae seu potius adulterae habeatur in casu ut vera matrimonii attentatio, opus est ut includat promissionem matrimonii sive de praesenti, sive de futuro ». S. C. de Prop. Fide 14 *Jan.* 1844. Ex parte adulterii omnia ea verificari debent quae n. 647 exposuimus. Insuper attentatum et adulterium perpetrari debent ante mortem alterius conjugis, et simul concurrere debent. Hinc e. g. si Titius et

(1) Sanchez *VII, LXXIX, n.* 34. Schmalz. *IV, VII, n.* 13.
(2) Schmalz. *IV. VII, n.* 9. Sanchez *II, VLXXIX, n.* 2.

Digitized by Google

Caja attentaverunt matrimonium, sed ante adulterium resilierunt, et postea absque novo matrimonii attentato commiscantur, impedimentum non adest. Caeterum nil interest an adulterium praecesserit vel sequatur attentatum matrimonii. Requiritur autem ut attentatum fiat cum scientia ligaminis *cap.* 5 *cit. tit.*, sed sufficit si, illo cognito, pars, quae ignorabat, in contubernio perseveret et adulterium formale committat. Tandem sufficit matrimonium omissa forma Tridentina contractum, quippe est attentatum, ideoque matrimonium, ut ajunt, civile (1). Ex dictis apparet omnes illos, qui post validum matrimonium petunt et obtinent divortium civile et deinde aliud civile connubium contrahunt et consummant, hoc impedimentum contrahere : ideoque, mortuo etiam priori conjuge, non posse sine dispensatione matrimonium inire.

650. 4° Tandem hoc impedimentum producit *adulterium cum conjugicidio*, licet adulterium sine promissione aut attentato matrimonii, et conjugicidium ab una tantum parte perpetratum fuerit, altera inscia aut etiam contradicente. Id tradit expresse Inn. III *cap.* 6 et 7 *cit. tit.* docens matrimonium inter adulteros, mortua uxore, consistere non posse, si alter eorum in mortem uxoris defunctae *machinatus fuerit*. Requiritur autem ut conjugicidium commissum sit intuitu matrimonii ineundi cum adultero vel adultera ; haec intentio manifestata sit alteri ; et tandem crimen adulterii et conjugicidii commissum sit, constante eodem matrimonio. Hinc si Titius, constante primo matrimonio, promisit Cajae nuptias ; constante altero, eam cognovit ; et tandem tertiam uxorem interfecit, ut Cajam duceret, non est impedimentum (2). Recolimus (n. 644) juxta nonnullos intentionem ineundi matrimonium praesumi in foro externo, nisi ex conjecturis et circumstantiis aliud constet. Huc spectat responsio S. C. C. in *Ulixbonensi*. Joannes Feixcira Sobrado in civitate Ulixbonensi Occidentali commorans stupravit Mariam a Conceptione, licet esset matrimonio conjunctus cum

(1) D'Annibale *III*, § 309, *not.* 8. Marc *n.* 2036. Schmalz. *IV, VII, n.* 15. Sanchez *VII, LXXIX, n.* 8. De Angelis *IV, IV, n.* 11 qui citat praxim S. Poenitentiariae.

(2) D'Annibale *l. c.*, § 311, *not.* 28.

Digitized by Google

alia muliere, quae domicilium habebat in dioecesi Bracharensi. Cum deinde intellexisset adulterium a sua uxore fuisse commissum cum alio viro, civitatem petiit Bracharensem et, veritate comperta, uxorem occidit, et uxoricidii accusatus, cum in defensionibus ostendisset uxorem fuisse adulteram, juxta patrias leges impunitus evasit. Post annum et ultra rediit in civitatem Ulixbonensem, ubi voluit matrimonium inire cum praedicta Maria ; sed cum oppositum fuisset criminis impedimentum, quaesitum fuit an revera obstaret, et quatenus affirmative, an dispensatio foret concedenda. Porro folium S. C. animadvertit in casu non esse impedimentum ex adulterio cum promissione matrimonii, quia tum Joannes tum Maria juramento affirmaverant adulterium commisisse sine ulla promissione matrimonii ineundi post mortem uxoris : proinde totam quaestionem restringi ad impedimentum ex adulterio cum conjugicidio, et nominatim an Joannes uxorem peremerit intuitu matrimonii cum amasia ineundi juxta illam praesumptionem : « Indago restricta videtur ad hoc unicum punctum, an praesumptio supradicta, quae non est juris et de jure, sublata dici valeat a sententia a judice prolata in qua Joannem suae uxoris occisorem absolvit, ex quo in defensionibus ostendit, quod adulterium fuerat ab uxore commissum ; in his quippe circumstantiis homicidium videtur referendum non ad animum contrahendi novum matrimonium sed ad ulciscendam injuriam ». Propositis dubiis : « 1° An adsit impedimentum impediens et dirimens in casu ? Et quatenus affirmative. 2° Quomodo sit procedendum ? » S. C. reposuit 28 *Sept.* 1726 : « Ordinarius procedat prout de jure, et scribatur eidem juxta instructionem ». Riganti ad *reg.* 49 *Cancell. Apost. n.* 56 affirmat sensum S. C. fuisse impedimentum non obstare.

651. Ex huc usque dictis apparet hoc impedimentum multiplicari tum ratione delicti, tum ratione matrimonii. In primis suppone Titium tantum esse conjugatum cum Sempronia. Promittens Cajae matrimonium post suae uxoris mortem, cum ea commiscetur, deinde matrimonium attentat, tandem Semproniam interficit ut Cajam ducat ; jam triplici impedimento arcetur a conjugio cum complice. Et si Titius non

Digitized by Google

unum tantum, sed triplex matrimonium inivit successivum cum Sempronia, Francisca, Lucretia, et in unoquoque fingatur triplex illa hypothesis, seu Titius Cajam cognoscit cum promissione matrimonii, deinde matrimonium attentat, tandem uxorem occidit ad Cajam ducendam, jam forent novem impedimenta. Modo suppone et Titium conjugatum esse cum Sempronia, et Cajam cum Maevio, et utrumque alterius ligamen agnoscere. Etiam impedimenta duplicantur propter injuriam duplici matrimonio illatam et periculum duplicis conjugis innocentis. Hinc si Titius cognoscit Cajam cum promissione mátrimonii, post mortem utriusque eorum conjugis sunt duo impedimenta ; si praeterea matrimonium cum Caja attentat, sunt quatuor ; si tandem et Semproniam et Maevium interficit ut nuptias cum Caja conciliare possit, sunt sex. Quod si Titius et Caja plura successiva matrimonia iniverunt et in unoquoque plura crimina perpetrarunt, tu deberes eodem modo impedimentis addere impedimenta. Proinde, ut alias diximus, haec omnia necesse est exponere in instantia pro dispensatione obtinenda. At non multiplicatur impedimentum ex pluries repetito adulterio formali, aut promissione matrimonii saepius confirmata, constante eodem matrimonio.

562. Cum hoc impedimentum sit juris ecclesiastici tantum, sequitur :

1° Illud non afficere infideles. Proinde si Titius et Sempronia, ambo infideles, crimen perpetrarunt et deinde, defuncto conjuge, velint legitimo matrimonio copulari, hoc valet, nisi simile criminis impedimentum latum quoque sit a civili auctoritate. Imo si ambo culpabiles ad Christi religionem convertantur, et deinde velint matrimonium inter se inire, hoc validum pariter esset sine ulla dispensatione, quia lex Ecclesiae illud delictum in infidelitate commissum afficere nequit, eo vel magis quod baptismate deletum prorsus est. Idem dicatur si alteruter tantum ex delinquentibus convertatur, et postea cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus velit matrimonium cum complice inire. Quod si adulterium e. g. patratum sit ante conversionem, et promissio matrimonii post conversionem, nonnulli putant

Digitized by Google

impedimentum adesse ; sed longe probabilius Sanchez *VII*, *LXXIX*, *n.* 43 negat cum plerisque, cum in casu promissio tantum matrimonii considerari debeat in ordine ad impedimentum, non autem adulterium ob rationes mox indicatas : atqui sola matrimonii promissio non sufficit ad impedimentum inducendum (n. 645). Tandem si crimen commissum sit a fideli et infideli impedimentum adest; nam fidelis lege Ecclesiae est inhabilis, et manifeste patet ex *rel. cap.* 1, *De conversione infidelium*, ubi de hac praecise facti specie agitur. Haec confirmantur ex sequenti responsione S. C. de Prop. Fide 23 *Aug.* 1852. Proposita fuerunt haec dubia : « ..... 2° Vir infidelis qui ante baptismum copulam habuit cum infideli uxore alterius cui, annuente muliere fidem de futuro matrimonio acceptante, mortem intulit, potestne post utriusque baptismum matrimonium inire cum dicta muliere ? 3° Possuntne hoc matrimonium contrahere, si quando patrarunt ista crimina, una pars fuerit Christiana ? » S. C. respondit : « ... Ad 2um affirmative ; Ad 3um negative ». At in quarto crimine, cum hoc impedimentum afficiat directe partem adulteram conjugicidam, et indirecte partem adulteram tantum, si pars fidelis est adultera-conjugicida et infidelis adultera tantum, impedimentum adest ; contra si fidelis est adultera tantum et infidelis adultera-conjugicida (1).

653. 2° Ab hoc impedimento Ecclesia dispensare potest. De praxi vero, quae circa hanc dispensationem servari solet, sequentia notanda sunt.

654. Ab impedimento ex primo aut ultimo crimine, idest si conjugicidium intervenit utraque parte cooperante patratum, vel ab una tantum simul cum adulterio formali, et (conjugicidium) *publicum* est, Ecclesia dispensare non solet ob scandali enormitatem (2). Hinc in indultis ad dispensandum, quae concedi solent Legatis a latere, quoad impedimentum criminis, addi solet : *Dummodo in mortem defuncti conjugis quidquam machinati non fuerint sive uterque sive alteruter*. Proceditque hoc etiam casu quo licet evulgatum sit patratum conjugicidium cum prae-

(1) Schmalz. *IV, VII, n.* 46. Sanchez *VII, LXXVIII, n.* 3, cum aliis.
(2) Ben. XIV *Inst. Ecc.* 87, *n.* 21. Giovine *I*, § 229.

Digitized by Google

cedenti adulterio vel conspiratione, occulta tamen mansit intentio habita de nuptiis contrahendis (1). Si vero conjugicidium est *occultum*, S. Poenitentiaria impertitur pro foro conscientiae dispensationem, sed raro, cum gravi difficultate et nonnisi ex urgentissima causa. Nam Inn. XII hanc potestatem S. Poenitentiariae concedens sua Const. 12 subjungit: « Raro tamen et quando necessitas postulaverit ratione alicujus gravis imminentis periculi, quod prudentia Majoris Poenitentiarii, re praesertim discussa in Congregatione vel Signatura, arbitrandum erit ». In Congregatione seu Signatura tria expenduntur, an causa allegata pro dispensatione sit legitima et urgentissima ; an conjugicidium veneno fuerit perpetratum, quo in casu difficilius dispensatio conceditur (2) ; an culpabiles penitus occulti manserint nec facile detegi possint. Si matrimonium inter culpabiles jam initum fuit, nec separatio fieri queat, quin gravissima scandala oriantur et periculum incontinentiae immineat, est ratio sufficiens pro dispensatione elargienda : si vero matrimonium nondum initum est, S. Poenitentiaria injungere solet confessario ut culpabiles a conjugio deterrere conetur, sed dispensatio datur si ipsi obfirmati sunt in voluntate conjugium ineundi, et parati in publico concubinatu vivere, vel etiam civile matrimonium inire (3). In rescripto dispensationis sunt clausulae de poenitentia reis imponenda, eleemosyna elargienda, precibus pro anima defuncti recitandis, et satisfactione ac subventione haeredibus defuncti aliisque, quibus ipse consulere solebat.

655. Ab impedimento orto ex tertio crimine, idest adulterio cum matrimonii attentato, dispensatur ex canonica causa inter graviores, puta si oratrix diffamata et innupta maneret, gravia scandala verosimiliter orirentur..... Quoniam vero culpabiles sunt suspecti de haeresi (n. 632), in rescripto injungi solet delegato, ut praemisso examine circa fidem oratorum, facta abjuratione de vehementi haeresis suspicione, ac imposita poenitentia, dispenset (4).

(1) Giovine *l. c.*
(2) Corradus *VIII, IX, n.* 12. Giovine *l. c. n.* 3.
(3) De Angelis *IV, VII, n. ult.*
(4) Giovine *I*, § 229.

Digitized by Google

656. Tandem ab impedimento orto ex altero crimine nempe adulterio cum promissione matrimonii facilius ex quacumque causa canonica dispensatio conceditur vel a S. Dataria, si utrumque delictum adulterium scilicet et promissio publicum est, vel a S. Poenitentiaria si utrumque vel alterutrum est occultum (1).

657. Quaeritur utrum ab hoc impedimento excuset illius ignorantia? quae quaestio non respicit forum externum, in quo haec juris ignorantia non praesumitur, sed internum. Certum est ignorantiam neque in foro conscientiae excusare ab aliis impedimentis (n. 381); sed pro hoc impedimento est specialis difficultas, cum habeat rationem poenae (n. 642). In primis distinguendum est inter casum quo utraque pars impedimentum ignorat, et casum quo una tantum.

658. Si utraque pars ignorat, plerique negant (2) ignorantiam excusare. Krimer *IV, VII, n.* 1011 *sequ.*, qui hanc quaestionem fuse evoluit, affirmat et probat hanc sententiam *nec certis aut evidentibus principiis inniti, nec certe et evidenter concludere* (3). Revera, ut pauca attingamus, De Angelis hanc sententiam putat poni extra dubium, quia, omnibus fatentibus, hoc impedimentum est inductum in poenam; atqui poenae ecclesiasticae incurruntur quoque ab iis qui illas ignorant. Utrum haec minor propositio vera sit, patroni alterius sententiae mox cum S. Alphonso dicent. Sporer et Suarez illam probant, quia hoc impedimentum est *poena medicinalis* lata ad absterrendos homines. Utrum id accurratum undequaque sit, vide n. 642; et praeterea ipse Suarez *De censuris, XL, n.* 9 docet poenas medicinales in eo ab aliis distare, quod ignorantia poenae ab eis eximit. Diana aliique passim eam evincunt, quia hoc impedimentum est magis inhabilitas quam poena: de quo diximus cit. n. 642. De Angelis *l. c.* addit huic primae sententiae favere

(1) Giovine *I, l. c. et* § *sequ.* Schmalz. *IV, XVI, n.* 145. De Justis *II, XVI, n.* 60 *sequ.* Reiff. *IV, App. n.* 140.

(2) De Angelis *IV, VII, n.* 5. Marc *n.* 2038. Gury *II, n.* 788. Giovine *I,* § 228. Feje *n.* 456 Schmalz. *IV, VII, n.* 59. Reiff. *IV, VII, n.* 26. Sporer *De Matr. n.* 44. Suarez *De Legibus V, XIX.* Diana *t. II, tr. VI, res.* 170, 3.

(3) Vide Ballerini ad Gury *l. c.* D'Annibale *III,* § 312, *not.* 31.

Digitized by Google

praxim S. Poenitentiariae et Datariae, quae hujus ignorantiae numquam rationem habent : quod explodit Ballerini *l. c.* Alii affirmant ignorantiam excusare (1) : quia hoc impedimentum est poena juxta omnes : et quidem extraordinaria quae scilicet per se ne in confuso quidem praevideri potest : atqui ab hujusmodi poenis ignorantia nedum legis praecipientis sed etiam punientis excusat (2). Putamus huic sententiae negari non posse saltem veram probabilitatem tum intrinsecam tum extrinsecam, quod et De Angelis aliique ex primae sententiae patronis concedunt : hoc autem posito, impedimentum ex principio reflexo urgendum non est. Caeterum expedit ut dispensatio vel sanatio in radice ad cautelam petatur.

659. Si una tantum pars ignorat ; vel agitur de primo, altero, tertio crimine, et tunc pars impedimentum noscens eodem tenetur, ideoque indirecte et ignorans, et ita matrimonium subsistere non potest ; vel agitur de quarto crimine, et tunc si pars ignorans est tantum adultera, impedimentum certe adest ; si est adultera-conjugicida, redit quaestio supra exposita : nam in hoc crimine impedimentum directe afficit partem adulteram-conjugicidam.

660. Tandem ad Ecclesiam Orientalem catholicam quod attinet : « Spiritus legum orientalium, ait Papp-Szilàgyi, is est ut graviorum criminum rei, sicut conjugicidae et adulteri cum complicibus criminis numquam matrimonium contrahere admittantur ; imo non tantum ob perpetratum crimen, sed ex sola etiam praesumptione et suspicione de crimine matrimonium *prohibeat*... Impedimentum autem *dirimens* criminis in eo consistit, si nempe mulier vel vir adulterium committat vel conjugicidium perpetret intentione ut possit postea nubere illi quocum hoc peccatum commisit. Quo in casu hujus mali partes consciae matrimonium *valide* inire haud possunt ». Synodus autem provincialis Libanensis a Ben. XIV confirmata et adprobata Const. *Singularis* hoc im-

(1) Ballerini ad Gury *l. c.* D'Annibale *l. c.* Lehmkuhl *II, n.* 770. Krimer *l. c.* Navarrus *Man.* 22, 46. Pikler *VI, VII, n.* 6 aliique.
(2) S. Alph. *VI, n.* 1074.

Digitized by Google

pedimentum sanxit ad tramites disciplinae Ecclesiae Latinae (1).

§ 10ª. — *De impedimento cognationis.*

661. Cognatio seu necessitudo latiori sensu accepta est propinquitas personarum. Et si ordinem logicum sequi volumus, duplex distinguitur *naturalis* (naturâ inducta) et *legalis* (lege invecta). Illa est *consanguinitas* et *affinitas*; haec *publica honestas*, *cognatio spiritualis* ex baptismate et confirmatione, ac tandem *cognatio legalis* stricte sumpta proveniens ex adoptione. Omnes istiusmodi cognationes totidem relativa impedimenta dirimentia matrimonium constituunt, quae modo exponenda sunt.

I

Cognationes naturales.

1° *Consanguinitas* (2).

662. In primis de ipsa consanguinitate physice considerata nonnulla praemittentes animadvertimus consanguineos, velut *unius sanguinis*, dici personas, *quae ab eodem stipite per carnalem propagationem descendunt, aut altera ab altera*; morale autem vinculum seu propinquitas naturalis ob sanguinis communionem inter has personas est consanguinitas (3). Diximus *personas...*, quia consanguinitas tantum de hominibus praedicatur. *Quae ab eodem stipite... descendunt*, idest ab eodem progenitore, in quem tamquam in radicem primam personae, de quarum consanguinitate quaeritur, conveniunt. Heic autem recolenda est pulchra doctrina S. Thomae *l. c.*, nempe quod virtus stipitis sese reproducendi non solum quoad speciem sed etiam quoad individuum, quo in plures generationes derivatur, eo debilior efficitur, et tandem deficit; consanguinitas autem stricto sensu est in quan-

(1) Mansella *p. I, cap. IV, art. V,* in fine.
(2) Vide canonistas in tit. *De consanguinitate et affinitate XIV, lib. IV Decret.*
(3) S. Thomas 4 *dist.* 40, *q.* 1, *a.* 1 cum communi.

Digitized by Google

tum multi communicant in tali virtute ex uno in multos per propagationem deducta. Hinc si stipes satis remotus est ita ut haec virtus, ab eodem dimanans, personis, de quibus agitur, amplius communis non sit, eae non erunt consanguineae nisi lato sensu, quo omnes homines sunt consanguinei, utpote per carnalem propagationem ab eodem Adamo et Noe descendentes. *Per carnalem propagationem...* Hinc Adam et Eva non erant proprio et vulgari sensu inter se consanguinei, quia ab eodem stipite per carnalem propagationem non descendebant, licet essent ex alia causa inter se consanguinei (*ejusdem sanguinis*), quia Eva formata est ex costa Adami. At non interest an concubitus sit licitus vel illicitus, et quamquam vocabula juris, *familia*, *agnatio*, *cognatio*, *domus*, *genus*, *prosapia*, *progenies*, *stirps*, *sanguis*, *parentela*... ad illegitimos sese non extendant; tamen voces naturae, *conjunctus*, *consanguineus*, *pater*, *filius*, *nepos*, *parentes*, *liberi descendentes*... etiam illegitimos comprehendunt (1). *Aut altera ab altera* quae est stipes; nam Adam ejusque filii, Eva ejusque filii erant inter se consanguinei, et tamen ad eodem stipite per carnalem propagationem non descendebant; et in genere in linea recta pater et filius... sunt consanguinei non tam quia uterque ab avo, quam quia filius a patre descendit. Id indicant ea verba addita in definitione, quae communiter AA. omittunt. Quinam apud Romanos dicerentur *agnati* vel *cognati* vide n. 754 in nota.

663. In consanguinitate tria distinguenda sunt, *stipes*, de quo supra, *linea*, *gradus*.

Linea est series personarum quae a stipite originem ducunt, et dispescitur in *rectam* et *obliquam* seu *transversam* seu *collateralem*. Linea recta complectitur personas quarum altera ab altera per generationem procedit, idest genitores et genitos; et si descendis a genitoribus ad genitos, *descendentalis* appellatur; si e contrario a genitis ascendis ad genitores, *ascendentalis*. Linea obliqua continet personas quarum altera ab altera genita non est, sed quae-

(1) De Justis *II, III, n.* 21 *sequ.* Garcias *De beneficiis VII, XV, n.* 40 *sequ.* Mansella *I, III, I, n.* 1.

Digitized by Google

libet in linea recta ab eodem stipite descendit e. g. frater et soror, frater et filia sororis..... Quae est *aequalis*, si utraque linea recta aequalis est, seu si personae, de quibus agitur, aequaliter distant a stipite, e. g. frater et soror; *inaequalis*, si duae lineae rectae sunt inaequales, seu si personae, de quibus agitur, inaequaliter distant a stipite, e. g. frater et filia sororis.

664. *Gradus* est distantia inter personas de quarum consanguinitate quaeritur. In linea recta utrumque jus canonicum et civile Romanum (cui cohaerent recentiores legislationes) numerat gradus per generationes, seu *tot gradus, quot generationes*, vel aliis verbis *tot gradus, quot personae, una dempta*. Hinc e. g. pater et filius sunt in primo gradu, avus et nepos in secundo..... In linea transversa jus civile Romanum ac recentiores legislationes eodem modo computant gradus per generationes ex utraque linea recta, seu *tot gradus, quot generationes in utraque linea recta*, aliis verbis *tot gradus, quot personae, una dempta in unaquaque linea recta*. E contrario Ecclesia Occidentalis computat gradus per generationes in una linea, si lineae rectae sunt aequales, per generationes in linea remotiori, si inaequales. Hinc si lineae rectae sunt aequales, personae *eo gradu distant inter se, quo una a stipite*; si lineae rectae sunt inaequales, personae *eo gradu distant inter se, quo remotior a stipite*: « Quoto gradu remotior differt a stipite, et a quolibet per aliam lineam descendentium ex eodem » ait Greg. IX *cap.* 9 *cit. tit.* Unde regula juris canonici in Ecclesia Occidentali: *Gradus remotior trahit ad se propinquiorem*. At ut consanguinitas undequaque determinetur, non solum remotior, sed etiam propinquior gradus indicari debet; e. g. dicitur: *Titius et Sempronia sunt in quarto attingente tertium* etc., dum in linea aequali dicitur: *Titius et Sempronia sunt in quarto aequali* etc. Ita duo fratres jure civili sunt in secundo gradu, jure canonico in primo; frater et neptis ex sorore jure civili in tertio, jure canonico in secundo tangente primum; frater et filia neptis ex sorore jure civili in quarto, jure canonico in tertio tangente primum..... Gradus primus et secundus appellantur

Digitized by Google

propinquiores, caeteri *remotiores*. Ecclesia autem Orientalis semper computavit gradus, et adhuc computat juxta methodum Romanam (1).

665. Methodus Ecclesiae Occidentalis computandi gradus in linea transversa dicitur *Theutonica* seu *Germanica*, quia Ecclesia a Germanis, relicta Romana, illam recepit usque ab antiquissimis temporibus. S. Greg. M. (+ 604) in epist. 64 ad S. Augustinum Angliae Apostolum, quae refertur *can.* 2, *c.* 35, *q.* 5 in Decreto vetat nuptias consobrinorum utpote in *secunda generatione*; et Alex. II (+ 1073) in encyclica *ad omnes Episcopos et clericos necnon judices per Italiam constitutos* in Decreto *l. c.* vocat *novum* et *inauditum* errorem illorum, qui contra sacros canones et ecclesiasticum morem ajunt germanos fratres ac sorores in *secunda generatione* esse, filios eorum vel filias in *quarta*, nepotes vel neptes eorum in *sexta*, confisi juri Justinianeo addens: « Sic..... numerationem SS. Patrum et antiquam Ecclesiae computationem ad nos usque perductam perversa quadam calliditate disturbare nituntur ». Hinc fallitur Van-Espen, affirmans *Jus Ecc. II, XIII, V, n.* 10 hanc ecclesiasticam regulam saec. XI nondum ubique receptam nec extra controversiam fuisse, et De Angelis *IV, XIV, n.* 4 putans occasione disputationis inter S. Petrum Damianum et jurisconsultum Ravennatem saec. XI Alex. II illam adoptavisse. Computatio autem Theutonica loco Romanae mero usu introducta videtur; nulla enim apparet ratio quae hanc mutationem exigeret. Computatio civilis servanda est quando agitur de effectibus civilibus matrimonii, canonica, quando agitur de ipso conjugali foedere, uti explicat Alex. II *l. c.*

666. Consanguinei in diversis gradibus utriusque lineae diversa sortiuntur nomina. Indicamus haec nomina in lingua Latina 1°, Italica 2°, Gallica 3°.

A. *Linea recta.*

I^us^ *Gradus*. Pater, Mater 1°; Padre, Madre 2°; Père, Mère 3°.

(1) Mansella *l. c. n.* 4.

Digitized by Google

Filius, Filia 1°; Figlio, Figlia 2°; Fils, Fille 3°.

II^{us} *Gradus.* Avus, Avia 1°; Nonno, Nonna, Avolo, Avola 2°; Aïeul, Aïeule 3°.

Nepos, Neptis 1°; Nepote, Nepote 2°; Petit-fils, Petite-fille 3°.

III^{us} *Gradus.* Proavus, Proavia 1°; Bisnonno, Bisnonna, Bisavolo, Bisavola 2°; Bisaïeul, Bisaïeule 3°.

Pronepos, Proneptis 1°; Pronepote, Pronepote 2°; Arrière-petit-fils, Arrière-petite-fille 3°.

IV^{us} *Gradus.* Abavus, Abavia 1°; Trisnonno, Trisnonna, Trisavolo, Trisavola 2°; Trisaïeul, Trisaïeule 3°.

Abnepos, Abneptis 1°; Abnepote, Abnepote 2°; Bisarrière petit-fils, Bisarrière-petite-fille 3°.

B. *Linea collateralis.*

I^{us} *Gradus.* Frater, Soror. Et quidem si eodem patre et matre progeniti sunt, *germani*, si eodem patre tantum, *consanguinei*, si eadem matre tantum, *uterini* appellantur 1°; Fratello, Sorella 2°; Frère, Sœur 3°.

II^{us} *Gradus.* Patruus (frater patris), Amita (soror patris), Avunculus (frater matris), Matertera (soror matris) 1°; Zio paterno, Zia paterna, Zio materno, Zia materna 2°; Oncle paternel, Tante paternelle, Oncle maternel, Tante maternelle 3°.

Nepos, Neptis 1°; Nepote, Nepote 2°; Neveux, Nièce 3°.

Patrueles (Filii duorum fratruum), Amitini (filii fratris et sororis), Consobrini (filii duarum sororum), sed omnes isti *consobrini* vocari solent 1°; Cugini carnali, Cugine carnali 2°; Cousins germains, Cousines germaines 3°.

III^{us} *Gradus.* Patruus magnus (frater avi), Amita magna (soror avi), Avunculus magnus (frater aviae), Matertera magna (soror aviae) 1°; Fratello dell'avolo, Sorella dell'avolo, Fratello dell'avola, Sorella della avola (communius generali nomine Zio, Zia) 2°; Grand-oncle paternel, Grand'tante paternelle, Grand-oncle maternel, Grand'tante maternelle 3.

Pronepos, Proneptis 1°; Pronepote, Pronepote 2°; Petit-neveu, Petite-nièce 3°.

Digitized by Google

Sobrini (filii fratris vel sororis avi vel aviae), Sobrinae (filiae fratris vel sororis avi vel aviae) 1° ; Cugini, Cugine 2° ; Cousins issus des germains, Cousines issues des germains 3° ;

IV^us Gradus. Propatruus (frater proavi), Proamita (soror proavi), Proavunculus (frater proaviae), Promatertera (soror proaviae) 1° ; Fratello del bisavolo, Sorella del bisavolo, Fratello della bisavola, Sorella della bisavola (vulgo Zio, Zia) 2° ; Grand-oncle frère du bisaïeul, Grand'tante sœur du bisaïeul, Grand-oncle frère de la bisaïeule, Grand'tante sœur de la bisaïeule 3°.

Abnepos, Abneptis 1° ; Abnepote, Abnepote 2° ; Arrière-petit-neveu, arrière-petite-nièce 3°.

667. Haec consanguinitas potest esse multiplex sive quia alterutra vel utraque pars ab eodem stipite descendit, sed diverso modo, sive quia a diversis stipitibus (1).

668. Prima causa multiplicis consanguinitatis est, quando prolem vir habet ex persona sibi consanguinea : hoc in casu multiplicitas est ex unico stipite. E. g.



Quo in schemate Petrus est stipes : caeteri sunt illius descendentes. Supponas Nicolaum cognovisse Flaviam, et habuisse filiam Mariam. Alexander est Mariae consanguineus in duplici quarto aequali, scilicet ratione Nicolai, et ratione Flaviae ex stipite Petri, a quo Maria duplici via descendit. Alia exempla magis implexa vide apud citatos AA.

669. Altera causa est, quando personae consanguineae prolem procrearunt ex personis consanguineis.

(1) Feje *n*. 357. Giovine *I*, § 206.

Digitized by Google



Exinde patet ex duplici stipite Jacobum et Flaviam esse in duplici aequali, quia Jacobus est filius fratris patris ac sororis matris Flaviae, et Flavia pariter est filia fratris patris et sororis matris Jacobi ; Robertum et Magdalenam esse in duplici tertio aequali; Michaelem et Aloysiam in duplici quarto aequali; Robertum et Flaviam in duplici tertio mixto cum secundo.....

Tertia causa est, quando quis prolem habet ex pluribus personis inter se consanguineis.



In hoc schemate Joannes est pater Mariae et Annae sororum, quas Petrus cognoscit, et inde caeteri descendunt. Proinde Titius et Marianna sunt in duplici quarto aequali lineae collateralis ex stipite Joanne, in duplici tertio aequali ex stipite Petro ; Francisca et Horatius in duplici tertio aequali.....

671. Modus inveniendi gradus consanguinitatis in casibus particularibus simplex est. Si cognoscis stipitem communem personis, quae matrimonio jungendae sunt, scribe illius nomen in charta et infra nomina personarum hinc inde

Digitized by Google

descendentium usque dum pervenias ad sponsos. Tunc facile gradus videbis. Si stipitem ignoras, scribe nomina sponsorum in charta, deinde eorumdem parentum, et ita porro, donec invenias stipitem communem. Ita e. g. quaeritur an et quo gradu Bernardinus et Clotildis sint consanguinei.



Patet igitur Bernardinum et Clotildem esse in tertio aequali lineae transversae.

672. Tandem corodinis loco explicamus quid in stylo curiae Romanae et penes AA. veniat nomine *gradus simplicis* vel *mixti* seu consanguinitatis seu affinitatis. In primis aliquando gradus simplex significat gradum consanguinitatis vel affinitatis non conjunctum cum alio impedimento; et tunc e contrario gradus mixtus erit gradus consanguinitatis vel affinitatis conjunctus cum alio impedimento. Hoc sensu e. g. datur indultum dispensandi super aliquo gradu consanguinitatis sive *simplici* sive *mixto* cum cognatione spirituali vel affinitate..... Aliquando gradus simplex indicat gradum aequalem in utraque parte; et e contrario mixtus gradum inaequalem, ut puta tertium ex una, et secundum vel quartum ex alia parte. Hic sensus est magis proprius et maxime usitatus. Demum aliquando gradus simplex est gradus unicus, mixtus est gradus multiplex (juxta ea quae supra diximus), e. g. tertius aequalis ex duplici stipite; et si gradus inaequalis est ex multiplici stipite, tunc erit mixtus in altero et tertio sensu (1). Huc usque de consanguinitate in se spectata.

673. Jam vero consanguinitas dirimit matrimonium. Ra-

(1) Zitelli *De disp. matr. pag.* 104, *in nota*. Feje *n.* 626. Riganti *in reg.* 9 *Cancel. Apost. n.* 58. Carriere *De matr., n.* 582, qui exempla citant pro unaquaque ex his significationibus.

Digitized by Google

tiones exponit S. Thomas 2, 2, *q.* 154, *a.* 9 agens de peccato incestus : « Primo quidem quia naturaliter homo debet quamdam honorificentiam parentibus, et per consequens aliis consanguineis, qui ex eisdem parentibus de propinquo originem trahunt... Manifestum est autem..... quod in actibus venereis maxime consistit quaedam turpitudo honorificentiae contraria : unde de iis homines verecundantur. Et ideo incongruum est quod talis commixtio venerea fiat talium personarum ad invicem.... Secunda ratio est, quia personas sanguine conjunctas necesse est ad invicem simul conversari : unde si homines non arcerentur a commixtione venerea, nimia opportunitas daretur hominibus venereae commixtionis, et sic animi hominum nimis emollescerent per luxuriam. Et ideo in veteri lege illae personae specialiter videntur prohibitae esse, quas necesse est simul commorari. Tertia ratio est, quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum. Dum enim homo uxorem extraneam accipit, junguntur ei quadam speciali amicitia omnes consanguinei uxoris ac si essent consanguinei ejus. Unde Augustinus dicit *De civ. Dei*, *l.* 15, *c.* 16 circa princ. : *Habita est ratio rectissima charitatis, ut homines, quibus esset utilis atque honesta concordia, diversarum vicissitudinum vinculis necterentur, nec unus in una multas haberet, sed singulae spargerentur in singulos.* Addit autem Aristoteles quartam rationem (*Polit. l.* 2, *c.* 2 circa med.), quia cum naturaliter homo consanguineam diligat, si adderetur amor, qui est ex commixtione venerea, fieret nimius ardor amoris et maximum libidinis incentivum ». Medici ac physiologici aliam gravissimam rationem suppeditant, nempe quia in matrimonio inter consanguineos saepe, licet non per se sed per accidens, proles aut nulla habetur, aut est deformis ac infirma (1).

(1) Audiatur Dr Boudin *Annales d'hygiène publique*, 1862 : « La proportion des sourds-muets de naissance croît avec le degré de consanguinité des parents. Si on représente par 1 le danger de procréer un enfant sourd-muet dans un mariage ordinaire, ce danger est représenté par 18 dans les mariages ordinaires entre cousins-germains, 37 dans les mariages entre neveux et tantes. A Berlin, on compte 3, 1 sourds-muets sur 10.000 catholiques ; 6..... sur 10.000 protestants ; 27..... sur 10.000 juifs.

En d'autres termes la proportion des sourds-muets croît avec la somme

Digitized by Google

Eae omnes rationes ostendunt consanguinitatem, quo arctior est, eo magis matrimonium excludere.

674. In linea *recta* matrimonium est nullum in infinitum, scilicet quotocumque vel remotissimo gradu inter se distant generantes et geniti (1). Constat ex responso Nicolai I *ad Bulgaros*, quo dicitur: « De consanguinitate generationum exquiritis, ut quibus utique foeminis jungi debeatis, liquide cognoscatis. Verum quod leges hinc sanciunt, jam meminimus, et denuo memorare summatim operae pretium ducimus. Ajunt enim: *Ergo non omnes nobis uxores ducere licet, nam quarumdam nuptiis abstinere debemus ; inter eas enim personas quae parentum liberorumve locum inter se obtinent, nuptiae contrahi non possunt, veluti inter patrem et filiam, vel avum et neptem, matrem et filium, aviam et nepotem, et usque ad infinitum* ». Haec leguntur in *Inst. De nuptiis*, et cohaeret *l.* 33 ff. *De ritu nuptiarum*; quae S. Nicolaus I recipit et approbat.

Hinc minus probabilis videtur nonnullorum sententia (2), qui putant consanguinitatem, sicuti in linea transversa, ita etiam in linea recta dirimere usque ad quartum gradum

des facilités accordées aux unions consanguines par la loi religieuse. On comptait en 1848, dans le territoire de Jowa (États-Unis), 2-3 sourds-muets sur 10.000 blancs ; 212..... sur 10.000 esclaves ; c'est-à-dire que dans la population de couleur, dans laquelle l'esclavage facilite les unions consanguines, et même incestueuses, la proportion des sourds-muets était 91 fois plus élevée que dans la population blanche protégée par la loi civile, morale, et religieuse.

La surdi-mutité ne se produit pas toujours directement par les parents consanguins ; on la voit se manifester parfois indirectement dans les mariages croisés, dont l'un des conjoints était d'un mariage entre consanguins.

Les parents consanguins les mieux portants peuvent procréer des enfants sourds-muets : par contre des parents sourds-muets, mais non consanguins, ne produisent des enfants sourds-muets, que très exceptionnellement.

Le nombre des sourds-muets augmente d'une manière sensible dans les localités dans lesquelles il existe des obstacles naturels aux mariages croisés.

Ainsi la proportion des sourds-muets, qui est pour l'ensemble de la France de 6 sur 10.000 habitants, s'élève en Corse à 14, dans les Hautes-Alpes à 23 ».

(1) Schmalz. *IV, XIV, n.* 35. Reiff. *IV, XIV, n.* 25. Mansella *I, III, art. I.* Lehmkuhl *II, n.* 754. Giovine *I*, § 208. Feje *n.* 364.

(2) Sanchez *VII, LI, n.* 22. Pontius *VII, XXXI, n.* 6. Gonzalez *cap.* 5 *cit. tit. n.* 10. Fagn. *cap.* 9 *cit. tit. n.* 31.

Digitized by Google

inclusive, innixi *cap.* 8 *cit. tit.*, ubi impedimentum consanguinitatis restringitur ad quartum gradum non distinguendo inter lineam rectam et obliquam. At hoc caput intelligendum esse de linea tantum obliqua non est dubium, cum solum in ea ultra quartum gradum matrimonia contrahi contingat. Proinde haec opinio numquam difficultatem aliquam in praxi offeret, in qua profecto numquam agetur de matrimonio inter consanguineos in linea recta ultra quartum gradum distantes.

675. In primo gradu convenitur inter DD. matrimonium ipso jure naturali irritum esse, idest matrimonium inter patrem et filiam, matrem et filium (1). Hinc S. Ambrosius epist. *ad Paternum* dicit : « Connubium patris cum filia pugnare cum lege naturae in singulorum cordibus scripta ». S. Thomas *l. c.* rem ita explicat ; « Inordinatum est quod filia patri per matrimonium adjungatur in sociam causâ generandae prolis et educandae, quam oportet per omnia patri esse subjectam veluti ex eo procedentem : et ideo de lege naturali est ut pater et mater a matrimonio repellantur, et magis etiam mater quam pater ; quia magis reverentiae quae debetur parentibus derogatur, si filius matrem, quam si pater filiam ducit in uxorem, cum uxor viro aliqualiter debeat esse subjecta ». Accedit omnes gentes nedum excultas et civiles, sed etiam barbaras ab hoc matrimonio prorsus abhorrere illudque habere nullum : quod indicat ipsam naturam illud reprobare et irritare. Tandem *Gen. II*, 24 Deus praecipit : « *Quamobren relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae* ». Uti recte observat D. Thomas *l. c.* : id « non potest intelligi quantum ad cohabitationem, et sic oportet quod intelligatur quantum ad matrimonii conjunctionem ». Proinde Deus usque ab initio hoc matrimonium prohibuit, scilicet positive ursit prohibitionem naturalem.

676. Quoad alios gradus nonnulli putant eodem divino jure seu naturali seu positivo matrimonium irritum esse, ita ut Adam, si revivisceret, non posset cum nulla muliere nup-

(1) S. Thomas *in 4 dist.* 40, *q. un., a.* 3. Sanchez *VII, LI, n.* 7. Fagn. *in cap. ult. cit. tit. n.* 32. S. Alph. *VI, n.* 1029 cum communi.

Digitized by Google

tias inire (1). Alii jure tantum ecclesiastico cum S. Thoma *l. c. ad* 3um, ubi postquam dixisset conjugium parentum cum liberis esse secundum se indecens et repugnans naturali rationi, subjungit quoad alias personas decentiam vel indecentiam variare secundum consuetudinem et legem vel humanam vel divinam (2), licet ii AA. ultro concedant hoc matrimonium, praesertim in proximis gradibus, non levem indecentiam naturalem praeseferre. Alii tandem ad plures paucioresque gradus jus naturae extendunt (3). S. Alph. *VI, n.* 470 alteram sententiam aeque probabilem habet ac primam.

677. In linea *collaterali*, ut antiquiorem disciplinam praetermittamus, matrimonium ante Conc. Lat. IV erat nullum usque ad septimum gradum inclusive ex *can.* 7, et 19, *c.* 35, *q.* 3, et *can.* 2, *c.* 35, *q.* 5. Haec disciplina quae nobis rigidissima apparet, erat aptata conditionibus temporum. Nam praeter quam quod concreta ordinatio familiarum referebat imaginem vitae patriarchalis, etiam necessitas politica illum rigorem exigebat. Hostilitas enim erat non modo inter nationes ad invicem, sed etiam inter civitatem et civitatem, oppidum et oppidum. Ecclesia desiderans pacem et concordiam tulit legem, qua cives unius oppidi difficile possent contrahere matrimonium in loco domicilii sui, sed cogerentur contrahere in alio oppido aut civitate, nec tunc temporis dispensationes concedi consueverant (4).

Tandem Conc. Lat. IV sub Inn. III, cujus dispositio refertur *cap.* 8 *cit. tit.*, consanguinitatem et affinitatem deinceps dirimere decernit tantum usque ad quartum inclusive: « Prohibitio quoque copulae conjugalis quartum consanguinitatis et affinitatis gradum de caetero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari. Quaternarius vero numerus bene congruit prohibitioni conjugii cor-

(1) Pirhing *IV, XIV, n.* 9. Reiff. *IV, XIV, n.* 27 aliique apud Sanchez *VII, LI, n.* 12. De Angelis *IV, XIV, n.* 2.

(2) Sanchez *l. c. n.* 19. Pontius *VII, XXXI, n.* 6. Schmalz. *IV, XIV, n.* 31. Fagn. *in cap.* 9 *cit. tit. n.* 33 *sequ.*

(3) Schmalz. *l. c., n.* 30.

(4) Santi *IV, XIV, n.* 10. Feje *n.* 365. De Angelis *IV, XIV, n.* 8.

Digitized by Google

poralis..... quia quatuor sunt humores in corpore qui constant ex quatuor elementis ». Haec ratio irrideri non debet : nam non est ratio motiva, quae potius illis verbis continetur *quoniam in ulterioribus gradibus...*, sed exornativa tantum, referens theoriam physicam tunc temporis communiter receptam. Post hanc Conc. Lat. restrictionem Greg. IX in *cap.* 9 *cit. tit.* respondere potuit valere matrimonium inter virum, qui quarto, et mulierem, quae quinto gradu distat a stipite. Nostris temporibus non desunt AA. qui quarti quoque saltem gradus abrogationem optant ; quia, ajunt, jam non potest absque gravi dispendio haec prohibitio generaliter observari (1).

In Ecclesia autem Orientali, ex indulgentia et tolerantia Sedis Apostolicae, consanguinitas dirimit usque ad septimum inclusive gradum orientalis computationis, ita ut matrimonium in octavo gradu, qui integrat quartum juxta nostram computationem, valeat; imo Graeci asserunt septimum quoque gradum apud ipsos, idest quartum attingentem tertium computationis nostrae, nonnisi impedimentum impediens esse. Excipe Maronitas et Italo-Graecos, pro quibus viget disciplina Ecclesiae Occidentalis ; pro illis quidem ex Synodo Libanensi *an.* 1736 a Sede Apostolica in forma specifica confirmata, pro his vero ex Ben. XIV Const. *Etsi pastoralis* 26 *Maii* 1742 (2).

678. In primo gradu idest inter fratrem et sororem an matrimonium irritum sit jure quoque divino vel solo jure canonico, DD. inter se non conveniunt. Alii putant hoc matrimonium, licet non levem indecentiam naturalem redoleat, non esse nullum jure divino, sive naturali, quia exemplum est filiorum Adam qui sorores duxerunt, et Abraham qui Saram sororem Gen. *XX*, 12, sive positivo, quia Mosaïcum *Lev. XVIII* abrogatum est, et evangelicum nil cavet (3). Alii censent esse nullum jure quoque divino, non quidem naturali ob allatas rationes, sed positivo primigenio, a quo

(1) Feje *l. c. in nota.*

(2) Mansella *I, IV, I.* Feje *l. c.*

(3) Schmalz. *IV, XIV, n.* 46. qui citat 20 AA. pro hac sententia, inter quos S. Thomas 2, 2, *q.* 154, *a.* 9, *ad* 3um. et S. Bonav. 4 *dist.* 40, *a. un., q.* 2. His adde D'Annibale *III*, § 302, *not.* 15.

Digitized by Google

Deus dispensavit filios Adam ob humani generis propagationem ; ad exemplum autem Abraham respondent violenta interpretatione Saram fuisse illius neptem, non sororem (1). Tandem alii opinantur esse irritum ipso naturae jure, quia gentes civiles ab eo abhorrent, teste Aristotele *Polit. II, II,* et revera hoc matrimonium abnorme sensui morali est (2). Nos hanc quaestionem sub judice relinquimus, licet, attentis rationibus, prima sententia probabilior videatur.

In secundo autem, tertio et quarto gradu consanguinitas in linea transversa certe dirimit jure tantum ecclesiastico, ut patet ex facto Ecclesiae dispensantis.

679. Ex his quae huc usque diximus, apparet quid sentiendum de matrimoniis penes infideles in aliquo consanguinitatis gradu contractis, et de potestate Ecclesiae dispensandi in impedimento consanguinitatis.

1° Si una pars est fidelis et altera infidelis, matrimonium sine debita dispensatione ab impedimento non solum disparitatis cultus, sed etiam consanguinitatis subsistere nequit in gradu juxta canones prohibito ; nam pars fidelis lege Ecclesiae inhabilis est. At Ecclesia dispensans ab impedimento disparitatis cultus, eo ipso dispensare intelligitur etiam ab impedimento consanguinitatis, ut colligitur ex responsione S. C. S. Officii relata n. 701. Excipe omnes gradus lineae rectae et primum gradum lineae obliquae : cum enim Ecclesia in hisce gradibus numquam dispensare soleat ac velit, illa praesumptio est impossibilis ; ideoque matrimonium initum in aliquo istiusmodi gradu invalidum dicendum foret, non obstante obtenta dispensatione ab impedimento disparitatis cultus.

680. Si utraque pars est infidelis, matrimonium in primo gradu lineae rectae est certe nullum, ita ut si conjuges, favente divina gratia, ad fidem catholicam convertantur, separari debeant, et possint novas nuptias inire, cum et infideles jure divino teneantur.

E contrario matrimonium in secundo, tertio et quarto

(1) Marc *n.* 2019. De Angelis *IV, XIV, n.* 2. Santi *IV, XIV, n.* 13.
(2) Sanchez *VII, LII, n.* 11. Pirhing *IV, XIV, n.* 10. Reiff. *n.* 28, aliique plurimi apud Schmalz. *l. c. n.* 45. Gury *n.* 802.

Digitized by Google

gradu lineae transversae est certe validum, nisi lex civilis illud irritet, quia infideles constitutionibus canonicis non arctantur, et si conjuges baptismum recipiant « fideles hujusmodi matrimonialiter copulari libere possunt et licite remanere conjuncti, cum per sacramentum baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur », ut docet expresse Inn. III *cap.* 8, *De divortiis.*

Matrimonium in aliquo alio gradu lineae rectae post primum, dubium est an validum sit necne, praecisione facta a civili lege. Hinc applicandum principium : *In dubio standum est pro valore matrimonii*, ideoque conjuges nec debent nec possunt separari (1), nisi forte favor fidei aliud exposcat (n. 218)

Idem dicatur de matrimonio in primo gradu lineae transversae. Nonnulli affirmant praxim Ecclesiae esse hos conjuges (fratrem et sororem) conversos semper separandi, eisdemque novas nuptias permittendi (2). Si haec praxis vera foret etiam in casu quo hoc impedimentum lege civili latum non est, sane probaret illud matrimonium fuisse jure divino nullum, nisi dicere velis Ecclesiam per legem generalem in ipso conversionis momento suprema sua potestate illud solvere, si validum esset (3). At illa praxis gratuito affirmari videtur. Nam ex una parte nullum cognoscimus documentum S. C. de Prop. Fide vel S. C. S. Officii, quo insinuetur, et ex alia communiter AA. de ea silent, ac negativum argumentum ex cit. *cap.* 8, *De divortiis* peremptorium non est. Imo Sanchez *VII, LII, n.* 12 expresse docet : « Et sanum consilium existimo ubi aegre ferrent (infideles) separationem, amplectendam esse hanc partem (scilicet non esse separandos) et sic in pristino matrimonio relinquendos, ut vel sic suavius ac facilius ad fidem invitentur ». Et Verricelli *De Apostolicis Missionibus, tit. IV, qu.* 98, *dub.* 14 diserte tradit id servandum esse a missionariis : « Quare si gen-

(1) Sanchez *VII, LI, n.* 20.

(2) Lehmkuhl *II, n.* 756 : etiam Santi *IV, XIV, n.* 12 hanc separationem faciendam dicit argumento negativo deducto ex *cit. cap.* 8, *De divortiis.*

(3) Lehmkuhl *l. c.*

Digitized by Google

tilis ante baptismum contraxerit matrimonium cum sorore, in eo perseverare debet post baptismum » (1).

681. 2° Ecclesia certe dispensare nequit in primo gradu lineae rectae. Dubium est an dispensare valeat in aliis gradibus lineae rectae et in primo lineae obliquae ; ideo (n. 303) in his numquam dispensavit et numquam dispensatura est, et exempla, quae circumferuntur, sunt apocrypha (2). In aliis autem gradibus lineae obliquae certe dispensare potest. Equidem Conc. Trid. sess. *XXIV, cap. V de ref. mat.* statuit : « In secundo gradu numquam dispensetur nisi inter principes et ob publicam causam », ubi copulativa *et* vim habet disjunctivae, ita ut alterutrum sufficiat (3). Eadem fere difficultas est pro obtinenda dispensatione in primo et tertio, primo et quarto. At R. P., hoc Tridentino decreto non obstante, etiam cum personis privatis ob privatas sed justas causas in praefatis gradibus dispensare potest. Greg. XVI, epist. 22 *Nov.* 1836 præcipit Episcopum veritatem et gravitatem causae expendere debere, antequam dispensatio in secundo gradu petatur, et deinde oratores commendare. Schmalz. *IV, XIV, n.* 102 *sequ.* ita recenset causas, propter quas haec dispensatio personis non principibus conceditur :

« 1° Cum personis illustribus et valde nobilibus comitibus, baronibus praenobilibus dispensare Pontifex tantum solet, quando adest una ex sequentibus causis : 1° Conservatio familiae ne deficiat ; 2° Conservatio bonorum intra eamdem familiam ; 3° Excellentia insignium meritorum in Ecclesiam ; 4° Evitatio gravium scandalorum ; 5° Infamia mulieris nobilis ortae ex copula vel conversatione suspecta cum consanguineo ; 6° Defectus omnis dotis ; 7° Inimicitiae lethales ; 8° Matrimonium bona fide contractum, vel cum mala quidem si proles jam sit ex illo concepta ; 9° Causa generalis dicta *ex certis et rationabilibus causis*, ubi tamen solvenda est magna et extraordinaria taxa pecuniaria ; 10° Si ex aliis causis,

(1) Giovine *I*, § 209, *n.* 1.

(2) Giovine *I*, § 209, *n.* 4. De Lugo *Resp. Mor. dub.* 40. Sanchez *VII, LII, n.* 7. De dispensatione in primo gradu lineae obliquae confer S. C. C. in *Leodiensi Dispensationis matrimonialis*, 14 *Dec.* 1793.

(3) S. C. C. apud Fagn. *cap.* 6, *n.* 1, *cit. tit.*

Digitized by Google

quas a n. 102 retuli plures concurrant simul, quia *singula quae non prosunt, simul collecta juvant.* Arg. l. *instrumenta* 5 *Cod. De prob.....*

« 2° Cum opulentis, nec non cum praecipuis personis alicujus loci super eodem secundo consanguinitatis gradu dispensare subinde Pontifex solet : 1° Ob aetatem mulieris si alia adhuc causa concurrat ; 2° Propter inimicitias lethales ; 3° Ob defectum dotis, si patruelis eam velit dotare et ducere ; 4° Ob praecedentem copulam, ut sic famae et honori mulieris consulatur ; 5° Ob causam publicam cui taxa extraordinaria pecuniae a dispensatis solvenda est applicanda ; 6° Si plures causae ex levioribus supra recensitis concurrant...

« 3° Plebeiis et pauperibus in eodem secundo consanguinitatis gradu dispensatio datur a S. P. : 1° Ob matrimonium bona fide contractum, praesertim si jam ex illo concepta sit proles ; 2° Ob dotis defectum quem supplere vult patruelis, si foemina nuptias cum illo ineat ; 3° Si proles ex consanguinea per incestum concepta sit, vel saltem copula habita et patefacta : ob hanc enim causa passim conceditur dispensatio pro foro externo ut consanguinei in secundo gradu contrahere valeant, idque tum ob bonum prolis, tum ut oratores evadant periculum vitae, quam ultimam rationem addendam in supplicatione vult De Justis *dispens. lib.* 3, *cap.* 1, *n.* 116. Et hinc Corradus *c.* 3, *n.* 17 *cit.* monet in gradu secundo simplici et in primo ac secundo mixto ad contrahendum matrimonium non dispensari nisi raro et ubi gravia scandala et periculum mortis ex copula carnali forsan subsequuta vel illius suspicione oratoribus imminent ».

Hodie autem haec dispensatio in secundo simplici, et in primo et secundo mixto, sicuti in primo et tertio, primo et quarto conceditur etiam ob loci angustiam, ob bonum pacis, et ob aetatem oratricis etiam inter plebeios (1). Dispensatio vero in secundo et tertio, secundo et quarto, tertio simplici, tertio et quarto, quarto simplici facilius conceditur ob quamcumque canonicam causam.

682. Quamquam in primo, vel secundo, vel tertio, vel

(1) Feje *n.* 651 *sequ.* Bangen *II, pag.* 179 *sequ.*

Digitized by Google

quarto mixto cum quinto dispensatio necessaria non sit post Conc. Lat. IV, tamen in nonnullis dioecesibus consuetudo invaluit, ut Ordinarius ad instantiam sponsorum declaret nullum inter eos intercedere impedimentum ad removendas murmurationes et scandala pusillorum ignorantium jura. Formulam hujus declarationis habes penes Giovine *I*, § 205, *n.* 8 (1).

683. Contra illos qui in gradu prohibito contrahere sine dispensatione scienter audent, jure decretalium erat excommunicatio latae sententiae ex *Clem. un. cit. tit.* Insuper Clem. V *l. c.* confirmat poenas a jure civili latas, idest publicationem bonorum, exilium ac verberationem. Cum censura relata non sit in Const. *Apostolicae Sedis,* abrogata dici debet : aliis autem poenis non amplius locum esse quisque videt. Praeterea Conc. Trid. sess. *XXIV, cap. V de ref. mat.* prohibet ne dispensatio concedatur illis, qui intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere praesumpserint, praesertim si illud consummaverunt ; sed vide n. 359. Tandem si consanguinei matrimonium attentarunt, evadunt inhabiles ad contrahendum matrimonium cum aliis mulieribus ex *c.* 35, *q.* 2 *et* 3, *can.* 4 : « Qui propinquam sanguinis uxorem ducunt et separantur, non licebit eis, quamdiu utrique vivunt, alias uxores sibi in conjugio sociare, nisi ignorantia excusentur » (2). Et cohaerere dicitur stylus Datariae, juxta quem in dispensationibus matrimonialibus quae expediuntur pro iis incestuosis consanguineis ad attentatum matrimonium revalidandum, apponitur semper clausula : *Quod alter alteri supervivens perpetuo absque spe conjugii remaneat* (3). Hanc autem prohibitionem impedire tantum, non dirimere matrimonium palam est. Plures censent hanc inhabilitatem ipso jure non incurri saltem ex consuetudine contraria : unde, nisi Dataria illam clausulam apponens matrimonium vetuerit, liberum esse iis incestuosis consanguineis ad alia vota transire dicunb. Si autem

(1) Corradus *VII, V, n.* 6. De Justis *II, III, n.* 77.
(2) Ben. XIV in *Quaest. Can.* 183.
(3) Corrad. *VIII, III, n.* 60. Giovine *I,* § 196. Feje *n.* 369. Riganti in *Reg.* 49 *Cancell. Apost. n.* 104.

Digitized by Google

quaeras an, praeter casum attentati incestuosi matrimonii, simplex peccatum incestus cum propriis consanguineis hoc interdictum nuptias ineundi cum quacumque alia persona jure communi secumferat, respondemus affirmative, si copula incestuosa commissa fuit sub spe facilius impetrandi ab Apostolica Sede dispensationem ; secus DD. non convenire ; at, quidquid sit de jure communi, hanc poenam in utroque casu vel lege scripta vel consuetudine contraria sublatam esse (1).

2° *Affinitas* (2).

685. Affinitas est *propinquitas ex copula carnali orta inter virum et consanguineos mulieris, inter mulierem, et consanguineos viri.* Cum enim vir et mulier in carnali copula fiant *una caro*, jam consanguinei viri aliquam propinquitatem obtinent erga mulierem, consanguinei mulieris erga virum. « Si una caro fuerit (maritus et uxor), quomodo poterit aliquis eorum propinquus uni pertinere, nisi pertineat alteri » ait Greg. Papa in *can.* 1, *c.* 33, *q.* 10 in Decreto. Haec propinquitas appellata est *affinitas*, quia hac carnali copula una pars accedit *ad fines* cognationis alterius. Ad rem Modestinus *l.* 4, § 3 *ff. De grad. et affin.* : « Affines sunt viri et uxoris cognati dicti ex eo quod duae cognationes, quae diversae inter se sunt, *per nuptias* copulantur, et altera ad alterius cognationis finem accedit ; namque conjungendae *affinitatis causa fit ex nuptiis* » (3). Sacri canones usque

(1) Giraldi *I, sect.* 714. Thesaurus *I, v. incestus, limita IV.* De Angelis *IV, XIII, n.* 4. Sanchez *VII, XV,* 15. Coninch *dist.* 30, *n.* 25.

(2) Vide canonistas in tit. *De eo qui cognovit consanguineam uxoris suae vel sponsae XIII lib. IV Decret.* et tit. *De consanguinitate et affinitate XIV ejusd. lib. Decret.*

(3) Ex his Modestini verbis deduces hanc observationem. In jure Romano aderat profecto affinitas ; sed principium hujus affinitatis erant *justae nuptiae* sive consummatae, sive ratae tantum ; quod in recentioribus legislationibus receptum est, et etiam in communi loquendi usu nos dicimus *vitricum, privignum, socerum, generum* etc. praescindentes a matrimonii consummatione. E contrario principium affinitatis in jure canonico est copula carnalis seu matrimonialis seu extra-matrimonialis. Hinc si matrimonium non est consummatum, enascitur affinitas Romana, sed affinitas canonica ne intelligi quidem potest. E converso si vr extra matrimonium mulierem cognoscit, aut in concubinatu juris Romani. Tandem consummato matrimonio, enascitur affinitas tum Romana tum canonica.

Digitized by Google

ab antiquissimis temporibus pro affinitate eamdem normam sequuti sunt, quae vigebat pro impedimento consanguinitatis, cum qua intime connexa est affinitas (1).

686. Ad affinitatem contrahendam ea copula requiritur, qua vir et mulier fiunt una caro, quod est fundamentum affinitatis, ut ex dictis patet. Quandonam copula talis sit vide n. 965. Hinc contracta est affinitas, quoties conceptio ex coitu utcumque imperfecto sequuta est (2); item si vir membro virili vas mulieris penetravit, et rupto hymene semen in vaginam deposuit, sive et foemina seminaverit, quod omnes admittunt, sive non (3) contra S. Thomam 4, *dist.* 41, *q.* 1, *a.* 1, *q.* 4, *ad* 2um: « Vir et mulier efficiuntur in carnali copula una caro per commixtionem seminum : unde quantumcumque aliquis claustra pudoris invadat vel frangat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur ex hoc affinitas », quem et alii sequuntur (4). E contrario affinitas contracta non est, si hymen est intactum, aut vir non seminavit, aut verum semen non effudit, aut seminavit totaliter extra vas, aut semen ad vulvam tantum est appositum non ingrediens (5), et multo minus ex inefficaci nisu ad copulam, aut copula attentata vel sodomitica. Ex fecundatione artificiali oritur affinitas, sicuti consummatur matrimonium. In genere « in foro externo, ubi constat de coitu semper pronuntiandum est pro impedimento affinitatis contracto, et sic etiam judicandum in foro interno, quod praesumptioni fori externi conformari debet semper ac non constat hanc esse falsam ». S. Alph. *l. c.* Factum ipsius copulae in foro externo praesumitur, inito matrimonio, si conjuges una simul vel ad breve tempus cohabitaverunt, donec contrarium non probetur ; caeterum ad probandam affinitatem, si agitur de matrimonio contracto dissolvendo ob praece-

(1) Feje *n.* 375. Berardi *III, I, IV, IV.*

(2) Lehmkuhl *II, n.* 762.

(3) Pontius *IX, XXX, n.* 1. Sanchez *VII, LXIV, n.* 21. D'Annibale *I,* § 62, *not.* 12.

(4) Clericatus *XXXI, n.* 6. S. Alph. *VI, n.* 1075 pluribus citatis. Ballerini-Gury *II, n.* 811 putat rem dubiam esse ; hinc impedimentum dubium, ideoque nullum.

(5) Barbosa *De off. et pot. Ep. all. LI, n.* 171. Corradus *VII, I, n.* 18. P. Zaccharia S. *I, VI, III, n.* 695. Giovine *I,* § 299.

Digitized by Google

dens affinitatis impedimentum, argumenta afferri debent quae moralem certitudinem pariunt ex *cap.* 3, *et* 5 *cit. tit.*; et *cap.* 22, *et* 24, *De testibus*; si agitur de matrimonio impediendo, sufficit etiam levis probatio (n. 258) (1).

687. Caeterum affinitatem producit non solum copula licita seu conjugalis, sed etiam illicita seu extra-conjugalis fornicaria, adulterina incestuosa, sacrilega; nam quacumque copula vir et mulier fiunt una caro, dicente Apostolo 1° *Cor. VI,* 16: « *Qui adhaeret meretrici unum corpus cum illa efficitur* ». Imo ob eamdem rationem et copula cum muliere invita, ut deducitur ex *cap.* 6, *De eo qui cognovit.....* aut amente, ebria etc., non autem mortua.

Et quidem omnes fatentur affinitatem ex copula licita esse naturalem, seu oriri ab ipsa rerum natura, ideoque adesse etiam penes infideles. Affinitatem vero ex copula illicita gravissimi AA. censent esse potius legalem tantum seu lege Ecclesiae inductam, et ideo inter infideles non esse (2). Sed oppido falluntur: nam cum etiam ex copula illicita vir et mulier ex ipsa rerum natura fiant *una caro*, una pars *ad fines* cognationis alterius ex ipsa rerum natura accedat necesse est (3). Haec confirmantur ex responsione S. C. S. Officii 3 *Mart.* 1825 (n. 701). At ultro admittimus affinitatem ex copula licita fortiorem esse, quia adest non solum unio corporum, sed etiam maritalis societas (4).

Quamquam vero affinitas ex copula seu licita seu illicita sit naturalis, tamen exinde non sequitur utramque in omnibus gradibus matrimonium jure naturali irritare; nam aliud est affinitatem esse a natura, et aliud dirimere jure

(1) S. C. C. in *Ravennaten. Matrimonii* 25 *Aug.* 1721, *Surrentina Matrimonii* 17 *Dec.* 1740. *Pientina Matrimonii* 20 *Mart.* 1734, *Asculana Matrimonii* 4 *Julii* 1768, *Balneoregiensi Impedimenti* 16 *Jun.* 1770, *Mellevitana Nullitatis matrimonii* 27 *Apr.* 1822.

(2) Sanchez *VII, l.XV, n.* 9. Pontius *VII, XXX, n.* 4. De Lugo *Resp. Mor. I, dub.* 40, *n.* 20 aliique. Ballerini-Gury *II, n.* 813 etiam in hoc casu censet rem dubiam esse.

(3) Schmalz. *IV,XI V, n.* 90. S. Thomas 4, *dist.* 41, *q.* 1, *a.* 1, *quaestione* 3. D'Annibale *III*, § 302, *not.* 17. Giovine *I*, § 298, *n.* 2. Fagn. in *cap. Per tuas De probat. n.* 12. Maschat *IV, XIV.*

(4) Ballerini-Gury *l. c.* De Lugo *l. c. n.* 29 S. Thomas *l. c. quaestiunc.* 4, *ad* 2um.

Digitized by Google

naturae, quod insuper patet exemplo consanguinitatis. Sed de hoc fusius infra.

688. Igitur posita copula, de qua supra, vir est affinis consanguineis mulieris et viceversa, etiam post alterius partis mortem, ut traditur expresse in *c.* 1, *c.* 35, *q.* 10 in Decreto ; nam una caro factus cum muliere vir accessit *ad fines* cognationis ejus, et non est ratio qua haec relatio cesset morte mulieris (1). Hinc est affinitas etiam inter virum et consanguineam mulieris natam post ejus mortem, ac viceversa (2). At ipsi copulati non sunt affines inter se. Item consanguinei viri proprie loquendo non sunt affines consanguineis mulieris, et viceversa, quia *affinitas non egreditur copulatos* ex *cap.* 8, *De consang. et affin.* Hinc e. g. si Titius duxit et cognovit Semproniam, Maevius frater viri non est affinis Cajae sorori mulieris, nec Franciscus filius aut pater viri est affinis Lucretiae filiae aut matri mulieris. Dixi *proprie loquendo*, quia aliqua propinquitas seu relatio personarum, ideoque affinitas lato sensu adest inter consanguineos viri et consanguineos mulieris, sed haec affinitas non attenditur, quia impedimentum matrimoniale non constituit. Tandem nec affines mulieris fiunt unquam proprio sensu affines viro, et viceversa, quia *affinitas non parit affinitatem* ex cit. *cap.* 8, *De cons. et aff.* Haec in Conc. Lat. IV, cujus dispositio refertur in cit. *cap.* 8, *De cons. et affin.*, statuta fuere.

689. Ante Conc. Lat. IV triplex genus affinitatis distinguebatur ; quod ita explicat Berardi *III, I, IV, IV:* « Ajebant ipsi (Latini ante Concilium Lateranense IV) : uxor fratris mei est mihi consanguineisque meis affinis ; quod facile

(1) Sanchez *VII, LXIV, n.* 2 cum S. Thoma 4 *dist.* 41, *q. un., art.* 1, *q.* 2. Jure Romano, solutis justis nuptiis, dissolvebatur etiam affinitas *Inst. I, X, n.* 6 *sequ.*, sed nihilominus effectum impediendi matrimonium adhuc producebat.

(2) E contrario *l. c. Inst. n.* 9 legitur : « Si uxor tua post divortium ex alio filiam procreaverit, *haec non est quidem privigna tua* ; sed Julianus hujusmodi nuptiis abstineri debere ait... » Cum enim principium Romanae affinitatis sit matrimonium et non copula carnalis, cumque haec filia nata sit post solutum divortio matrimonium, affinitas non censebatur enasci. Et ita etiam plures moderni civilistae. Demolombe *Du mariage, et de la séparation de corps, n.* 144.

Digitized by Google

intelligebant, quia uxor fratris una caro facta cum fratre, necessitudinem habebat cum consanguineis ejusdem fratris : hoc autem primum affinitatis genus vocabant. Prosequebantur et ajebant : quod si, mortuo fratre meo, uxor ejus alteri nuberet, hic secundus ejusdem maritus dicendus quoque est mihi consanguineisque meis affinis, quasi secundus maritus una caro factus cum uxore fratris mei, una quodammodo caro sit cum fratre meo ; atque hoc secundum affinitatis genus appellabant. Denique ajebant : quod si, eadem uxore mortua, secundus ille maritus uxorem duceret, uxor haec postremo ducta mihi meisque consanguineis affinis est, et quasi et ista una caro facta cum secundo marito, diceretur una caro facta non tantum cum uxore fratris mei, sed et cum fratre meo, atque hoc tertium affinitatis genus dicebant, constituta regula generali juxta quam copula copulae superveniens affinitatis genera multiplicaret ». Hinc primum genus una dumtaxat media persona, alterum duabus, tertium tribus mediis personis contrahebatur (1). Haec omnia patent ex *can.* 3 *et* 35 *quaest.* 3 in Decreto. Unde affinitas pariebat affinitatem. Praeterea ante Conc. Lat. soboles ex secundis nuptiis suscepta erat affinis consanguineis primi viri aut mulieris. Ita e. g. Titius duxit et cognovit Semproniam ; Cajus frater Titii erat affinis Semproniae. Mortuo Titio, Sempronia nupsit Maevio, a quo filiam habuit Lucretiam ; Cajus erat affinis Lucretiae. Id patet ex *cap.* 1 *De sobole ex secundis nuptiis suscepta* in prima collectione Decretalium. Unde affinitas in hoc casu egrediebatur copulatos. Inn. III in Conc. Lat. de medio sustulit alterum et tertium genus affinitatis, statuit sobolem ex secundis nuptiis non esse affinem consanguineis primi viri aut mulieris, et tandem impedimentum affinitatis in primo genere restrinxit ad quartum gradum inclusive : de qua re postea. Unde post Inn. III illa duo principia, quae affinitatem regunt, invaluerunt.

690. Sicut in consanguinitate, ita et in affinitate distingui solet *stipes*, *linea*, *gradus*. Stipes sunt ipsi copulati (*una caro*). Consanguinei mulieris in linea recta seu ascendentali

(1) Ben. XIV *De Syn. IX, XIII, n.* 2. Glossa in *cap.* 8, *De cons. et aff. v. in secundo et tertio.*

Digitized by Google

seu descendentali sunt affines viro in linea recta seu ascendentali seu descendentali, et viceversa ; consanguinei mulieris in linea obliqua sunt affines viro in linea obliqua, et viceversa. Eodem vero gradu consanguineus mulieris est affinis viro, quo est consanguineus mulieris, et viceversa ; et ideo de modo computandi gradus affinitatis repete quae diximus n. 664. Ita pater, avus, proavus, abavus viri est affinis mulieri in primo, secundo, tertio, quarto gradu lineae rectae ascendentalis ; filius, nepos, pronepos, abnepos viri est affinis mulieri in primo, secundo, tertio, quarto gradu lineae rectae descendentalis. Frater viri nepos, pronepos, abnepos est affinis mulieri in primo, secundo, tertio, quarto gradu lineae collateralis tangente primum juxta canonicam computationem, et in secundo, tertio, quarto, quinto juxta computationem civilem.

691. Affines nonnulli, si de affinitate ex copula licita sermo sit, varia sortiuntur nomina. Ea indicamus lingua Latina 1° ; Italica 2° ; Gallica 3°.

A. In linea recta ascendentali ex parte viri erga mulierem.

*I*us *Gradus.* Socer (pater viri), Socrus (mater viri) 1° ; Suocero, Suocera 2° ; Beau-père, Belle-mère 3°.

Nurus (uxor filii) 1° ; Nuora 2° ; Bru, Belle-fille 3°.

*II*us *Gradus.* Prosocer (avus viri), Prosocrus (avia viri) 1° ; Avolo per affinità, Avola per affinità 2° ; Aïeul par affinité, Aïeule par affinité.

Pronurus (uxor neptis) 1° ; Pronuora 2° ; Femme du petit-fils 3°.

B. In linea recta ascendentali ex parte mulieris erga virum.

*I*us *Gradus.* Socer (pater uxoris), Socrus (mater uxoris) 1° ; Suocero, Suocera 2° ; Beau-père, Belle-mère 3°.

Gener (maritus filiae) 1° ; Genero 2° ; Gendre 3°.

*II*us *Gradus.* Prosocer (avus uxoris), Prosocrus (avia uxoris) 1° ; Avolo per affinità, Avola per affinità 2° ; Aïeul par affinité, Aïeule par affinité 3°.

Progener (maritus neptis) 1° ; Progenero 2° ; Mari de la petite-fille 3°.

Digitized by Google

C. In linea recta descendentali ex parte viri erga mulierem.

I^us *Gradus.* Privignus, Privigna (filius, filia mariti ex primo matrimonio) 1°; Figliastro, Figliastra 2°; Beau-fils, Belle-fille 3°.

Noverca (uxor patris) 1°; Madrigna 2°; Belle-mère 3°.

D. In linea recta descendentali ex parte mulieris erga virum.

I^us *Gradus.* Privignus, Privigna (filius filia uxoris ex primo matrimonio) 1°; Figliastro, Figliastra 2°; Beau-fils, Belle-fille 3°.

Vitricus (maritus matris) 1°; Padrigno 2°; Beau-père 3°.

E. In linea collaterali.

I^us *Gradus.* Levir (frater mariti pro uxore, frater uxoris pro marito), Glos (soror mariti pro uxore, soror uxoris pro marito); Fratria (uxor fratris pro fratre aut sorore), Sororius (maritus sororis pro fratre aut sorore) 1°; Cognato, Cognata 2°; Beau-frère, Belle-sœur 3°.

692. Haec affinitas multiplex esse potest ex quadruplici capite. 1° Si copula habita fuit cum pluribus ejusdem personae consanguineis. E. g. Titius cognovit Semproniam, deinde Maeviam sororem Semproniae; erit dupliciter affinis Cajae earumdem sorori. 2° Si habita fuit ab utraque parte cum persona alterius consanguinea. E. g. Titius cognovit Semproniam; hinc est affinis Maeviae: sed deinde Maevia rem habet cum Francisco fratre Titii; Titius erit rursus affinis Maeviae; ideoque dupliciter affinis; et item Franciscus Semproniae. 3° Si habita fuit cum persona alteri conjuncta multiplici consanguinitatis vinculo. E. g. Sempronia est dupliciter consanguinea Maeviae: Titius rem habens cum Sempronia erit dupliciter affinis Maeviae. 4° Si cum persona comparti consanguinea habita fuit copula tum licita tum illicita. E. g. Titius cognovit Semproniam, cum qua deinde contraxit et consummavit matrimonium: erit Maeviae sorori dupliciter affinis ex copula illicita et licita. Praeterea multiplicatur affinitas, si plures ex hisce causis concurrunt. Proinde alias diximus has omnes multiplicitates, excepta multiplicitate in quarto casu, exprimendas esse in instantia

Digitized by Google

pro dispensatione (n. 356, 357). Ex repetitione copulae cum eadem persona affinitas non multiplicatur.

693. Tandem aliquando concurrere potest una simul consanguinitas et affinitas, si nempe copula habita fuit cum persona consanguinea. E. g. Titius cognovit Semproniam consanguineam; Maevia soror, quae erat Titio consanguinea, jam est et affinis. Huc usque de affinitate in se spectata.

694. Modo videamus de impedimento matrimoniali quod gignit affinitas. Cum enim vir et mulier copula carnali facti sint una caro, matrimonium inter virum et consanguineam mulieris, et viceversa, aliqua redolet indecentia, et scandalum populo parit, magis si affinitas est ex copula licita, minus si ex copula illicita, magis in linea recta et propinquioribus gradibus, minus in linea obliqua et gradibus remotioribus. His rationibus, ad instar impedimenti consanguinitatis, innititur affinitatis impedimentum, quod nunc exponimus.

695. Affinitas *ex copula licita* antiquo jure dirimebat in linea recta probabilius in infinitum, quia, ut inter consanguineos, ita etiam inter affines lineae rectae nuptiae jure civili prohibitae erant in infinitum ex *l.* 14 § *Nunc videamus ff. De ritu nuptiarum* et *l.* 4, § 7 *ff. De gradibus et affinibus*. Haec autem juris civilis constitutio non invenitur correcta per jus canonicum; imo juxta sacros canones affinitas pari gressu sequi solet consanguinitatem (1). In linea autem obliqua affinitas dirimebat usque ad septimum gradum inclusive ex *can.* 1, 7, 13 *caus.* 35, *q.* 3 (2). Et quidem tunc temporis affinitas dirimebat in triplici genere, et etiam inter sobolem ex secundis nuptiis et consanguineos primi viri aut mulieris (n. 689).

Conc. Lat. IV in *cit. cap.* 8, *De cons. et aff.* in primis haec duo penitus suppressit: « Cum ergo prohibitiones de conjugio in secundo et tertio affinitatis genere minime contrahendo, et de sobole suscepta ex secundis nuptiis cogna-

(1) Schmalz. *IV, XIV n.* 109. Feje *n.* 375. Scavini *III, n.* 869.

(2) Jure Romano affinitas in linea collaterali non fuit impedimentum matrimoniale: filii Constantini an. 355 primi in Occidente prohibuerunt nuptias inter fratrem et viduam fratris demortui, inter sororem et viduum sororis demortuae in *l.* 2 *C. Th. De incestis nuptiis.*

Digitized by Google

tioni viri non copulando prioris et difficultatem frequenter inducant, et aliquando periculum pariant animarum, cum cessante prohibitione cesset effectus, constitutiones super hoc editas sacri approbatione Concilii revocantes, praesenti constitutione decernimus ut contrahentes de caetero libere copulentur ». Deinde impedimentum dirimens affinitatis in primo genere limitavit ad quartum gradum inclusive (n. 677). Verius est hanc limitationem non respicere lineam rectam, sed tantum obliquam (1), ideoque etiam post Conc. Lat. affinitas ex copula licita in linea recta dirimit in infinitum. Caeterum in praxi numquam erit casus matrimonii inter affines ultra quartum gradum lineae rectae.

Conc. Trid. in impedimento affinitatis ex copula licita nil innovavit.

696. Post haec decreta Conc. Lat. licitum et validum evasit matrimonium inter vitricum et uxorem privigni demortui contra *l.* 15 *ff. De ritu nuptiarum*. De hac re egit S. C. C. *die* 8 *Martii* 1721, dum Secretarii munere fungebatur Prosper Lambertinus. Species haec erat. Titius duxit Semproniam, quae ex praecedenti matrimonio habebat filium Cajum, qui duxit Maeviam. Mortua Sempronia ac Cajo, cum Titius vellet Maeviam ducere, quaesitum fuit a S. C. C. an aliquod obstaret affinitatis vel honestatis publicae impedimentum. S. C. jussit ut quatuor theologi opinionem suam darent, et tres opinati sunt nullum esse in casu impedimentum, unus vero censuit adesse impedimentum affinitatis. S. C. tandem reposuit: « Ad Secretarium juxta mentem, scilicet quod non impediatur matrimonium ». Revera in casu non est impedimentum publicae honestatis, quia hoc impedimentum est inter sponsum (sive de futuro sive de praesenti) et consanguineas sponsae: atqui Maevia non est consanguinea Semproniae. Nec est impedimentum affinitatis: nam Titius est affinis Cajo in primo genere, sed Maeviae est affinis in altero genere, quia Maevia non est consanguinea Semproniae sed tantum affinis: atqui affinitas secundi generis post Conc. Lat. nuptias non amplius di-

(1) Schmalz. *l. c.* cum pluribus aliis.

Digitized by Google

rimit. Proinde ante Conc. Lat. tale matrimonium in casu fuisset irritum, sed modo validum est. Hinc Ben. XIV *De Syn. IX, XIII, n.* 4 reprehendit synodalem quamdam constitutionem quae hoc conjugium nullum declaraverat.

Eodem jure valere dicendum est matrimonium inter novercam et maritum privignae demortuae contra cit. *l.* 15, *De ritu nuptiarum*; inter vitrici viduam, quam in altero matrimonio duxerat, et privignum ex primo matrimonio, et viceversa inter novercae viduum et privignam.

697. Disputant DD. quo jure haec affinitas ex copula licita dirimat in primo gradu lineae rectae. Nonnulli putant dirimere jure naturae (1), innixi (praeter alia auctoritatis argumenta) rationi, quia nempe privigna respectu vitrici, privignus respectu novercae, nurus respectu soceri, gener respectu socrus filiorum loco apud omnes gentes bene institutas sunt § 7, *Inst. De nuptiis*, et *l.* 16 *ff. Solut. matr.*, et multo magis sequuta copula ex *can.* 15, *c.* 35, *q.* 2 *et* 3, ubi S. Aug. ait: « Si vir et uxor non duo sed una caro sunt, non aliter est nurus deputanda quam filia ». Alii communius et probabilius censent dirimere solo jure ecclesiastico (2). Pro sua sententia afferunt etiam auctoritatem nonnullorum conciliorum particularium, quae magno in honore sunt. Ita concilium Agathense *an.* 506, *can.* 8, *c.* 35, *q.* 2, et Epanuense *can.* 30, statuunt non esse dissolvenda matrimonia cum privigna inita ante prohibitionem ab ipsis conciliis latam, ut textus illos DD. explicant, et concilium Aurelianense II, *can.* 10 tradit conjugia in infidelitate contracta cum uxore patris et cum filia uxoris post susceptum baptisma solvenda non esse. Haec decreta saltem probant primam sententiam certam non esse, et ita matrimonium sustinetur saltem ex principio: *In dubio standum est pro valore matrimonii.* Quod magis est, Riganti *l. c. n.* 22 refert Card. De Lugo consultum ab Urb. VIII circa dispensationem petitam a

(1) Bellarminus *De matr. II, XVIII, not.* 2. Reiff. *IV, XIV, n.* 49. Pirhing *n.* 32 aliique plures apud Riganti *Reg.* 49, *Cancell. Apost., n.* 18.

(2) Giovine *I*, § 305. Ben. XIV *De Syn. IX, XIII.* Riganti *l. c. n.* 20. Sanchez *VII, LXVI, n.* 7. Pontius *VII, XXXIV, n.* 5. Gonzales in *cap.* 1, *De cons. et aff., n.* 9. De Justis *II, VII, n.* 54. Schmalz. *IV, XIV, n.* 103.

Digitized by Google

Mantuae Duce super impedimento primi gradus affinitatis lineae rectae respondisse, posse quidem hujusmodi dispensationem a R. P. concedi, sed non expedire ob maximam illius conjunctionis turpitudinem, de qua re infra, et hanc sententiam sequutam esse S. C. Inqu. 14 *Febr.* 1727. Addunt rationem in contrarium allatam hoc unum probare, conjugium inter taliter affines non levem praeseferre naturalem turpitudinem et indecentiam ac magnum populo scandalum, non autem jure naturae irritum esse.

In secundo autem et ulterioribus gradibus lineae rectae certum est affinitatem ex copula licita dirimere solo jure ecclesiastico, cum Ecclesia quandoque dispenset.

Pariter in linea obliqua etiam in primo gradu haec affinitas dirimit jure tantum canonico. Quamquam enim conjugium inter virum et fratriam, mulierem et sororium indecens ac turpe merito habeatur, tamen non ideo jure naturae irritum dici debet; nam R. P. interdum dispensat. Celebre est in historia ecclesiastica exemplum hujus dispensationis cum Henrico VIII Angliae Rege. Cum enim Julius II dispensasset cum Henrico VIII ut duceret Catharinam, quae fuerat Arturi fratris uxor, Henricus deinde, ut ad alia vota transiret, asseruit suum cum Catharina conjugium jure naturae irritum fuisse ob affinitatem in primo gradu, a qua R. P. dispensare non potuit. Clem. VIII, consultis hac de re celebrioribus universitatibus et accuratissima adhibita deliberatione, Apostolicis literis declaravit validam ac licitam fuisse dispensationem, hinc validum ac licitum conjugium Henrici cum Catharina. Alia exempla dispensationum concessarum recenset Riganti *l. c. n.* 33 *sequ.* subdens: « An vero expediat quod hujusmodi concedantur dispensationes super primo affinitatis gradu in linea transversali, ex eo pendet an causae, quae pro iis obtinendis exponuntur, tales sint, quod praeponderent turpitudini hujusmodi conjugii; solent enim nonnullae catholicae nationes similes nuptias execrari, inter quas natio praesertim Polona ».

698. Affinitas ex *copula illicita* in linea recta jure antiquo probabilius dirimebat in infinitum; linea obliqua dirimebat usque ad septimum gradum, quia jure canonico

Digitized by Google

affinitas ex copula illicita oritur eamdemque vim habet, nisi aliud constet, sicut affinitas ex copula licita (1).

Conc. Lat. in *cit. cap.* 8, *De cons. et affin.* impedimentum affinitatis in genere tum ex licita tum ex illicita copula (2) restrinxit ad quartum gradum inclusive, sed probabilius est, ut alias diximus, hanc restrictionem non afficere nisi lineam obliquam.

Tandem Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. IV de ref. mat.* impedimentum limitavit ad secundum gradum inclusive: « Praeterea S. Synodus eisdem et aliis gravissimis de causis adducta impedimentum, quod propter affinitatem *ex fornicatione* contractum inducitur et matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui primo et secundo gradu conjunguntur, restringit; in ulterioribus vero gradibus statuit hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere ». AA. passim vel supponunt vel expresse tradunt hanc etiam ulteriorem limitationem non afficere nisi lineam obliquam (3): sed in praxi casus matrimonii in tertio gradu lineae rectae vix occurret. S. Pius V in motu proprio *ad Romanum* 28 *Nov.* 1566 declaravit in ulterioribus gradibus hanc affinitatem nec impedire matrimonium, ita ut nuptiae in tertio et quarto gradu deinceps et validae et licitae sint.

Cum vero Tridentinum decretum corrigat jus existens, verbum *ex fornicatione* stricto sensu intelligi debet. Haud dubium est Concilium ea voce comprehendere voluisse illicitum concubitum cujuscumque speciei nempe fornicationem, adulterium, incestum, sacrilegium (4). An comprehendere voluerit etiam matrimonium invalidum consummatum, non convenitur inter DD. Quaestio huc redire debet, an copula habita in hoc matrimonio sit in stricto sensu *fornicatio* vel *fornicaria*, quod in variis casibus est examinandum. Si matrimonium est putativum pro communitate et pro

(1) Sanchez *VII, LXVII, n.* 3. Schmalz. *IV, XIV, n.* 107. Scavini *III, n.* 869.

(2) Sanchez *l. c. n.* 4. Schmalz. *l. c.*

(3) Feje *n.* 375. Scavini *l. c.* Schmalz. *l. c., n.* 106 *sequ.*

(4) Feje *l. c.* Sanchez *VII, LXVII, n.* 6. Giovine *I,* § 301, *n.* 3 cum communi.

Digitized by Google

utraque parte, nemo dicet copulam esse fornicariam in stricto sensu ; unde affinitas dirimet usque ad quartum. Confirmatur ex responsione S. C. C. in *Brixiensi Matrimonii* 3 *Dec.* 1667. Nam matrimonium consummatum fuerat declaratum irritum ob impedimentum consanguinitatis, et viro ducere cupienti uxoris consanguineam in tertio gradu, S. C. reposuit non posse, *obstante impedimento tum publicae honestatis tum affinitatis* (1). Idem repetas, etsi una pars fuerit in mala fide dignoscens impedimentum ; nam copula non est stricto sensu fornicaria pro altera parte et pro communitate. Huc referri potest responsio S. C. C. in *Valentina Dispensationis* 15 *Apr.* 1752. Nam Joseph, tacens impedimentum ligaminis, matrimonium cum Maria contraxit et consummavit, quod nullum postea declaratum fuit. Deinde Maria nubere volebat Francisco, qui erat Josepho consanguineus in secundo et tertio gradu ; et posito dubio : « An Franciscus et Maria possint absque dispensatione Apostolica invicem matrimonium contrahere in casu » S. C. reposuit *negative et amplius*. Si matrimonium est putativum pro communitate, sed utraque pars illud inivit et consummavit in mala fide, casus est difficilior ; sed nobis videtur neque haec copula dici posse stricto sensu fornicaria, quia non est fornicaria pro communitate, ideoque dirimere usque ad quartum. At, disputantibus hinc inde DD., si agitur de matrimonio incundo in ultimis duobus gradibus, vel impedimentum in ultimis duobus gradibus haberi poterit uti dubium ideoque nullum, vel consulatur S. Sedes ; si vero agitur de matrimonio contracto, standum est pro ejusdem valore, donec S. Sedes aliud non declaraverit. Tandem si matrimonium nec pro communitate putativum est, et insuper partes illud iniverunt et consummaverunt mala fide, videtur esse purus putusque concubinatus et ideo affinitatem dirimere usque ad secundum. Id verificatur in matrimonio, ut ajunt, civili in locis ubi viget decretum *Tametsi* (2) ; nam : « Esset *verus concubinarius* qui vi tantum civilis actus in matrimonio persistere praesumeret ». S. Poenitentia-

(1) Pignatelli *IV, XV, n.* 1. Giovine *l. c. n.* 6.
(2) Santi *IV, XIV, n.* 24.

Digitized by Google

ria in instructione diei 15 *Jan.* 1866 (1). Non desunt AA. qui putant affinitatem ex eo enascentem dirimere usque ad quartum, quia licet solum civile matrimonium sit verus concubinatus, habet tamen matrimonii speciem, et praeterea in eo non verificatur ratio propter quam Conc. Trid. hanc limitationem induxit, nempe quia impedimentum ex fornicatione latere solet (2). At negamus in casu esse matrimonii speciem (n. 240); insuper hoc genere interpretationis ex mente legislatoris cum mica salis utendum est, et exinde sequeretur etiam concubinatum publicum extra civilem actum dirimere usque ad quartum: quod nemo dicet. Caeterum cum prima opinio ad minus probabilis vere et certe sit, impedimentum in ultimis duobus gradibus saltem ex principio reflexo non est urgendum (3).

699. Affinitas ex copula illicita in utraque linea etiam in primo gradu matrimonium solo jure canonico dirimit, cum Ecclesia aliquando dispensare soleat. Revera in hoc casu matrimonium non eam praesefert publicam indecentiam ac proinde publicum scandalum, quae ex conjugio inter affines ex legitima copula oriri consueverunt. Siquidem privignus, privigna, gener et nurus, donec conjugium perduravit, habuerunt novercam, vitricum, socerum loco parentum: e contrario eum, qui fornicatus fuerit e. g. cum quadam vidua, istius filii numquam loco patris habuerunt. Haec est vera

(1) Vide etiam responsionem S. C. S. Officii relatam n. 480.

(2) De Angelis *IV, IX, n.* 11.

(3) Antiquo canonico jure affinitas ex copula illicita *occulta* non videtur induxisse impedimentum dirimens. Nam. Alex. III in *cap. 4, De eo qui cognovit consanguineam* in prima collectione rescribit: « De illo qui mulierem quamdam cognovit et filiam ejusdem sibi postea in matrimonium copulavit, cui jam per decennium cohabitavit, tuae prudentiae respondemus, quod *si delictum ejus, sicut nobis significasti, occultum existit, poenitentia sibi condigna debet imponi, nec est ab uxore, quae tanti sceleris inscia est, separandus*; si autem id publicum et notorium esse dignoscitur, ab uxore separari debet, et perpetuo sine spe conjugii permanere ». Huic decretali innixa antiqua civilis jurisprudentia Gallica impedimentum dirimens affinitatis ex copula illicita occulta non agnoscebat (Pothier *Traité du contrat de mariage, pag.* 215). At haec distinctio inter affinitatem ex copula illicita occulta, et affinitatem ex copula illicita notoria deinde cessavit quoad impedimentum, citata decretalis Alex. III inter decretales Greg. IX relata non fuit, et hodie certissimum est etiam ex copula illicita occulta impedimentum dirimens affinitatis oriri.

Digitized by Google

ratio, quare RR. PP. in affinitate, de qua hic sermo est, interdum dispensarunt, numquam vero in ea quae ex legitimis nuptiis inducitur (1).

700. Ex hactenus disputatis apparet quid dicendum de matrimonio contracto penes infideles in aliquo affinitatis gradu, praecisione facta a lege civili irritante. Nam inter *duos infideles* in primo gradu lineae rectae affinitatis ex licita copula, idest inter vitricum et privignam, novercam et privignum, socerum et nurum, socrum et generum, dubium est an matrimonium valeat necne, licet probabilius sit valere. Proinde si isti conjuges infideles ad fidem convertuntur, separari non debent, et non potest eis permitti ad alia vota transire ; in dubio enim standum est pro valore matrimonii (n. 217). Praeter hunc casum matrimonium certo valet, quia certum est affinitatem non dirimere nisi ex jure ecclesiastico, quod non afficit infideles. Inter *infidelem et fidelem* affines matrimonium subsistere non posse ob affinitatis impedimentum, praeter impedimentum disparitatis cultus, palam est : nam fidelis lege Ecclesiae inhabilis est. At Ecclesia dispensans ab impedimento disparitatis cultus, eo ipso censetur quoque dispensare ab affinitatis impedimento, excepta affinitate in primo gradu lineae rectae ex copula licita, in qua Ecclesia numquam dispensat, ut mox dicemus, ideoque illa praesumptio est impossibilis. Tandem si affines infideles baptismum recipiant, et deinde velint matrimonium inire, non possunt amplius, obstante impedimento affinitatis : affinitas enim naturaliter orta, quae ante baptismum legibus Ecclesiae non suberat, jam post baptismum subest, ideoque dirimat necesse est.

701. Haec confirmat responsio S. C. S. Officii ad Archiep. Quebecensem 3 *Mart.* 1825. Hic plura dubia proposuerat :

« Dubium 2um. Paulus viduus Christianus Balbinam infidelem duxit in uxorem, quae in numerum Christianorum cooptari cupit, ut cum ipso matrimonium Christiano more contrahat. Interim Demetrius Pauli filius, ex priori uxore

(1) Sanchez *VII, LXVI, n.* 3. Giovine *I,* § 307. Schmalz. *IV, XIV, n.* 100. De Lugo *Resp. Mor. I, XL, n.* 29. Reiff. *IV, XIV, n.* 5. Pirhing *IV, XIV, n.* 33.

Digitized by Google

proveniens, declarat se rem habuisse cum Balbina. Quaeritur an ex hujusmodi copula cum muliere infideli resultet impedimentum affinitatis in primo gradu.

« R. Duo sunt distinguenda. 1° Vel Paulus duxit in uxorem Balbinam infidelem praevia dispensatione Apostolica super cultus disparitate, vel absque Apostolica dispensatione. 2° Vel Demetrius rem habuit cum Balbina antequam Paulus eam sibi acciperet in uxorem, vel post. Si, praevia Apostolica dispensatione, Paulus Balbinam duxit, etiamsi praecessisset Demetrii copula cum eadem Balbina, jam pro valido habendum est matrimonium. Quippe impedimentum affinitatis praesertim ex copula illicita, ut in casu, cum non habeatur ut juris divini aut naturalis, sed tantum ecclesiastici, infideles ex mente Ecclesiae non afficit, quia Ecclesiae non subditos, et Ecclesia dispensando cum parte catholica super disparitate cultus, ut cum infideli contrahat, dispensare intelligitur ab iis etiam impedimentis, a quibus exempta est pars infidelis, ut inde hujus exemptio propter contractus individuitatem communicata remaneat et alteri. Fit inde consequens hujusmodi matrimonium iterari non posse post Balbinae conversionem ad fidem ; semel enim validum semper in sua validitate perseverat: neque infirmatur per subsequentem copulam, quam Demetrius cum Balbina habuisset, quia non inde solveretur vinculum conjugale, quod est indissolubile. In hoc ergo primo casu animadvertant missionarii, ne hujusmodi conjuges Christiano more contrahere postulantes admittant ad novam consensus praestationem, imo eos admoneant de validitate praecedentis matrimonii, ut sciant per sacras nuptialis benedictionis caeremonias non novum se inire matrimonium, sed tantummodo quod jam inierant firmumque consistit, sanctificari.

« Contrarium autem dicendum est in altero casu, si nempe Paulus contraxit cum Balbina absque dispensatione Apostolica super disparitate cultus. Tunc enim, cum nullum et irritum fuerit matrimonium ac si contractum non fuisset, et ipsa Balbina post baptismum impedimento ligaretur affinitatis. Nec refert quod Balbina, cum carnaliter cognita fuerit a Demetrio, adhuc in infidelitate versaretur,

Digitized by Google

atque idcirco ecclesiastico non subjiceretur impedimento. Distingui namque debet affinitas in se ac physice spectata ab impedimento affinitatis. Porro affinitas etiam ab infidelibus contrahitur, quia etiam inter infideles verum est quod vir et mulier per carnalem copulam una caro efficiantur. Itaque ut habetur *can. Fraternitatis*, *caus.* 35, *qu.* 10: *Si una caro fuerit, quomodo poterit aliquis eorum propinquus uni pertinere, nisi pertineat alteri*? Igitur Paulus pater pertinet ad Demetrium; filius pertinere dicendus est et ad Balbinam, ac Balbina, quia una caro effecta cum Demetrio, pertinere Paulo. Id tantum est discriminis quod affinitas ecclesiasticum non parit infidelibus impedimentum, fidelibus autem parit. Quapropter cum per baptismum non tollatur a Balbina ejus jam physice contracta cum Paulo affinitas, haec ipsa affinitas radicaliter in ea inhaerens, quae eidem infideli impedimentum non erat ad contrahendum matrimonium, evadit post baptismum, quo subdita fit Ecclesiae ejusque proinde legibus subjecta, impedimentum utique in primo gradu et quidem in linea recta, quia in tali se linea et gradu contingunt Paulus pater et Demetrius filius, et affinitatis gradus ex gradibus desumuntur consanguinitatis ».

702. Accedit responsio S. C. de Prop. Fide 23 *Aug.* 1852, quae alios etiam casus respicit. Proposita fuere S. C. dubia sequentia: « 1° Vir fidelis qui adhuc in infidelitate positus cognovit sive publice sive private, illicite tamen, mulierem quamdam sive fidelem sive infidelem, potestne post susceptum baptisma, valide et licite matrimonium contrahere cum consanguinea ejusdem cognitae mulieris, si ista consanguinea baptismum susceperit sive ante sive post copulam, de qua agitur? 2° Et quatenus affirmative (de quo valde dubitandum), idem infidelis ad fidem conversus, post mortem legitimae uxoris infidelis, possetne matrimonium contrahere cum consanguinea usque ad quartum gradum inclusive ejusdem defunctae uxoris, sive ista consanguinea baptismum susceperit ante, sive post mortem praedictae uxoris infidelis? » S. C. reposuit ad 1um et 2um negative.

703. Tandem quoad dispensationem in impedimento af-

Digitized by Google

finitatis, *in primo gradu lineae rectae affinitatis ex copula licita* Ecclesia numquam dispensat et requisita respondet: *Ecclesia super hoc impedimento non dispensat* (1). Ad rem Giovine *I*, § 306 : « Certissimum est Pontifices, etsi pluries rogati, ab dispensatione concedenda super primo gradu lineae rectae affinitatis ex connubiali copula se abstinuisse, prout testatur Ben. XIV in *Syn. Dioec. IX, XIII, n.* 4. Et concordat S. C. C. dum in causa *Leodiensi Matrimonii* habita die 28 *Maii* 1796... haec habet: *Obstat sane hujusmodi dispensationi in primo gradu affinitatis lineae rectae quod centies a S. Pontifice implorata toties ab ipso de voto etiam S. Inquisitionis fuit denegata, licet a magnis principibus petita et copula inter affines intercessisset.* Quamobrem ad propositum dubium: *An et quomodo sit consulendum Ssmo pro dispensatione super impedimento prioris gradus affinitatis lineae rectae in casu*, respondit negative ». Ratio est sive quia extra controversiam non est hoc impedimentum esse juris ecclesiastici tantum, sive quia omnes fatentur hoc matrimonium magnam praeseferre indecentiam (n. 697) ; ac ideo, licet Ecclesia juxta probabiliorem sententiam posset ex gravissimis causis dispensare, tamen hac potestate numquam usa est, utitur, et usura est.

Imo *neque in aliis gradibus lineae rectae affinitatis ex copula licita* concedi solet dispensatio, teste Avanzini *Acta S. Sedis II, pag.* 127. Caeterum casus raro occurrit.

In gradibus lineae obliquae affinitatis ex copula licita, non excepto primo, Ecclesia aliquando dispensat. Equidem decretum Tridentinum *sess. XXIV, cap. V de ref. mat.* etiam de hac affinitate intelligendum est, ut declaravit S. Pius V (2), sed hoc decretum manus Pontificis non ligat (n. 681). Difficile autem haec dispensatio conceditur si nubere velit fratri defuncti viri vidua, praesertim si ex viro defuncto prolem habuit (n. 359) (3). Caeterum etiam pro hac

(1) Santi *IV, XIV, n.*27. S. C. C. in *Leodiensi Matrimonii* 28 *Maii* 1796. Lege *animadversiones Secretarii in Gadicensi Dispensationis* 25 *Sept.* 1762. Confer etiam quae diximus n. 697.

(2) Giovine *I*, § 308. Sanchez *VIII, XIX, n.* 3. Ben. XIV *Quaest. Can.* 317. Folium S. C. C. in *Olomucenis Dispensationis* 25 *Febr.* 1711.

(3) S. C. C. hanc dispensationem negandam esse censuit, licet proles

Digitized by Google

dispensatione servanda sunt quae statuit Greg. XVI in cit. encycl. 22 *Maii* 1836 (cit. n. 681). Et quoniam vinculum affinitatis est minus forte prae vinculo consanguinitatis, hinc in genere haec dispensatio conceditur ob illas causas ob quas datur dispensatio in eodem gradu consanguinitatis, et etiam paulo minores sufficiunt.

In primo gradu lineae rectae affinitatis ex copula illicita, si impedimentum est publicum, raro dispensatur a S. Dataria vel a S. Poenitentiaria pro pauperibus. Requiritur causa publica et urgentissima, nec sufficit allegare infamiam mulieris ex copula propalata exurgentem, et gravia scandala, nisi dispensetur, sed addi debet utrique oratori etiam imminere vitae periculum. Cum divitibus autem dispensatio conceditur ex illis causis ob quas dispensari solet in secundo consanguinitatis gradu (cit. n. 681) (1). Sed in genere dispensatio difficilius conceditur, si complex in peccato adhuc vivit (n. 359). Praeterea si concubinaria conjunctio, ex qua affinitas orta est, putatur legitima, dispensationi adjicitur conditio, quod prius adhibeantur opportuna remedia, ne falso ea existimetur data in primo gradu lineae rectae ex copula licita (2). Quod si impedimentum est occultum, S. Poenitentiaria facile dispensat et dispensandi indultum concedit (3).

Tandem *in secundo et ulterioribus gradibus lineae rectae et in omnibus gradibus lineae obliquae affinitatis ex copula illicita* dispensatio tum a S. Dataria tum a S. Poenitentiaria conceditur ex quacumque causa canonica.

704. Si, obtenta dispensatione in affinitate, ante ejusdem

abesset, et matrimonii consummatio extra dubium non esset, in *Leodiensi Dispensationis* 10 *Maii* 1755, *Pinnensi Dispensationis* 29 *Maii* 1756, et altera *Leodiensi Dispensationis* 22 *Maii* 1762, *Constantiensi Dispensationis* 23 *Apr.* 1768, *Acheruntina Dispensationis* 16 *Jun.* 1770, *Uritana Dispensationis* 7 *Julii* 1777, *Niciensi Dispensationis* 27 *Junii* 1778. E contrario censuit hanc dispensationem esse concedendam in *Cavensi* 17 *Nov.* 1629, et *Gadicensi Dispensationis* 12 *Jun.* et 25 *Sept.* 1762.

(1) Reiff. *IV, App. n.* 128. De Justis *III, I, n.* 116. Riganti *l. c., n.* 28. Schmalz. *IV, XVI, n.* 142.

(2) Giovine *l. c.*

(3) Clausulam, quae dispensationi apponitur, ad evitandum periculum matrimonii inter patrem et filiam vide n. 384.

Digitized by Google

fulminationem copula inter easdem personas habita rursus fuit, non est petenda nova dispensatio, et executor eam fulminare utique potest. Ratio est, quia cum litterae Apostolicae nondum fuerint executioni demandatae, cumque in casu posterior copula cum priori unum idemque constituat impedimentum, hoc ea dispensatione removetur (1). Quid vero si copula ante matrimonium post dispensationis fulminationem inter easdem personas rursus intercessit? Plures censent novam petendam esse dispensationem quia impedimentum affinitatis rursus exurgit (2). S. Alph. *l. c.* putat dispensationem jam fulminatam *probabilius* sufficere (3), citans etiam Corradum qui affert expressam declarationem S. C., et referens responsionem S. Poenitentiariae 21 *Sept.* 1752, quae tamen rem extra dubium non ponit, cum loquatur *de obtenta dispensatione*, non autem de dispensatione obtenta et fulminata. Sed, stante hac controversia, videtur impedimentum ex principio reflexo haberi posse uti nullum ; vel in casu practico rursus recurratur pro dispensatione ad cautelam, si agitur de matrimonio ineundo ; si vero de inito, standum est pro ejus valore, donec S. Sedes aliud non declaraverit. Diximus autem *inter easdem personas*, quia si, obtenta dispensatione, sive ante sive post ejusdem fulminationem orator rem habuit cum alia muliere sponsae consanguinea, vel oratrix cum alio viro sponsi consanguineo, certum est novam dispensationem esse petendam, cum distinctum numero impedimentum exurgat (n. 692).

II

Cognationes legales.

1°. — *Justitia publicae honestatis.*

705. Est « *propinquitas ex sponsalibus* (seu de futuro, seu de praesenti) *proveniens, robur trahens ab Ecclesiae institutione propter ejus honestatem.* Ex quo patet ratio

(1) Sanchez *VIII, XXIV, n.* 8. Schmalz. *IV, XVI, n.* 203. S. Alph. *VI, n.* 1140 cum communi.

(2) Sanchez *l. c.* Schmalz. *l. c.* Giovine *l. c. n.* 7. Feje *n.* 707 *in fine.*

(3) Gury *II, n.* 871 qui hanc sententiam appellat *communem contra alios.* Lehmkuhl *II, n.* 813 *probabiliter.*

Digitized by Google

nominis et causa, quia scilicet talis propinquitas ab Ecclesia instituta est propter honestatem » S. Thomas *in 4 dist. 41, q. 1, a. 1, quaestiunc. 4*. Nimirum licet sponsus citra copulam carnalem cum sponsa, inspecta natura, non sit propinquus consanguineis sponsae, neque sponsa consanguineis sponsi, tamen matrimonium inter sponsum et consanguineam sponsae, sponsam et consanguineum sponsi in societate honestis moribus informata habetur minus decens et decorum, et praeterea possibilitas hujusmodi nuptiarum periculum praebet incontinentiae inter sponsum et consanguineas sponsae, et viceversa, ob reciprocam familiarum consuetudinem. Proinde, deficiente canonica affinitate, Ecclesia statuit eas personas matrimonium inter se inire non posse *cap. 3, 4, 8, De sponsalibus..., cap. un. ejusd. tit. in 6°, cap. 4, De desp. imp., cap. un. ejusd. tit. in 6°*, et hoc impedimentum dictum est *justitiae publicae honestatis*, vel *publicae honestatis* veluti ab honestate publica requisitum.

Sanchez *VII, LXV, n.* 6 cum aliis (1) admittit propinquitatem ex sponsalibus vel matrimonio nullo esse ab Ecclesiae institutione, sed propinquitatem ex matrimonio rato censet esse naturalem, quia exinde nascitur quoddam amicitiae naturale vinculum. Sed immerito (2): nam natura suadet quidem hanc amicitiam, sed ea pendet ex circumstantiis ac hominum voluntate, et non raro videmus odium amicitiae locum tenere. Caeterum aeque oritur amicitiae vinculum ex matrimonio nullo ob latens aliquod impedimentum, ac ex matrimonio rato. Tandem nostram sententiam extra dubium ponit responsio S. C. S. Officii, quam n. 732 referimus.

706. Hujus impedimenti vestigia in ipso jure Romano reperiuntur, licet non eodem nomine, cum juxta illud in nuptiis non solum spectandum sit quid liceat, sed etiam quid honestum videatur ex *l. 42 ff. De ritu nuptiarum.*

(1) Giovine *I*, § 283, *n.* 3, aliique apud ipsum. Feje *n.* 408. Vecchiotti *III*, § 102 *in fine*.

(2) D'Annibale *III*, § 304, *not.* 33. Berardi *Jus. Ecc. tom. III, diss. IV, cap. IV.*

Digitized by Google

Nimirum jure Romano aderat *affinitas* ex justis nuptiis seu consummatis seu ratis tantum dirimens inter affines matrimonium in omni gradu lineae rectae, et tandem etiam in secundo gradu (computatione civili) lineae obliquae (n. 685, 695 in nota). Praeterea aderat *quasi-affinitas*, quae ad honestos mores tutandos, supplens affinitatem proprie dictam, nuptias dirimebat 1° inter virum et filiam uxoris natam ex alio post solutum divortio conjugium, aut viceversa (n. 688 in nota), et etiam, ut putamus, inter viduam fratris demortui et fratrem natum post illius mortem, aut viceversa; 2° inter sponsam patris et filium, sponsam filii et patrem, matrem sponsae et sponsum ex *l.* 12 § 1 *et* 2, *l.* 14 *ff. cit. tit.*; 3° tandem inter affines ex concubinatu et ex contubernio *l.* 14 *cit. tit. l.* 7 *D. De grad. et affin.* Ecclesia, hanc legislationem imitans, cum immutavisset affinitatis principium (cit. n. 685), statuit propter bonos mores societatis, deficiente affinitate, impedimentum publicae honestatis pro casu matrimonii rati tantum et sponsalium.

Praecisa origo hujus impedimenti nos latet: forte sensim sine sensu introductum est ex consuetudine ad normam civilis juris in honestis populi moribus fundata. Equidem in Decreto sunt *c.* 11, 14 *et* 15, *c.* 2, *q.* 2 qui remotam antiquitatem indicarent, sed ii canones apocryphi sunt; imo tempore *can.* 18 *l. c.*, pariter apocryphi, hoc impedimentum nondum videtur inductum inter sponsum et sororem sponsae defunctae. Berardi *tom. III, diss. II, cap. III* putat originem hujus conjugalis impedimenti non procul a Gratianeo saeculo repetendam; sed certe falsum est illud fuisse primum a Bonif. VIII excogitatum, prouti Henricus Bruwerus apud Devoti *II, I,* § 138 affirmat.

707. Ut hoc impedimentum declaremus, in primis advertimus illud enasci inter *sponsum* et *consanguineas sponsae* etiam illegitimas utriusque lineae, ac viceversa. Nonnulli censent huic impedimento locum non esse, si consanguinea nata est post soluta sponsalia (seu de futuro seu de praesenti); e. g. Titius fecit cum Sempronia sponsalia, quibus solutis, nata est Maevia soror Semproniae: nam ve-

Digitized by Google

rum est Maeviam numquam fuisse sororem *sponsae* (1). Id autem non omnibus arridet (2). At certe hoc impedimentum non afficit *affines* (3), ut nonnulli falso putavere. Ratio est, quia textus citati loquuntur de consanguineis, et cum inducentes novum impedimentum strictae subsint interpretationi, ad affines extendi non possunt. Hinc est impedimentum publicae honestatis inter Titium et Sempronium sororem suae sponsae, quia Sempronia est sponsae consanguinea, non autem inter Titium et Bertham uxorem fratris suae sponsae, quia Bertha est sponsae affinis.

708. « Tota hujusce impedimenti indoles et ratio consistit in externa decentia (ab opinione magis quam a veritate procedente), ob quam haud convenire censetur ut quis matrimonium cum consanguinea ejus contrahat, cujus maritus fuisse dicitur et reputatur. Quod evidenter tradit Alex. III *in cap.* 3, *De sponsalibus....*, ubi impedimentum justitiae publicae honestatis definitur ortum fuisse ex matrimonio inter juvenem et puellam septennio minorem *propter honestatem Ecclesiae, quia ejus conjux fuisse dicitur*. Hinc S. Thomas in *suppl. ad* 3 *p. qu.* 55, *art.* 4 causam hujusce impedimenti in eo esse docet: *Quia scilicet talis propinquitas ab Ecclesia instituta est propter honestatem* ». Et Sanchez *VII, LXXVII, n.* 14 tradit: *Hujusmodi impedimentum est institutum ob publicam honestatem et ad vitandum scandalum*. Pitonius vero in *Disc. eccl.* 52, *n.* 96 innixus auctoritati praedicti textus, atque adhaerens sententiae Fagnani in cap. *Audientiam, n.* 21, *De sponsalibus.....* Alexandri de Nevo *n.* 9, Butrii *n.* 10, Abbatis *n.* 7 subdit: *Ratio vero inducendi impedimenti publicae honestatis justitiae, qua juris canonici conditores moti fuerunt, consistit in externa et apparenti decentia, juxta quam inter fideles non videtur convenire ut illius uxor ea esse dicatur, quae fuit sponsa consanguinei, et e contra* ». Ita Secretarius S. C. C. *die* 13 *Martii* 1879 in suo *Discursu*

(1) Lehmkuhl *II, n.* 765, in nota et apud eumdem Veber.
(2) Feje *n.* 386.
(3) Sanchez *VII, LXVIII, n.* 3; *LXX, n.* 17. Feje *n.* 385. D'Annibale *III,* § 304. Vecchiotti *III,* § 102.

Digitized by Google

habito occasione dubii : *An actus, qui vulgo audit matrimonium civile, pariat impedimentum justitiae publicae honestatis.* Fagnanus in *comm. cit. cap. Ad audientiam n.* 7, *De sponsalibus...* haec habet : « Quippe in inducendo impedimento justitiae sacri canones magis respexerunt ad factum quam ad jus : oritur enim publica honestas ex communi existimatione, quia inhonestum est ut quis habeat sponsam consanguinei sui in uxorem ; » quod rursus repetit *cit. n.* 21 et confirmat ex relatis verbis *cap.* 3, *De sponsalibus...*

709. Praeterea hoc impedimentum tale est ut semel enatum, solutis quoque sponsalibus et matrimonio, semper perseveret. Omnes admittunt permanere impedimentum ex sponsalibus ortum post eorum solutionem ex morte, professione religiosa, susceptione ordinum, fornicatione, vel alia justa causa (1). At plurimum disputaverunt DD. circa sponsalia mutuo consensu dissoluta ; quam quaestionem diremit S. C. C. 6 *Julii* 1658, probante sub die 10 *ejusd. mensis* Alex. VII, declarans impedimentum perdurare. Idem quoque dicatur de impedimento orto ex matrimonio rato, quod deinde solvitur professione solemni religiosa, aut dispensatione R. P. ; nam si matrimonium nullum illud producit, ut infra declaramus, a fortiori matrimonium validum, licet deinde legitime solutum.

710. Ex dictis jam satis apparet impedimentum publicae honestatis enasci ex sponsalibus tum de futuro tum de praesenti, idest matrimonio non consummato. Utrumque autem fusiori indiget declaratione (2).

711. 1° Impedimentum publicae honestatis oriri ex sponsalibus *de futuro* patet ex omnibus citatis juribus (n. 705), sed praesertim ex *cap. un. De sponsalibus in* 6°, ubi Bonif. VIII haec habet : « Ex sponsalibus puris et certis, etiamsi consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, religionis, aut quavis alia ratione sint nulla, dummodo non sint nulla ex defectu consensus, oritur efficax ad impediendum et dirimendum sequentia sponsalia vel matrimonia, non autem ad

(1) Schmalz. *IV, 1, n.* 112. *Can.* 11, *caus.* 27, *qu.* 2 in Decreto.
(2) Folium S. C. C. in *Dubio matrimonii*, 21 *Nov.* 1722.

Digitized by Google

praecedentia dissolvendum, impedimentum justitiae publicae honestatis. Quare ille qui sponsalia pure ac determinate cum aliqua muliere contraxit, et postmodum cum secunda prioris consanguinea idem fecit, ex priorum sponsalium vigore (quibus per publicae honestatis justitiam ex secundis sponsalibus subsecutam minime derogatur), ad contrahendum matrimonium cum prima remanet obligatus. Ille vero qui sponsalia cum aliqua muliere sub conditione contraxit, si postmodum ante conditionis eventum cum alia prioris consanguinea per verba contraxerit de praesenti, cum secunda remanere debebit; cum ex sponsalibus conditionalibus ante conditionem extantem, sicuti consensum non habentibus et incertis, nulla publicae honestatis justitia oriatur ».

Proinde jure Decretalium hoc impedimentum producebant sponsalia etiam nulla praeter quam ex defectu consensus ; producebant, inquam, usque ad quartum gradum inclusive, quia consanguinei, quos canones nominant, erant usque ad quartum gradum inclusive post *cap.* 8, *De consanguin. et affin.*

712. Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. III de ref. mat.* duas huic juri communi correctiones attulit: « Justitiae publicae honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, S. Synodus prorsus tollit ; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari ». Hinc jure Tridentino, quo utimur, hoc impedimentum oritur tantum ex sponsalibus validis, licet deinde legitime solutis, et dirimit tantum usque ad primum gradum ; ita ut matrimonium nullum tantum sit inter sponsum et matrem, filiam, sororem sponsae, inter sponsam et patrem, filium, fratrem sponsi. Praeter has duas correctiones viget adhuc jus decretalium.

713. Ex dictis apparet sponsalia *nulla* non parere hoc impedimentum, etsi nulla sint defectu *mere interno* e. g. simulatione consensus : nam ipse Bonif. VIII statuerat hoc impedimentum non oriri ex sponsalibus nullis ex defectu consensus, quod Conc. Trid. extendit ad sponsalia nulla ex

Digitized by Google

quacumque ratione (1). Proinde in casu, hac nullitate non probata, impedimentum pro foro externo haberetur tamquam existens, sed reipsa non adesset, ita ut matrimonium foret in foro externo nullum, in foro conscientiae validum. Sanchez *VII, LXVIII, n.* 14 (2) nulla ratione id sibi persuadere potest, et putat impedimentum ex his sponsalibus reipsa enasci, quia hoc impedimentum introductum est ob publicam honestatem et ad vitandum scandalum, et cum haec ratio in his sponsalibus plane verificetur, dicendus est legislator eadem comprehendere sua lege voluisse. Respondetur legislatorem propter favorem libertatis matrimonii a sua lege exemisse sponsalia quacumque ratione nulla, etsi aliunde ratio legis militaret. Saltem stante hac controversia, impedimentum ex principio reflexo tamquam nullum haberi debet: sed in difficultatibus ob oppositionem inter forum internum et forum externum confessarius recurrat ad S. Poenitentiariam. Eadem repetantur, si sponsalia nulla sunt ex alio quocumque defectu occulto e. g. voto castitatis, religionis... Etiam sponsalia incerta et indeterminata hoc impedimentum non producere ex relatis verbis Bonif. VIII aperte deducitur: sane non sunt sponsalia (n. 4).

714. Sponsalia ante utriusque partis pubertatem esse ipso naturali jure nulla defectu debitae discretionis ideoque defectu consensus, nisi probetur prudentiam praevenisse aetatem, diximus n. 17 non leves rationes suadere. Si hanc doctrinam admittere velis, attenta regula: *Sponsalia nulla defectu consensus non producunt impedimentum publicae honestatis*, sequeretur jure decretalium hoc impedimentum ex sponsalibus inter impuberes aut inter puberem et impuberem non oriri: quod tamen falsum est. Proinde, admissa illa doctrina, dicendum est exceptionem illi regulae factam fuisse; nec mirum cum simus in materia positiva. Voluit enim Ecclesia sponsalia ante usum rationis in utraque parte, idest ut plurimum ante septennium completum, hoc

(1) Schmalz. *IV, I, n.* 105 cum pluribus aliis inibi citatis. Giovine *I*, § 285, *n.* 10. S. Alph. *VI, n.* 1062. Salm. *n.* 82. Feje *n.* 390.

(2) Sanchesio adhaerent Pontius *VII, XXXV, n.* 10. Gonzalez in *cap.* 4, *De sponsalibus... n.* 7. Layman *IV, X, p.* 4, *c.* 9, *n.* 2.

Digitized by Google

impedimentum non parere, bene vero postea ex *cap.* 4, 5, 13, *De desp. impub.*, et *cap. un. ejusd. tit. in* 6°. Sed si revera sponsalia ante utriusque partis pubertatem nulla sunt, dubitari merito potest an hujusmodi exceptio vigeat adhuc post Conc. Trid. *l. c.* tollens hoc impedimentum ubi sponsalia *quacumque ratione* valida non erunt. Quod si constet in aliquo casu particulari prudentiam praevenisse aetatem, sponsalia valida sunt, ideoque hoc impedimentum certe producunt.

715. Quoad sponsalia *valida* quaestio maximi momenti est an hoc impedimentum oriatur ex sponsalibus validis sed occultis. Nonnulli negant (1), quorum doctrinam refert eique subscribit Secretarius S. C. C. in *cit. Discursu*; et citatur etiam S. C. C. sed sine die et anno. Ben. XIV *Inst. Ecc.* 87, n. 7 docet S. Datariam contendere nullum prorsus impedimentum in foro conscientiae provenire ex illis sponsalibus, quae clam inita fuerant, citans Corradum et Zerola... Ratio est quia hoc impedimentum latum est propter externam publicam honestatem, quae in casu deficit. Si haec sententia saltem vera et certa probabilitate gauderet, invocari posset principium reflexum ad impedimentum excludendum.

Alii communius affirmant (2), quia sponsalia occulta nullibi excipiuntur : aliunde publica honestas est ratio legis, sed lex generalis urget, etsi in casu particulari ratio legis deficiat. De Angelis *l. c.* haec habet : « Quamvis non desint DD., quos citat Pitonius *Disc. Ecc.* 52, *n.* 96, qui contrarium tueantur, tamen praxis Romana aliud omnino tenet et haec est ipsis praeferenda, sicuti in omnibus aliis quaestionibus decidendis a cordato interprete juris canonici retineri debet, quia haec est tuta interpres sensus canonum. Proba-

(1) Cucch. *lib.* 5, *instit.*, *tit.* 10, *n.* 52. Gaet. *in repetit. cap. Ad limina* 30, *q.* 1, § 4 *quaesit.* 203, *n.* 403. *Navarr. Cons.* 18 *in fine.* Sanchez *VII, LXVIII, n.* 16. Pitonius *Discept. Ecc.* 52, *n.* 98 *sequ.* Guttier *De matrim. cap.* 103, *n.* 10.

(2) De Angelis *IV, IV, n.* 7. Santi *IV, IV,* n. 29. Feje *n.* 391. Schmalz. *IV, I, n.* 106. Lehmkuhl *II, n.* 765. D'Annibale *III,* § 304. Ben. XIV *l. c.* dicens id sentire *AA. fere unanimes* et hanc esse *communem sapientium virorum opinionem.*

Digitized by Google

tur autem id ex eo quod inter facultates concessas S. Poenitentiariae officio vivae vocis oraculo a Pio VI mense Martio 1793 Petro Paracciani S. Poenitentiariae Regenti sub *n.* 14 haec legantur: *Dispensandi pro fidelibus super impedimento justitiae publicae honestatis proveniente ex occultis sponsalibus praecedenter initis sive cum matre, aut cum filia, aut cum sorore sponsae, sive e contrario cum patre, aut cum filio, vel cum fratre sponsi, tam pro matrimoniis contractis, quam pro matrimoniis ineundis, dummodo impedimentum praefatum sit omnino occultum, et dummodo dum agitur de matrimoniis ineundis, sponsalia antea, ut praefertur, inita fuerint mutuo consensu rescissa* (1). Qua facultate S. Poenitentiaria semper usa est eaque utitur. Cohaerenter ad haec, cum S. Poenitentiariae propositum esset sequens dubium : *Duo juvenes liberi Capuani clandestine iniverunt sponsalia de futuro; dehinc sponsus solemnia sponsalia contraxit cum sorore germana primae sponsae : quaerit Episcopus a S. Poenitentiaria definitivum consilium, utrum videlicet ex clandestinis sponsalibus contractum sit impedimentum publicae honestatis?* S. Poenitentiaria sub *die* 10 *Sept.* 1834 respondit *affirmative* ». Santi pariter canonista et tandem Regens ejusdem S. Poenitentiariae *l. c.* similia habet eidem sacri Tribunalis auctoritati innixus.

Sed, quod gravius est, his addi debet sequens formalis declaratio S. C. S. Officii data ad Archiep. Quebecensem 11 *Aug.* 1852, quam omnes praecitati AA. ignorarunt. Archiepiscopus exponebat :

« In dioecesi Quebecensi non vigent ecclesiastica sponsalia. At Rituale diocesis enumerando diversa dirimentia impedimenta de publica honestate sic effatur : *Honestas est impedimentum quod oritur ex publica promissione v. g. inter Petrum et Mariam, cujus tenore dictus Petrus prohibetur ne matrimonium contrahat cum matre, sorore, vel filia dictae Mariae.* Sed, attentis illius Ritualis verbis quae ad publicam promissionem referuntur, plu-

(1) Ben. XIV *l. c.* pariter tribuit S. Poenitentiariae hanc potestatem, eamque demonstrat ex oraculo vivae vocis Inn. XII.

Digitized by Google

rimi negant tale impedimentum oriri posse ex promissione inter solutum et solutam facta privatim, licet libere et serio, sed sine teste vel scripto. E contrario inter alios et doctissimos theologos maximum existit dubium de certa existentia impedimenti dirimentis in casu secretae promissionis supra relatae. Hoc dubio permoti praedecessores Episcopi usum tenuerunt, sicut et ego nunc teneo, ad cautelam in talibus casibus dispensandi. Igitur permultum desideratur responsio a S. Sede expressa, vigore cujus cessabit dubium, v. g. si declaretur impedimentum publicae honestatis oriri etiam ex secreta promissione, vel si contra declaretur illud impedimentum produci non posse nisi per publicam promissionem factam coram duobus testibus, vel coram notario, vel per instrumentum promittentium manu subscriptum, vel tandem per proclamationes duorum bannorum vel unius banni. Haec posterior elucidatio, si S. Sedes benigne ratam habere voluerit, obstabit quominus plurima in posterum invalide contrahantur matrimonia, cum saepe ignoretur alterutrius contrahentium secreta matrimonialis promissio prius inita cum affinibus (1) in primo gradu, et tunc dispensatio ad cautelam de hoc impedimento haberi nequit.

« Quaeritur itaque utrum impedimentum publicae honestatis oriatur ex clandestina promissione futuri matrimonii? Insuper mihi pergratum faciet S. Sedes, si pro dioecesi indultum voluerit concedere, quo valida declarentur matrimonia usque nunc cum tali impedimento contracta absque dispensatione.

« Resp. Affirmative. Ad supplicationem vero pro sanandis matrimoniis cum impedimento publicae honestatis forsan contractis, supplicandum esse Ssmo pro sanatione in radice, et ad mentem. Mens est ut curet Archiepiscopus orator, correcto prius Rituali suae dioecesis, gregem suum docere prudentiori modo sibi beneviso de valore sponsalium, quacumque forma contrahantur, nec non de impedimento dirimenti justitiae publicae honestatis, quod sponsalia valida producunt ».

(1) Intellige : *cum consanguineis.*

Digitized by Google

Quamquam prima sententia intrinsece spectata nobis verior apparuisset, tamen post hanc formalem declarationem S. C. S. Officii nulla videtur ei superesse probabilitas.

716. Quoad sponsalia *dubia*, insistendo doctrinae, quam n. 254 sequ. exposuimus, distinguendum est. Si sponsalia dubia sunt dubio *facti*, e. g. vir affirmat sponsalia inita fuisse, mulier negat, impedimentum publicae honestatis oritur si sponsalia revera contracta fuerunt; secus non oritur. Si sponsalia dubia sunt dubio *juris*, sive hoc dubium respiciat potius ipsam sponsalium existentiam, an e. g. una parte promittente et altera acceptante sine repromissione sint sponsalia, sive respiciat valorem sponsalium, an e. g. sponsalia inter raptorem et raptam, vel sub metu levi dante causam contractui inita..... sint valida, hoc impedimentum non producitur, dummodo sententia *contra* sponsalia sit vere et certe probabilis, licet sententia pro sponsalibus sit probabilior.

717. Tandem sponsalia *conditionata* hoc impedimentum producunt quando, extante conditione, pura et absoluta evaserunt. Hinc ex sponsalibus conditionatis conditione de praeterito vel de praesenti impedimentum statim oritur, si conditio revera existit, non oritur, si conditio non existit; ex sponsalibus conditionatis conditione de futuro necessario vel impossibili, statim oritur; ex sponsalibus conditionatis conditione de futuro contingenti turpi vel contra substantiam non oritur; tandem ex sponsalibus conditionatis conditione de futuro contingenti honesto, verificata aut revocata conditione, oritur sine novo consensu (1) a momento verificationis, aut revocationis, quia sponsalia jam pura sunt, dummodo antea alter consensum non revocaverit vel is casus inciderit a quo matrimonium incipere non potuisset, e. g. si interim sponsus sororem sponsae cognoscat (2); ante verificationem aut revocationem conditionis non oritur, uti expresse tradit Bonif. VIII *l. c.*, quippe consensus deest. Haec clariora erunt, si perspecta habeas quae diximus n. 47 sequ., et quae dicemus n. 743 sequ.

(1) S. Alph. *VI, n.* 859.
(2) D'Annibale *III*, § 304, *not.* 24.

Digitized by Google

718. Ex his solvitur hic casus. Titius sponsalia conditionata inivit cum Sempronia : e. g. *Ducam te, si sententia judicis erit mihi favorabilis.* Pendente conditione, rem habet cum Bertha illius sorore. Purificata conditione, potestne matrimonium inire cum Sempronia aut cum Bertha? Non potest cum Sempronia, obstante impedimento affinitatis ex copula illicita habita cum Bertha sorore. Potest cum Bertha, quia sponsalia cum Sempronia producere non potuere impedimentum publicae honestatis nec ante verificationem conditionis, quia in suspenso erant ob consensus defectum, nec post verificationem conditionis, quia nulla sunt ob impedimentum affinitatis. Imo si Titius, pendentibus prioribus conditionatis sponsalibus cum Sempronia, sponsalia pura cum Bertha ejus sorore ineat, nullum tamen cum ea carnale commercium habens, et deinde, purificata conditione priorum sponsalium, matrimonium contrahat cum matre, matrimonium valet, quia sponsalia conditionata cum Sempronia, etiam purificata conditione, nulla sunt ob revocatum consensum, quod patet ex sponsalibus cum Bertha initis ; sponsalia pura cum Bertha item nulla sunt ob violatam fidem priorum, ideoque impedimentum publicae honestatis non oritur, quod matrimonium inter Titium et matrem illarum sororum dirimat (1).

719. 2° Praeterea hoc impedimentum oritur ex sponsalibus *de praesenti*, idest ex matrimonio non consummato. Id quidem nullibi expresse traditur : sed ea jura quae id *de sponsalibus* tradunt, intelligenda sunt de sponsalibus tum *de futuro* tum *de praesenti*, licet odiosa sint. Cum enim major publica honestas exurgat ex sponsalibus de praesenti, quam ex sponsalibus de futuro, lex de iis tantum stricte intellecta foret irrationabilis : atqui lex, licet odiosa, est late interpretanda, quando in stricto sensu foret irrationabilis. Imo impedimentum publicae honestatis ex matrimonio fortius est impedimento ex sponsalibus (2), cum revera matrimonium magis dedeceat. Proinde jure decretalium hoc im-

(1) D'Annibale *l.* c.

(2) S. Pius V Const. *Ad Romanum* 1 *Julii* 1568. Ben. XIV Const. *Inter omnigenas* 2 *Febr.* 1744, § 15 et AA. communiter.

Digitized by Google

pedimentum producebat quodcumque matrimonium non consummatum, licet deinde legitime solutum aut nullum praeterquam quod ex defectu consensus, usque ad quartum gradum inclusive.

Hoc jus limitatum non fuit decreto Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. III de ref. mat.* (n. 712), ut declaravit S. C. C. *lib. VI Decret. pag.* 54, ejusque sententiam S. Pius V confirmavit in Const. *Ad Romanum* 1 *Jul.* 1568 : « Motu proprio auctoritate Apostolica tenore praesentium declaramus et definimus decretum Concilii hujusmodi omnino intelligendum esse et procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio sic, ut praefertur, contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus et gradibus, quibus de jure veteri ante praedictum decretum Concilii introductum est ». Haec autem januam aperiunt nonnullis non levis ponderis quaestionibus, quae exponi debent.

720. Et in primis dictum est hoc impedimentum ex matrimonio etiam post Conc. Trid. extendi ad quartum gradum. Hinc sponsus ducere in uxorem nequit sponsae sororem, ejusdem sororis filiam, neptem, proneptem; dum e contrario copulatus copula fornicariâ ducere posset ejusdem sororis neptem et proneptem, cum affinitatis impedimentum ex fornicatione secundum gradum non excedat (n. 698) ; atque ita patet impedimentum publicae honestatis ex matrimonio longius protendi quam impedimentum affinitatis ex fornicatione. D'Annibale *III*, § 304, *not.* 30 ait : « Sed ea (publica honestas) quae oritur ex matrimonio, secundum cum illegitimis gradum non excedit, si quid opinor, ne plus praestet quam affinitas, quae fortius vinculum est ». In hac opinione doctissimus Auctor solus est, ni fallimur, eique non adhaeremus. Nam in consanguineis legitimis publicam honestatem ex matrimonio plus praestare quam affinitatem ex fornicatione, ipse Auctor admittit: illa autem restrictio pro illegitimis nulli innititur fundamento. Igitur vinculum affinitatis ex fornicatione, si est fortius, erit brevius vinculo publicae honestatis ex matrimonio.

721. Cum impedimentum publicae honestatis oriatur ex

Digitized by Google

matrimonio rato, quaesitum est an remaneat post matrimonii consummationem. Nonnulli affirmant (1) innixi praesertim responsioni S. C. C. in *Brixiensi Matrimonii* 3 *Dec.* 1667, quam retulimus cit. n. 698. Alii negant (2), qui proinde censent consummatione matrimonii hoc impedimentum evanescere et subintrare impedimentum affinitatis. Haec sine dubio est doctrina Ben. XIV *De Syn. IX, XIII, n.* 4. Nam in eo capite Pontifex exponit controversiam a S. C. C. solutam de matrimonio inter vitricum et uxorem privigni demortui (n. 696), et, illius validitatem demonstrans, docet impedimentum publicae honestatis non adesse, quia matrimonium erat consummatum his verbis: « Remoto impedimento affinitatis, illico corruit aliud quod ex publica honestate oriri fingitur. Etenim impedimentum publicae honestatis unice emergit aut ex sponsalibus validis.... aut ex matrimonio rato...; matrimonium autem consummatum aut veram producit affinitatem, aut certe aliud impedimentum non parit ». Neque dicas ex Ben. XIV matrimonium consummatum non *producere* impedimentum publicae honestatis, sed hoc in eodem permanere : nam mens Ben. XIV est impedimentum publicae honestatis, consummato matrimonio, non adesse. Tandem alii distinguunt : et si matrimonium fuit nullum, affirmant; si validum, negant (3). Nobis magis arridet altera sententia tum propter auctoritatem Ben. XIV, tum quia sicut jus Romanum invexit impedimentum quasi-affinitatis in defectu affinitatis Romanae, ita Ecclesia impedimentum honestatis publicae in defectu affinitatis canonicae, tum tandem quia revera jam una est publica decentia, quae matrimonium prohibet. Caeterum omnes admittunt, quando petitur dispensatio ab impedimento affinitatis ex consummato matrimonio, exprimendum in instantia non esse impedimentum publicae honestatis, quod, si adest, subintelligitur.

722. Matrimonium impuberum, malitia aetatem non supplente, jam diximus n. 504 jure decretalium habere vim sponsalium, seu, juxta meliorem interpretationem, producere

(1) Feje *n.* 395. Vecchiotti *III*, § 102.
(2) D'Annibale *III*, § 304, *not.* 25.
(3) Giovine *I*, § 285, *n.* 3 *sequ.*

Digitized by Google

impedimentum publicae honestatis uti sponsalia. Si forma Tridentina servata fuit, id adhuc verum esse post Conc. Trid. certa sententia est, prouti declaravit S. C. C. in *Viterbiensi mense Julii* 1587 *lib. V Decret.*, et *in Nullius* 27 *Mart.* 1596 *lib. VIII Decret. p.* 170 (1). Proinde matrimonium nullum ratione aetatis forma Tridentina initum impedimentum inducit usque ad primum gradum tantum. Si forma Tridentina servata non fuit, sed non urgebat, id pariter adhuc verum est, nemine contradicente, saltem si matrimonium publicum fuit, et impedimentum enascitur usque ad primum gradum. Quod si forma Tridentina servata non fuit, licet urgeret, et ideo matrimonium fuit nullum tum ratione aetatis tum ratione clandestinitatis, DD. inter se non conveniunt. Nonnulli affirmant, et citant S. C. C. in *Valentina lib. V Decret. pag.* 2 (2). Alii negant pariter innixi auctoritati S. C. C., quae in cit. *Nullius* 27 *Mart.* 1596 censuit: « Matrimonium inter impuberes *servata forma Trid. Conc. contractum* transire in sponsalia de futuro », et *die* 4 *Dec.* 1597 eodem modo reposuit hoc matrimonium: « *Si modo forma servata Concilii contractum fuit*, resolvi in sponsalia de futuro ». Caeterum in cit. *Valentina* matrimonium initum fuerat, *servatis servandis*, ideoque etiam forma Tridentina. Haec altera sententia vera est, et rationem decidendi desumes ex inferius dicendis de aliis clandestinis conjugiis.

723. Caetera matrimonia nulla ex defectu consensus certissimum est ipso communi jure impedimentum publicae honestatis non parere. Quandonam matrimonium nullum dicatur et sit ex defectu consensus, habes *cap. sequ.*, scilicet ex errore circa personam, aut circa qualitatem, quae refunditur in personam; ex defectu debitae discretionis; ex simulatione et joco; ex vi et metu cum debitis qualitatibus, prouti fert communis sententia contra nonnullos et declaravit etiam S. C. C. *die* 22 *Martii* 1664 (3). Item si matri-

(1) Reiff. *IV, II, n.* 18 cum communissima. Vide *cit. Discursum* Secretarii S. C. C.

(2) Garcias *De beneficiis, XI, VIII, n.* 23. Panimollus *Dec.* 123. *Adnot.* 2, *n.* 12.

(3) Monacelli *vol. II, tit. XVI, form. II.*

Digitized by Google

monium contractum fuit per procuratorem, et ante celebrationem mandans consensum revocaverit. Tandem de matrimonio conditionato agit *cit. cap. sequ. art. IV*, ubi vide quando consensus desit.

Haec matrimonia non producunt impedimentum publicae honestatis, licet defectus consensus sit mere internus e. g. ex simulatione, aut externus, sed qui in foro externo non apparet, juxta communiorem sententiam (1) contra Sanchez *VII, LXXI, n.* 11 (n. 713). Vecchiotti *III*, § 102 affirmat nec matrimonium nullum ex errore conditionis servilis hoc impedimentum producere, utpote nullum ex defectu consensus, quod tamen non omnibus arridet et merito.

724. Tandem per matrimonium nullum ex alio capite e. g. impotentiae, ligaminis... praeterquam ex defectu consensus, principium juris decretalium est hoc impedimentum produci. Hinc S. C. C. in *Valentina Dispensationis* 15 *Apr.* 1752 declaravit matrimonium sine dispensatione contrahi non posse in ea facti specie, qua Joseph uxoratus, liberum se dicens, duxit in uxorem Mariam, quae post nullitatis sententiam nubere volebat Francisco Josephi consanguineo in secundo et tertio gradu (2). Cum vero illud decretalium principium sit contra *reg.* 52 *juris in* 6° : « non praestat impedimentum quod de jure non sortitur effectum » quisque videt esse stricte intelligendum. Hinc hoc impedimentum non parit, 1° matrimonium ita nullum ut nec speciem aut figuram matrimonii habeat (3) : hoc enim erit mera caeremonia civilis, aut purus putusque concubinatus, non autem *matrimonium irritum*, si proprie loqui velimus (n. 238, 239); 2° matrimonium nullum impedimento deinceps a Conc. Trid. inducto. Nam quando legislator illud principium contra *reg.* 52 *juris in* 6° statuit, certe prae oculis non habuit nisi impedimenta tunc temporis existentia. Cum vero simus in odiosis, ejus dispositio ad impedimenta Tridentina, nisi Conc. Trid. ita expresse voluerit, nullo modo extendi potest, quod

(1) Giovine *I*, § 285, *n.* 8. Feje *n.* 396.
(2) Hanc causam distracta mente perlegit Giovine *I*, § 286, *n.* 8.
(3) Lehmkuhl *II*, § 766.

Digitized by Google

foret nedum lata, sed et extensiva interpretatione uti (1). Atqui tantum abest quod Conc. Trid. sua quoque impedimenta sub eo principio comprehensa expresse voluerit, ut potius S. Pius V (n. 719) expresse declaraverit in matrimonio *durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus et gradibus, quibus de jure veteri ante praedictum decretum Concilii introductum est.* Haec practicam applicationem habent in matrimonio nullo ob impedimentum *raptus* et *clandestinitatis*.

725. Si *raptus* dirimeret, ut nonnulli putant, praesumptione juris et de jure non consensus, expedita res esset: nempe matrimonium raptu nullum impedimentum publicae honestatis non pareret, utpote nullum ex defectu consensus. Sed seposita etiam illa sententia (n. 541), etiamsi certo constet contra simplicem juris praesumptionem mulierem raptam sub potestate raptoris adhuc constitutam plene in matrimonium consensisse, eadem conclusio retinenda est. Nam, ut diximus, matrimonium raptu nullum producere hoc impedimentum neque jure decretalium evincitur neque jure Tridentino.

726. Major est difficultas in matrimonio *clandestinitate nullo*, idest nullo ex defectu formae Tridentinae. Si enim forma Tridentina non urgeret, ideoque matrimonium clandestinum aut validum esset, aut nullum sed alia ratione puta consanguinitatis, omnes facile admittunt hoc impedimentum produci. Equidem si est occultum, eadem quaestio redit ac pro sponsalibus occultis, sed jam diximus sententiam, quae negat impedimentum ex his oriri, vix amplius aliquem habere probabilitatis gradum (n. 715). Quaestio igitur est an, urgente forma Tridentina, matrimonium ex ejus defectu nullum publicae honestatis impedimentum producat. Hanc quaestionem solventes loquamur in primis in specie de matrimonio civili, deinde de aliis clandestinis matrimoniis.

727. Quoad matrimonium civile haec controversia acriter agitata fuit paucis abhinc annis, et nonnulli affirma-

(1) D'Annibale *III*, § 304 *in notis*.

Digitized by Google

bant civilem actum impedimentum publicae honestatis producere, quia non est nullum ex defectu consensus, alii negabant ob unam aliamve rationem (1).

Controversia finem habuit decreto diei 7 *Apr.* 1879 quod ita est : « Postquam laici legumlatores praeter civiles ac politicos effectus impio ausu ipsum pervadere ac moderari praesumpserunt matrimoniale foedus, quod a Deo auctore naturae ante omnem civilis potestatis existentiam primitus institutum ac ad ineffabilem sacramenti dignitatem deinde a Christo Redemptore evectum quamlibet politicam et civilem jurisdictionem penitus excedit, plures Episcopi aliique animarum pastores ab Apostolica Sede anxii postularunt, an ex actu civili, qui honorandum usurpat matrimonii nomen, impedimentum justitiae publicae honestatis oriatur. Quae postulationes, cum iteratae postremis hisce temporibus fuissent, Summus Pontifex mandavit, ut hujusmodi negotium a S. C. Em. ac Rev. Cardinalium Conc. Trid. interpretum rite ac sedulo expenderetur. Sacra autem Congregatio, exquisitis virorum in theologicis ac canonicis disciplinis peritorum consultationibus, ac re mature discussa in generali comitio *diei* 13 *Mart.* 1879, propositae dubii formulae : *An actus qui vulgo audit matrimonium civile pariat impedimentum justitiae publicae honestatis* rescripsit : *Negative, et consulendum Ssmo, ut id declarare et statuere dignetur.* Quapropter Ssmus D. N. Leo PP. XIII, audita universa rei relatione in audientia *diei* 17 *ejusd. mensis*, in voto S. C. concedens, per praesens decretum declarat et statuit praememoratum actum, qui vulgo dicitur matrimonium civile, in locis ubi promulgatum est decretum Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. I, de ref. mat.*, sive fideles actum ipsum explentes intendant, uti par est, (matrimonio ecclesiastico jam rite celebrato, vel cum animo illud quantocius celebrandi) meram caeremoniam civilem peragere, sive intendant sponsalia de futuro inire, sive tandem ex ignorantia aut in spretum ecclesiasticarum legum intendant matrimonium de praesenti contrahere, impedimentum justitiae publicae honestatis non producere..... »

(1) Vide *cit. Discursum* Secretarii S. C. C.

Digitized by Google

Illud *declarat* tempus praeteritum, et illud *statuit* tempus futurum respicere palam est (1). Vera ratio decidendi, ni fallimur, est duplex illa quam indicavimus n. 724; nempe matrimonium civile hoc impedimentum non producit, quia ita nullum est ut careat quoque specie matrimonii (n. 239) (2), et praeterea, hoc etiam praetermisso, quia matrimonium est nullum ob impedimentum latum a Conc. Trid. Lehmkuhl *II*, *n.* 766 censet hoc decretum non extendi ad haereticos, qui coram magistratu civili putant se verum matrimonium contrahere; sed immerito prorsus, quia juxta decreti verba impedimentum ex civili matrimonio non oritur, quaecumque tandem sit intentio contrahentium. Licet autem decretum loquatur de matrimonio civili in locis ubi caput *Tametsi* promulgatum est et viget, tamen id intelligi debet in genere de matrimonio civili nullo defectu formae Tridentinae etiam in locis ubi citatum caput non viget, e. g. de matrimonio quod vir et mulier e Gallia in fraudem legis discedentes in Anglia contrahunt.

728. Quoad caetera matrimonia clandestina res definita non est, licet acriter discussa quando de matrimonio civili agebatur.

Plerique censent impedimentum parere (3), innixi tum rationi, quia matrimonium non est nullum ex defectu consensus, tum auctoritati S. C. C. et S. Poenitentiariae. Nam Fagnaus in jurisprudentia S. C. C., cui pluribus annis fuit a secretis, versatissimus refert in *cit. cap.* 4, *De sponsalibus... n.* 11 *sequ.* hanc quaestionem fuisse S. C. propositam et in sensu affirmativo solutam; et ita etiam plures alii. Quamquam vero ii auctores neque diem neque annum hujus resolutionis citent, tamen Feje *n.* 400 conjicit latam esse 8 *Nov.* 1584. Ad S. Poenitentiariam quod attinet, in primis parochus Sabaudiae eidem plura dubia proposuit,

(1) D'Annibale *III*, § 304, *not.* 27. Sanchez *VII*, *LXVII*, *n.* 4.
(2) D'Annibale *l. c.* et fusius Secretarius S. C. C. in *cit. Discursu.*
(3) Schmalz. *IV*, *I*, *n.* 102. Salm. *n.* 86. Pontius *VII*, *XXXV*, *n.* 5. Pignatelli Cons. 78, *n.* 6 (*tom.* 7). Monacelli *tit. XVI*, *form.* 2, *n.* 32. S. Alph. *VI*, *n.* 1064, ubi hanc sententiam dicit veriorem. Gury *II*, *n.* 730. Giovine *I*, § 285, *n.* 7. Fagn. *in cap.* 4 *De sponsalibus... n.* 11 *sequ.* De Angelis *IV*, *IV*, *n.* 8, *sequ.* Vecchiotti *III*, § 102.

Digitized by Google

quibus S. Tribunal responsiones dedit 13 *Mart.* 1820 probatas a Pio VII. Unum dubium hoc erat: « Se tutti i matrimonii nulli a causa di qualche altro impedimento diverso dalla mancanza di consenso producano quello di publica onestà » (2) ? S. Poenitentiaria reposuit: « Affirmative, scilicet sponsalia de praesenti, seu matrimonium ratum ex quocumque licet impedimento nullum, dummodo nullum non sit ex defectu consensus, impedimentum parere publicae honestatis. Hoc enim manifeste colligitur ex *cap. un. De spons. et matr. in* 6°, atque ita unanimiter tradunt DD. Solummodo inter eos disputatur an impedimentum istud inducatur etiam per matrimonium ratum, quod nullum et irritum sit ob impedimentum clandestinitatis, quod nempe contractum non fuerit coram parocho et testibus ; et *verior atque omnino tenenda sententia affirmat* ex hujusmodi etiam matrimonio publicae honestatis impedimentum oriri. Etenim de jure veteri seu *ex cit. cap. un. De spons. et matr. in* 6° impedimentum istud publicae honestatis inducebatur per quodcumque matrimonium ratum licet irritum, dummodo non esset irritum ex defectu consensus. Hoc autem jus antiquum circa matrimonium ratum minime immutatum est per Trid. Synodum, sed integrum mansit in omnibus illis gradibus et casibus, in quibus de jure veteri introductum erat, prouti in haec ipsa verba declaravit S. Pius V in decreto *an.* 1568 emanato, quod incipit *Ad Romanum.* Quare S. C. Cardinalium, teste Joanne Gallemart in *cap.* 3 *sess.* 24 Conc. Trid. ita hac super re pronuntiavit : *Praesupposita declaratione per Const. S. Pii V super hoc decreto (Tridentino circa impedimentum publicae honestatis) censuit S. C. oriri impedimentum publicae honestatis ex sponsalibus per verba de praesenti etiam nulliter contractis, omissa forma decreti Conc. Trid. sess. 24 cap. 1, idest contractis clandestine sine parocho et testibus* ». Alterum dubium respiciebat matrimonia civilia, an hoc impedimentum inducerent, et S. Poenitentiaria respondit haec

(1) *Latine* : An omnia matrimonia nulla ob aliquod aliud impedimentum distinctum a defectu consensus producant impedimentum publicae honestatis ?

Digitized by Google

matrimonia esse clandestina : « Idem ergo impedimentum eodemque modo pariunt etiam matrimonia ista civilia, et illud quidem etiamsi deinceps non fuerint consummata. » Quod rursus confirmavit 14 *Maii* 1835 et 9 *Maii* 1843.

Haec quidem gravia videntur, sed, his non obstantibus, multi negant ex his clandestinis conjugiis impedimentum oriri (1) ; quorum sententiae subscribimus. Nam si forma Tridentina neglecta fuit, e. g. si Titius et Sempronia in privata domo sine parochi praesentia nuptias iniverunt, hoc matrimonium publicae honestatis impedimentum non producit ob duplicem allatam rationem (n. 724), nempe sive quia est nullum ita ut nec speciem matrimonii habeat, sive quia est nullum ob impedimentum latum a Conc. Trid. ; si vero forma Tridentina adhibita fuit sed substantiali vitio laborans, e. g. quia parochus non est proprius, species matrimonii adest (n. 240), ideoque prima ratio deficit, sed altera aeque urget. Neque obstat auctoritas S. C. C. et S. Poenitentiariae. Nam responsio S. C. diligentissime quaesita quando de matrimonio civili actum est, inveniri non potuit, eamque ignoravit quoque Ben. XIV, qui tamen regesta S. C. diurna nocturnaque manu versaverat ; cum enim, Secretarii S. C. munere fungens, in causa *Dubium matrimonii* 21 *Nov.* 1722 quaereret an matrimonium clandestinum impedimentum publicae honestatis gigneret usque ad quartum gradum, plures quidem pro affirmativa sententia allegavit DD., sed ne unam quidem S. C. resolutionem indigitavit. Proinde de illius responsionis authenticitate merito dubitatur. S. Poenitentiaria autem per memorata responsa non videtur voluisse quaestionem decretorie definire, sed potius sententiam proponere pro regula practica, quae tutius prospiceret sacramento, necessitatem quodammodo objiciens petendi saltem ad cautelam dispensationem (2). Caeterum si, juxta principium ipsius S. Poenitentiariae in responsione ad alterum

(1) Sanchez *VII, LXX, n.* 13. D'Annibale *III,* § 304. Corradus *VIII, VII, n.* 10. De Justis *II, VIII, n.* 13. Clericat. *XXX, n.* 13. Piton. *Discept. Eccles.* 52, *n.* 99. Pirhing *IV, XIV, n.* 62. Navarrus *XXII, n.* 58. Barbosa *De off. et pot. Episc. p.* 3, *all.* 51. *n.* 181. Ballerini ad Gury *l. c.* putat impedimentum habendum esse uti dubium, ideoque nullum.

(2) *Cit. Discursum* Secretarii S. C. C.

Digitized by Google

dubium, idem impedimentum eodemque modo pariunt matrimonia civilia ac alia matrimonia clandestina, cum hodie definiti juris sit ex illis nullum prorsus impedimentum oriri, ergo neque ex his enasci dicendum est. Quae diximus saltem ostendunt hanc sententiam esse vere ac certe probabilem tum intrinsece tum extrinsece ; ideoque impedimentum sin minus ex principio reflexo urgendum non est.

729. Ex dictis facile apparet hoc impedimentum posse multiplicari juxta plura sponsalia aut matrimonia non consummata (1). Ita e. g. Titius sponsalia fecit cum Sempronia, deinde matrimonium nullum ex impedimento impotentiae contraxit cum Maevia ejus sorore, jam duplici impedimento publicae honestatis prohibetur a matrimonio cum Caja Maeviae et Semproniae sorore ; et si Cajam nihilominus invalide duceret, sed non cognosceret, est triplex impedimentum publicae honestatis inter Titium et Franciscam matrem earumdem sororum. Potest etiam hoc impedimentum cum impedimento affinitatis aut consanguinitatis concurrere, e. g. si Titius Cajam cognovit, inter ipsum et Franciscam Cajae matrem erit duplex impedimentum, scilicet publicae honestatis et affinitatis. Proinde alias diximus haec omnia in instantia pro dispensatione exprimenda esse.

730. At impedimentum publicae honestatis, quod oritur ex matrimonio, non agit retrorsum *in praejudicium sponsalium prius valide contractorum.* Ita e. g. Titius valida sponsalia inivit cum Sempronia et deinde matrimonium attentavit cum Maevia ejus sorore ; matrimonium est nullum ob impedimentum publicae honestatis, sed Titius potest imo debet, Sempronia urgente, ipsam ducere et nulla publica honestas obstat. Ita expresse Bonif. VIII in *rel. cap. un. De sponsalibus... in* 6°, imo Bonif. VIII id tradit de sponsalibus in genere etiam de futuro : sed pro sponsalibus de futuro, cum post Conc. Trid. sponsalia quacumque ratione nulla non pariant impedimentum publicae honestatis, hodie res clara est. Quod si Titius in exemplo allato matrimonium cum Maevia consummavit, neutram ducere posset ; non Sem-

(1) D'Annibale *l. c.*

Digitized by Google

proniam ob impedimentum affinitatis, non Maeviam ob impedimentum publicae honestatis.

Diximus *in praejudicium sponsalium prius valide contractorum*: nam si sponsalia fuerunt valida, sed deinde legitime soluta, putamus matrimonium non consummatum cum Maevia impedire vi publicae honestatis reditum ad Semproniam: nam Bonif. VIII *l. c.* de hac facti specie non agit, et impedimentum in casu non enasci nullibi legitur. Quin imo non desunt, qui affirment idipsum declaratum fuisse ab ipsa S. C. C. (1).

731. Justitiae publicae honestatis impedimentum est ab Ecclesia introductum (n. 705); hinc duo corollaria.

1° Ecclesia potest in hoc impedimento dispensare, et solet. Cum vero hoc impedimentum ortum ex matrimonio fortius sit quam impedimentum ortum ex sponsalibus, hinc facilius dispensatur in illo quam in isto. Exinde fit e. g. quod missionariis concedi soleat dispensandi potestas in impedimento publicae honestatis ex sponsalibus, non autem in impedimento publicae honestatis ex matrimonio (2). In impedimento orto ex sponsalibus dispensatio facile datur ex quacumque causa canonica. In impedimento orto ex matrimonio certe non consummato dispensatio datur etiam in primo gradu, et, caeteris paribus, in genere datur ex causis etiam minoribus quam in impedimento affinitatis. Diximus ex *matrimonio certe non consummato*, quia si adest aliquod dubium de matrimonii consummatione, haec praesumitur, ideoque praesumitur etiam impedimentum affinitatis, et tunc pro dispensatione ea attendenda sunt quae superius de dispensatione in impedimento affinitatis exposuimus.

732. 2° Infideles hoc impedimento non ligantur (nisi jure quoque civili latum sit), etsi deinde ad fidem Christianam convertantur. Quaesitum fuit a S. C. S. Officii: « Matrimonium ratum non consummatum paganorum producitne honestatem publicam, vel censeturne impedimentum dirimens post eorum conversionem? v. g. Titius paganus duxit

(1) Lehmkuhl *II*, *n.* 766. Del Vecchio *II*, *n.* 974. Giovine *I*, § 285, *n.* 11.
(2) Ben. XIV Const. *Inter omnigenas* 2 *Febr.* 1744, § 15. Collect. Paris. *n.* 874.

Digitized by Google

Maeviam paganam, sed matrimonium non consummavit : post mortem Maeviae Titius fit Christianus, potestne ducere Bertham sororem vel consobrinam Maeviae e pagana factam Christianam? Idemque estne de sponsalibus paganorum ac de matrimonio rato » ? S. C. reposuit 26 *Sept.* 1837 : « Impedimentum non subsistere (1) ». Quod si una pars est infidelis et alia fidelis, haec videtur impedimento detineri ; sed Ecclesia dispensans ab impedimento disparitatis cultus censetur quoque ab hoc impedimento publicae honestatis dispensare (n. 701).

2° — *Cognatio spiritualis* (2).

733. Est *propinquitas personarum lege Ecclesiæ orta ex sacramento baptismi et confirmationis.* Cum enim baptismo vita spiritualis incipiat et confirmatione perficiatur, Ecclesia consideravit baptizantem vel confirmantem nec non patrinum ac matrinam in utroque sacramento tamquam parentes spirituales baptizati vel confirmati : unde ipsum nomen *patrini* vel *matrinae*. Hinc aliqua cognatio seu propinquitas personarum Ecclesiae lege introducta, quam insuper Ecclesia voluit nuptias inter easdem personas dirimere, ut patet ex toto cit. titulo. Ben. XIV in Const. *Inter omnigenas* pro regno Serviae ac finitimis regionibus data die 22 *Feb.* 1744 inter alios abusus § 14 rejicit singularem quamdam consuetudinem, qua cognatio spiritualis oriebatur ex assistentia matrimonio praestita, et inter eos à quibus capilli pueris primo tondebantur. Hoc cognationis spiritualis impedimentum etiam Ecclesia Graeca habet et semper habuit (3).

734. Circa originem hujus impedimenti Ben. XIV *De Syn. IX, X, n. ult.* haec habet : « In eo... titulo (*cit. tit. Decretalium*) nullum decretale rescriptum ad cognationem spiritualem pertinens affertur, quod ante Alex. III Pontificem prodierit. Verum hujusce impedimenti, quod a spirituali cognatione provenit, multo ante Alex. III aetatem mentio facta reperitur. Siquidem in Conc. Rom. I sub S. Zaccharia Papa

(1) Collect. Paris. *n.* 875.
(2) Vide canonistas in *tit. De cognatione spirituali XI lib. IV Decret.*
(3) Mansella *I, III, I,* 6.

Digitized by Google

habito an. Christi 743 statutum fuit *cap.* 5 : *Ut spiritualem commatrem nullus sibi praesumat nefario conjugio copulare. Nam qui hujusmodi opus perpetraverit, sciat se anathematis vinculo esse obligatum et Dei judicio condemnatum.....* Nec alia etiam antiquiora desunt hujusmodi disciplinae documenta. Sed cum nullum suppetat anterius eo quod habetur in *lib.* 26 *C. De nuptiis* ubi haec Justiniani Imp. verba leguntur : *Ea persona omni modo ad nuptias venire prohibenda quam aliquis a sacrosancto suscepit baptismate, cum nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem et justam nuptiarum prohibitionem, quam hujusmodi nexus per quem, Deo mediante, animae eorum copulatae sunt;* id utique sufficit ut in catalogo legum civilium, quae a jure canonico expresse confirmatae sunt, praemissa etiam de spiritualis cognationis impedimento lata adscribatur, ut recte etiam observat Joannes Bartolus Ep. Feltrensis in suis *Inst. Jur. Can. c.* 44, *n.* 7 ». His non obstantibus, ea nobis insidet opinio Justinianum Imp. hoc impedimentum potius ab Ecclesia recepisse, et si scripta illius origo nos latet, nil vetat quominus dicamus fuisse consuetudine introductum.

735. Ante Conc. Trid. spiritualis cognatio nuptias dirimens latius patuit. Nam triplex hujusce spiritualis cognationis species cognoscebatur, *paternitas*, *compaternitas*, et *confraternitas*. Paternitas erat non solum inter baptizantem et baptizatum, confirmantem et confirmatum, inter patrinos vel matrinas et baptizatum vel confirmatum, sed etiam inter baptizatum et conjugem baptizantis et patrini vel matrinae, inter confirmatum et conjugem patrini vel matrinae, matrimonio semel consummato. Cum enim conjuges matrimonii consummatione fiant una caro, idcirco statutum fuerat ut cognatio spiritualis contracta ab uno in alterum etiam refunderetur. Compaternitas erat inter parentes naturales baptizati aut confirmati ex una parte, et parentes ejus spirituales ex altera parte idest baptizantem, confirmantem, patrinos et matrinas cum respectivis istorum conjugibus, consummato matrimonio. Unde vi istius cognationis baptizans, confirmans, ac patrini dicebantur *compatres*, et uxo-

Digitized by Google

res, licet nihil praestitissent, dicebantur *commatres* baptizati vel confirmati : *compatres*, inquam, et *commatres* dicebantur cum parentibus naturalibus baptizati vel confirmati. Hic loquendi usus in pluribus regionibus adhuc servatur. Tandem fraternitas erat inter filios carnales baptizantis, confirmantis, patrinorum et matrinarum ex una parte, et ipsum baptizatum vel confirmatum ex altera parte. Cum enim baptizans, confirmans, patrinus ac matrina essent compatres, sequebatur quod ipsorum filii forent confratres baptizati vel confirmati (1). Haec desumuntur ex *c.* 30, *q.* 3 et 4 in Decreto, et ex *cap.* 1, 3, 4, 6, 7 *cit. tit.* Et cum ii canones de cognatione spirituali ex baptismate loquantur, Bonif. VIII *cap.* 1 *cit. tit. in* 6° declarat : « Ex confirmatione quoque seu frontis chrismatione spiritualis cognatio iisdem modis contrahitur matrimonia similiter impediens contrahenda et dirimens post contracta ».

736. Conc. Trid., teste Pallavicini *XXIII, IX, n.* 16, primum de hoc impedimento prorsus tollendo egit. Verum, obsistente Donaldo Episcopo in Hibernia, *sess. XXIV, cap. II de ref. mat.* statuit : «... ut unus tantum sive vir sive mulier juxta sacrorum canonum statuta, vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum et illius patrem et matrem, nec non inter baptizantem et baptizatum baptizatique patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Parochus antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur quem vel quos elegerint ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, et eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, et in libro eorum nomina describat, doceatque eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo modo contrahant, constitutionibus in contrarium facientibus non obstantibus. Si parochi culpa, vel negligentia secus factum fuerit, arbitrio ordinarii puniatur. Ea quoque cognatio, quae ex confirmatione contrahitur,

(1) Vecchiotti *III*, § 95. Schmalz. *IV, XI, n.* 9 *sequ.*

Digitized by Google

confirmantem et confirmatum illiusque patrem et matrem ac tenentem non egrediatur : omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis ». Hoc Tridentinum decretum, praeeuntibus SS. CC. RR., modo declaramus.

737. Et in primis, ut cognatio spiritualis et consequens impedimentum inducatur, necesse est ut baptismi et confirmationis sacramentum sit valide collatum : nam juxta *reg.* 52 *juris in* 6° : « non praestat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum ». Hinc cognatio et impedimentum non contrahitur ex baptismate solemniter collato, si deinde constet infantem fuisse prius ad obstetrice baptizatum, uti declaravit S. C. C. *die* 13 *Apr.* 1669, 2 *Oct.* 1687... ; nec quando supplentur caeremoniae, baptismate in casu necessitatis nude administrato, prouti eadem S. C. C. edixit 13 *Apr.* 1669, 2 *Oct.* 1687, 16 *Maii* 1711, 30 *Jan.* 1759, 19 *Sept.* 1761... Antiquitus exinde oriebatur impedimentum *catechismi*, de quo n. 432. In dubio de validitate baptismi (aut confirmationis), cum in utraque parte adest probabilitas, etiam cognatio et consequenter impedimentum dubium est ideoque nullum (1). Exinde patet quid dicendum in casu baptismatis denuo collati sub conditione. Si dubium de priori baptismo est negativum, idest pro illius valore nulla adest solida ratio, cognatio et impedimentum oritur ex secundo, non ex primo (2) ; et si deinde constet primum baptismum fuisse validum, jam oritur ex primo, non ex secundo, licet matrimonium forte initum ante secundum baptismum in sua validitate perseveret. Si dubium est positivum, idest pro utraque parte adsunt probabiles rationes, ex neutro oritur, nisi utrique baptismati eaedem personae operam navaverint ; et si deinde certa evadat unius validitas, ex eo oritur, non ex alio, sed matrimonio jam forte contracto non nocet.

738. Quaerunt DD. an cognatio ac impedimentum oriatur ex baptismo privato, qui, urgente necessitate, confertur ?

(1) S. Alph. *VI, n.* 151 satis probabiliter. Ballerini-Gury *II, n.* 805. Sanchez *VII, LXII, n.* 7. Lehmkuhl *II, n.* 758.
(2) S. Alph. *l. c.* Sanchez *l. c.* Ballerini-Gury *l. c.*

Digitized by Google

Certum est apud omnes oriri inter ministrum, subjectum, et hujus parentes (1) : quaestio est an oriatur inter patrinos matrinasque, ac subjectum hujusque parentes, si patrini ac matrinae adhibeantur (2). Jam vero si vir vel mulier, ut fieri solet, tenet infantem majoris commoditatis causa et materialiter. tantum, scilicet absque animo patrini munus explendi, omnes admittunt cognationi et impedimento locum non esse ; nam revera puerum tenens non est patrinus vel matrina (n. 744, *b*). Si vero infantem tenet etiam formaliter cum animo explendi patrini munus, nonnulli negant eum contrahere cognationem et impedimentum (3). Praecipua ratio est, quia Conc. Trid. *l. c.* loquitur de suscipientibus *de sacro fonte*, ideoque solum baptisma solemne comprehendit, cum in privato sacer fons non sit. Alii affirmant (4), quorum sententia certa videtur ob formalem S. C. C. declarationem. Jam die 17 *Apr.* 1603 S. C. pro casu particulari proposito responderat in sensu affirmativo. Nam M. in baptismate privato tenuit infantem ; et deinde, proposito dubio an aliqua cognatio spiritualis inter ipsam M. et E. patrem naturalem infantis contracta fuerat dirimens matrimonium inter ipsos, S. C. rescripsit : « Si M. habuit animum levandi infantem de sacro fonte contractam esse cognationem spiritualem ». Deinde, prouti alias etiam factum est, quaestio generalis et formalis die 29 *Maii* 1677 proposita fuit eidem S. C., quae reposuit *dilata et scribant theologi*. Quinque theologi consulti sunt, quorum vota legi possunt apud *Analecta Juris Pontificii ser. VIII, fasc. LXXII, pag.* 1708 *sequ.* Tandem *die* 5 *Mart.* 1678 ad dubium : « An dispositio Concilii *cap. II, sess. XXIV de ref. mat.* decernens in sacra-

(1) S. Alph. *VI, n.* 149. Lehmkuhl *l. c.*

(2) In baptismo privato necesse non est patrinos vel matrinas adhibere, sed possunt adhiberi et praestantius adhibentur, ut docet cum aliis S. Alph. *l. c. n.* 147. De facto omitti solent.

(3) S. Alph. *VI, n.* 149 cum communiori, et probabiliori Sanchez *VII, LXII, n.* 14. Lehmkuhl *l. c.* Scavini *III, n.* 1014. Ballerini-Gury *II, n.* 805 qui putat impedimentum esse habendum uti dubium ideoque nullum. D'Annibale *III*, § 303.

(4) Reiff. *IV, XI, n.* 14. Feje *n.* 413. Leuren *IV, q.* 205. De Angelis *IV. XI, n.* 5. Suarez 3 *p., q.* 67, *n.* 8. Schmalz. *IV, XI, n.* 55. Pirhing *IV, XI, n.* 36 et 39. Navarrus *Man. XXII, n.* 4. Santi *IV, XI, n.* 9.

Digitized by Google

mento baptismatis contrahi cognationem spiritualem inter suscipientem et patrem ac matrem suscepti locum habeat in baptismo sine solemnitatibus ob necessitatem domi secuto », S. C. reposuit *affirmative*. Haec declaratio omnem probabilitatem contrariae sententiae auferre videtur. S. Alph. eam non cognovit; secus eam citavisset inter rationes contrariae sententiae. Ad argumentum oppositum respondetur *sacrum fontem* significare baptismum sive solemnem sive privatum: hinc S. C. C. in citata responsione diei 17 *Apr.* 1603 hanc expressionem usurpat de baptismate privato. Nonnulli relatam declarationem S. C. enervant; dicentes eamdem non fuisse promulgatam, ideoque non obligare (1). At notum est interpretationem authenticam, nisi sit extensiva, quae vera nova lex est pro casu vel persona non comprehensa, promulgatione non indigere: in casu autem nostro hanc promulgationem non esse extensivam vel ex eo patet, quod ex una parte S. C. potestate legislativa caret, et ex alia non apparet eam a R. P. petiisse et obtinuisse, cum in declaratione desit *facto verbo cum Ssmo*. Caeterum S. C. C. suas authenticas declarationes promulgare alio modo rarissime solet, ideoque illa ratione possemus fere omnes illius declarationes seponere.

Quaesitum fuit a S. C. de Prop. Fide: « Quidam Christianus patrinus fuit cujusdam infantis propter periculum mortis domi baptizati, cujus matrem postea accepit in uxorem. Quid de isto matrimonio censendum »? S. C. reposuit 18 *Mart.* 1817: « Consulendum Ssmo pro dispensatione matrimonii, *quatenus opus sit*, super impedimento cognationis spiritualis et etiam pro sanatione in radice ». Non putamus hanc responsionem certitudini nostrae sententiae aliquid detrahere, quia non constat S. C. de Prop. Fide prae oculis habuisse relatam S. C. C. declarationem, et potius videtur solutionem practicam casui proposito expeditiorem dare voluisse: caeterum remedium S. C. de Prop. Fide in concreto in nostram sententiam reincidit.

739. Ulterius ex ipsis decreti Tridentini verbis clarum est cognationem matrimonium dirimentem ex valido baptismo

(1) Lehmkuhl *l. c.* Marc *n.* 2022.

Digitized by Google

vel confirmatione deinceps non oriri nisi inter sequentes personas : 1° ministrum baptismi et subjectum ; 2° ministrum baptismi et parentes subjecti ; 3° patrinos matrinasque et subjectum baptismi ; 4° patrinos matrinasque et parentes subjecti ; 5° ministrum confirmationis et subjectum ; 6° ministrum confirmationis et parentes subjecti ; 7° patrinos matrinasque et subjectum confirmationis ; 8° patrinos matrinasque et parentes subjecti. Hinc fraternitas (n. 735) prorsus sublata est in Ecclesia Occidentali : in Ecclesia autem Orientali est cognatio spiritualis inter filios patrinorum vel matrinarum et baptizatum vel confirmatum ejusque fratres ac sorores, excepta Maronitarum Ecclesia quae jus Tridentinum sequitur (1). Praeterea paternitas ac compaternitas non leviter a Conc. Trid. *l. c.* restricta fuit ; e. g. hodie inter patrinum et matrinam nulla oritur cognatio, ideoque matrimonium foret validum et licitum, et ita duo conjuges possent absque timore contrahendae cognationis spiritualis alienam prolem suscipere, quod fert etiam consuetudo ; item nec inter subjectum baptismi seu confirmationis aut illius patrem vel matrem, et uxorem vel virum baptizantis aut levantis, uti declaravit quoque S. Pius V 4 *Dec.* 1566 ; item nec inter ministrum et patrinum vel matrinam.

Cognatio spiritualis inter ministrum baptismi ac confirmationis et subjectum, item inter patrinum matrinamque et subjectum dicitur *paternitas* et relative *filiatio spiritualis* ; inter patrinos matrinasque et parentes subjecti, aut inter ministrum et parentes subjecti appellatur *compaternitas* vel *commaternitas* (2). Sed jam de singulis casibus breviter, praetermisso 5° et 6°, in quibus inutile est inquirere de cognatione spirituali in ordine ad matrimonium.

740. 1° *Inter ministrum baptismi et subjectum* idest baptizantem virum et baptizatam mulierem, baptizantem mulierem et baptizatum virum, licet minister sit haereticus, schismaticus etc., dummodo validum baptismum dederit, est spiritualis cognatio cum impedimento, quia et ipse subjacet Ecclesiae legibus : item etsi baptizans nomine et

(1) Mansella *l. c.*
(2) Scavini *III, n.* 1013.

Digitized by Google

mandato alterius baptizet. Si vero minister est infidelis seu non baptizatus, etsi cathecumenus, haec paternitatis spiritualis cognatio nec existit nec existere potest, quia cognatio, utpote quid relativum, introduci nequit nisi a lege cui uterque terminus subsit; non enim lex potest declarare Titium patrem spiritualem Semproniae, nisi simul declaret Semproniam filiam spiritualem Titii; atqui infidelis legi Ecclesiae non subest; proinde haec spiritualis cognatio inter infidelem et fidelem lege Ecclesiae introduci nequit. Et aliunde plane absurdum est patrem spiritualem esse illum qui spiritu nondum est natus; deficiente autem spirituali cognatione inter infidelem et fidelem, impedimentum, quod ex illa profluit, ne intelligi quidem potest. Proinde matrimonium inter ministrum baptismi infidelem et subjectum ex hoc capite irritum non esset (1). Imo licet minister deinde convertatur ad fidem et baptismum suscipiat, cognatio spiritualis non reviviscit, quia haec cognatio aut oritur ex baptismate, aut nullo modo oritur juxta *reg.* 18 *juris in* 6° : « non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit »; unde minister et subjectum jam possent nuptias inire absque ulla dispensatione (2).

741. Quid vero si hoc impedimentum cognationis spiritualis etiam a lege civili latum foret? Si lex civilis statueret cognationem spiritualem esse inter ministrum et subjectum baptismi, hancque cognationem irritare nuptias, lex esset nulla, ideoque, ea non obstante, matrimonium inter ministrum infidelem et subjectum rursus ex hoc capite non foret invalidum (3). Si e contrario lex declararet simpliciter ministrum baptismi inhabilem ad contrahendum conjugium cum subjecto, lex videretur valida, nisi forte lata esset in odium verae fidei, proinde obstaret matrimonio inter ministrum infidelem et subjectum (n. 297); sed si minister baptismum susciperet, jam lex ipsum non amplius afficeret, unde matrimonium foret licitum et validum undequaque.

(1) Vecchiotti *l. c.* Schmalz. *IV, XI, n.* 29. Sanchez *VII, LX, n.* 7 *et* 8. Pontius *VII, XL, n.* 2 aliique communiter cum S. Thoma 4 *dist.* 42, *q.* 1, *a.* 3, *q.* 1, *ad* 3um.

(2) Vecchiotti *l. c.* Schmalz. *l. c., n.* 30. Sanchez *l. c. n.* 11.

(3) Sanchez *l. c. n.* 12, 14.

Digitized by Google

742. 2° *Inter ministrum et parentes subjecti* idest virum baptizantem et matrem baptizati, mulierem baptizantem et patrem baptizati, parentes, inquam, naturales seu legitimos seu illegitimos, non autem adoptivos. Haec spiritualis cognatio cum adnexo impedimento est veluti consequens praecedentis : nam si minister baptismi est pater spiritualis subjecti, erit compater illius parentibus. Quid juris, si omnes istae personae vel aliqua earum baptismum habent, sed sunt extra Ecclesiam catholicam, vel si ne baptismo quidem ablutae sunt, collige ex dictis n. 740, 741.

743. Heic autem nota quaestio occurrit de parente qui prolem suam baptizavit, an cognationem incurrat cum comparte. Si proles est illegitima, quia scilicet parentes non sunt matrimonio conjuncti, certa est responsio affirmativa, ita ut matrimonium inter parentes jam amplius conciliari nequeat sine Apostolica dispensatione (1). Si proles est legitima seu si parentes sunt matrimonio ligati, dubitatur an parens baptizans hanc cognationem contrahat, qua in poenam privetur jure petendi debitum. Omnes respondent negative, si baptismum contulit in casu necessitatis ex *can.* 7, *c.* 30, *q.* 1 ibi : « quia inculpabile judicandum quod necessitas intulit » (2). Extra casum necessitatis certe peccavit ; utrum vero hanc poenam incurrerit, DD. inter se non conveniunt, aliis affirmantibus (3), negantibus aliis (4), quia haec poena nullo jure probatur, imo non obscure excluditur ex *cap.* 2 *cit. tit.* (5). Primae sententiae favere videtur responsio S. Poenitentiariae relata in Bucceroni *Enchiridio Morali*, qua S. Poenitentiaria *an.* 1869 dispensavit patrem, qui ignorans et timens sed timore inani ne filius moreretur, eum baptizavit : sed dici potest S. Poenitentiariam hac dispensatione voluisse

(1) Schmalz. *l. c. n.* 45. Sanchez *VII, LXII, n.* 11. Fagn. in *cap.* 2 *cit. tit. n.* 9.

(2) S. Alph. *VI, n.* 150 cum communi et certa.

(3) Feje *n.* 426. Sanchez *VIII, XXVI, n.* 7. Pirhing *IV, XI, n.* 29. Clericatus *XXIII, n.* 29. S. Thomas 4 *dist.* 42, *q.* 1, *a.* 1 et est communior sententia juxta S. Alph. *l. c.*

(4) Schmalz. *IV, XI, n.* 48. Reiff. *n.* 30. Suarez 3 *p.*, *q.* 67, *a.* 8. Pontius *X, VI, n.* 4 cum Glossa *cap.* 2, *cit. tit.* v. *debitum* et est sententia probabilis et tuta juxta ipsum Sanchez, et satis probabilis ex D. Alph. *l. c.*

(5) Pontius *l. c.* Salm. *XV, n.* 25. S. Alph. *l. c.* Giovine *I,* § 215, *n.* 16.

Digitized by Google

tantum casui proposito practice consulere. Putamus igitur, stante controversia, rem dubiam esse ; in dubio autem nemini jus certum quaesitum auferri potest. Caeterum etiam affirmantes admittunt hanc poenam non manere ignorantem seu legem seu poenam ex *cit. cap.* 2 *cit. tit.*

744. 3° *Inter patrinos matrinasque et subjectum.* Clarum est cognationem spiritualem cum impedimento non exurgere nisi patrini matrinaeque valide tales fuerint. Nostrum non est heic plene exponere patrinorum, matrinarumve in baptismate disciplinam : tantum pro re nostra breviter animadvertimus ad munus patrini vel matrinae valide obeundum duo requiri et sufficere :

a) Ut persona sit habilis. Talis non est persona nondum baptizata (n. 741) ; persona non compos sui e. g. infans ante septennium completum, ebrius, amens etc. ; tandem persona ultra designatas a parentibus vel ab ipso baptizato, si septennium excessit, vel, his negligentibus, a parocho ex Conc. Trid. *l. c.* Si parentum, baptizati septennium excedentis, et parochi negligentia nemo fuit designatus, an suscipientes sint veri patrini DD. minime conveniunt (1) ; proinde qualitas patrini cum cognatione et impedimento uti dubia haberi potest. Praeter recensitas personas aliae plures ipso communi jure a patrini vel matrinae munere obeundo prohibentur ; sed si illo fungantur, sunt veri patrini vel matrinae, uti monachi et moniales etiam mendicantes votorum solemnium, publice criminosi ac infames, schismatici, haeretici, apostatae, manifestim excommunicati vel interdicti, ignorantes fidei rudimenta, conjuges respectu propriae prolis, muti, impuberes, non confirmati, exteri ignotique, duo mares vel duae foeminae pro infante praesertim diversi sexus, tandem plures duobus (2). Nimirum Conc. Trid. *l. c.*

(1) Affirmant S. Alph. *VI, n.* 154 *sequ.* citans plures alios Giraldi *I, sect.* 712. Passerini *IV, XI, n.* 7. Giraldi *l. c.* dicit id decisum fuisse a S. C. in *Cremonen.*, sed hanc responsionem S. C. ad rem non facere vide apud Feje *n.* 421 *in nota.* Negat Sanchez *VII, LVII, n.* 12 cum pluribus aliis.

(2) S. Alph. *VI, n.* 155 *et* 156. Scavini *III, n.* 853. Imo jure particulari saepe prohibentur etiam clerici sine Episcopi licentia.

Digitized by Google

statuit duos tantum, unum scilicet et unam (1), designatos, ut supra, suscipere debere ; quod si plures duobus designati sunt, parochus admittat unum et unam, sed alii forte admissi et tangentes patrini vel matrinae sunt, prout declaravit S. C. C. apud Fagn. *in cap.* 8 *cit. tit. n.* 5, et apud Barbosam *Summa Apost. Dec. Collect.* 177 *n.* 10 ; non vero si juste rejecti a parocho, nihilominus tetigerint (2).

b) Ut persona habilis habeat *animum* munus patrini adeundi, et *tactum* ponat, idest infantem physice tangat. *Animum* ; hinc procurator non est patrinus, sed mandans qui animum fovet et tangit per alium, ut pluries S. C. C. declaravit nominatim in *Veronen.* 29 *Mart.* 1582, *Pisana* 20 *Apr.* 1589, *Nullius* 15 *Mart.* 1631, *Theatina Matrimonii* 13 *Sept.* 1721, et tandem in *Nucerina Matrimonii* 11 *Junii* 1881 ; ita ut contrariae sententiae, scilicet quod vel uterque tum mandans tum procurator, vel neuter cognationem spiritualem contrahat, nulla amplius probabilitate gaudeant. Quod si Titius supponens Sempronii consensum illius nomine sine mandato puerum tenet, neuter patrinus est. Pariter si quando collegium aliquod e. g. civitas per procuratorem patrini munus explevit, nec procurator nec singuli de collegio patrini sunt, sed ipsum collegium ; in hoc autem casu de impedimento sermo esse non potest. Item patrinus dici nequit qui puerum tenet majoris tantum commoditatis causa. Tandem si suscipiens putat se tenere puerum A, et tenet puerum B, distinguendum est. Si habet intentionem levandi puerum praesentem, quicumque sit, est patrinus juxta omnes. Si e contrario habet intentionem suscipiendi filium Titii (uti esse solet), et hic est filius Sempronii, DD. inter se non conveniunt. Nos putamus non esse patrinum, quia deest animus, etsi ipse, si sciret, vellet levare etiam puerum B, filium Sempronii, quia haec voluntas interpretativa nihil est. Saltem cognatio spiritualis cum impedimento in casu dubia erit. *Tactum* physicum ; seu

(1) Contra jure decretalium ex *cap. ult. cit. tit. in* 6 unus tantum sive vir sive foemina infantem suscipere debebat; plures autem suscipientes qualitatem patrini contrahebant, licet peccato non vacarent.

(2) Sanchez *VII, LVII, n.* 15.

Digitized by Google

debet *suscipere*, *accipere*, *tenere*, *velare*, ceu canones loquuntur, in sacro vel de sacro fonte (1). Haec autem declarat S. C. de Prop. Fide 21 *Jan.* 1856 : « Per verba Ritualis *patrino infantem tenente* haud susceptio absoluta requiritur, cum tenere aeque intelligatur ac sufficiat, si patrinus, ut in more est, physico contactu infantis (2) jungat se cum eo cujus manibus ille tenetur, et ad aquae infusionem comitetur deferentem ; quin opus sit ut patrinus vel matrina tantum, amoto deferente, infantem suas in manus excipiens, sacerdoti baptizandum exhibeat ». Nempe si consuetudo est ut obstetrix puerum detineat, dum a sacerdote baptizatur, sufficit ut patrinus vel matrina puerum teneant modo indicato ; si consuetudo est ut sacerdos ipse puerum, quem baptizat, detineat, sufficit ut patrinus vel matrina aut puerum sacerdoti praesentent, aut baptizatum immediate de ejus manibus recipiant eum tenentes modo indicato (3). Hinc non est patrinus qui puerum non tangit, sed tantum respondet ad interrogationes baptizantis ; e contrario haec responsio ad qualitatem patrini non requiritur (4). Item ubi altera viget consuetudo, qui puerum, mediante tertia persona, de manu Sacerdotis recipit, e. g. mediante commatre (5) aut obstetrice (6), non est patrinus, quia est eadem ratio. Giraldi *I*, *sect.* 712 cum aliis in contrarium citat responsionem S. C. C. 18 *Dec.* 1688 ; sed haec responsio non facit ad rem, quia in specie patrinus infantem e manibus obstetricis acceptum dein tenuerat in actu baptismi (7). Fortasse dici potest sufficere puerum de manu obstetricis aut commatris recipere, si id ita fiat ut moraliter loquendo patrinus videatur puerum ab ipso sacerdote recipere.

(1) Fagn. in *cap.* 6, *cit. tit. n.* 1 *sequ.* cum communi.

(2) Mos est, ut patrinus vel matrina manum seu extremitatem digitorum ponat supra humerum infantis; quod ex his verbis S. C. de Prop. Fide satis est.

(3) Fagn. *l. c.* Ballerini-Gury *II*, *n.* 806. Schmalz. *IV*, *XI*, *n.* 38. Giraldi *II*, *sect.* 112 citans S. C. C. in *Bobiensi* 20 *Dec.* 1653. Lehmkuhl *II*, *n.* 758.

(4) Schmalz. *l. c.* Sanchez *VII*, *LVI*, *n.* 10.

(5) Schmalz. *l. c.*, *n.* 38. Ballerini-Gury *l. c.* Sanchez *l. c.* De Justis *II*, *V*, *n.* 49.

(6) De Justis *l. c.*

(7) Feje *n.* 418.

Digitized by Google

745. 4° *Inter patrinos matrinasque et parentes subjecti*, idest inter patrinum et matrem, matrinam et patrem subjecti. Si uterque parens vel alteruter est infidelis vel haereticus, repetenda sunt quae supra n. 740, 741 diximus. Quod si unus parentum propriam prolem suscipiat, ea redeunt quae n. 743 disputavimus. Nempe si proles est illegitima, suscipiens cognationem contrahit cum comparte, quam proinde sibimet unire matrimonio amplius nequit sine dispensatione; si proles est legitima, non est inquietandus, sed casus vix practicus est.

746. 5° *Inter patrinos matrinasque et subjectum confirmationis*, dummodo patrini matrinaeque valide fuerint tales. Ad hoc requiritur, sicuti pro patrinis baptismatis:

a) Ut persona sit habilis. Talis non est persona non-baptizata, persona non-compos sui, persona non-confirmata juxta meliorem sententiam (1), quam S. C. C. in *Liciensi* 13 *Jun.* 1654 probavit. Accedit Pontif. Rom. *p. II, tit. I. De confirm.*: « Nullus, qui non est confirmatus, potest esse in confirmatione patrinus ». Et idem etiam aperte statuitur *can.* 102 *de consecrat. dist.* 4. Qua posita sententia, paternitas non reviviscit, etsi patrinus deinde confirmationem recipiat. Quaerunt DD. an quae Conc. Trid. *l. c.* de patrinis baptismatis statuit, applicari etiam debeant patrinis confirmationis. Probabilior sententia negat (2) contra Sanchez *VII, LVII, n.* 9; quia Conc. Trid. *l. c.* de his non loquitur. Hinc sequitur unum tantum vel unam posse infantem suscipere in confirmatione, quod usus Ecclesiae confirmat; patrinus vel matrina designatur a parentibus vel ab Episcopo (si confirmandus puer est), sed si praeter designatum alii quoque infantem susciperent, omnes esse veros patrinos et cognationem contrahere constat ex cit. *cap. ult. cit. tit. in* 6°. Personae vero quae illicite, etsi valide, patrini munus obeun in confirmatione praeter recensitas n. 744 pro baptismate sunt: patrinus baptismatis, nisi adsit necessitas; persona

(1) Schmalz. *IV, XI, n.* 41. Reiff. *n.* 17. Sanchez *VII, LX, n.* 20. Feje *n.* 425. Scavini *III, n.* 853. Lehmkuhl *II, n.* 758. S. Alph. *VI, n.* 186.

(2) S. Alph. *VI, n.* 185. Salm. *De confirm. n.* 50. Feje *n.* 423. Scavini *III, n.* 853.

Digitized by Google

diversi sexus a confirmando ; pater ac mater ; plures, cum unicus debeat esse.

b) Animus et tactus. Juxta consuetudinem a S. R. C. probatam die 20 *Sept.* 1749 patrinus manum dexteram super humerum dexterum confirmandi ponit (1).

747. 6° *Inter patrinos matrinasque et parentes subjecti*, idest patrinum et matrem, matrinam et patrem subjecti. Si uterque parentum vel alteruter sit infidelis vel haereticus, aut alteruter eorum, vel si unus propriam prolem in confirmatione suscipiat, applica quae alibi pro baptismate diximus. Huc usque decretum Tridentinum declaravimus.

748. Porro, ut omnes istiusmodi personae cognationem spiritualem cum impedimento contrahant, necesse minime est ut habeant intentionem illam contrahendi : nam, positis ponendis, ipso jure cognatio inducitur. Imo bene monet Schmalz. *IV, XI, n.* 36 : « Etsi levans (et idem dicas de caeteris) dum habet voluntatem praestandi munus patrini, protestetur se nullo modo velle contrahere cognationem spiritualem..., hac protestatione non obstante, adhuc eamdem contrahet, cum ab ipsius voluntate ac potestate non dependeat unum ab altero pro lubitu separari in iis quae statuto vel auctoritate Ecclesiae connexa sunt » (2). Et semel contracta cognatio ac impedimentum semper perdurat ; e. g. etiam mortuo subjecto, minister ac suscipientes cum illius parentibus nuptias inire nequeunt.

749. Cognatio spiritualis et impedimentum potest multiplex una simul reperiri : quod Giovine *II*, § 10, *n.* 3 ita exponit : « Hoc autem contingere solet : 1° si quis alicujus prolem nedum ex sacro fonte levavit, sed et in confirmatione ; 2° si quis ejusdem personae sobolem unam levavit in baptismo, alteramque in confirmatione tenuit ; 3° si alter alterius liberos vicissim suscepit ex baptismo, aut tenuit in confirmatione ; 4° demum si unus alterius prolem levavit ex baptismali fonte, alter vero illius prolem in confirmatione tenuit. Etenim in enunciatis casibus cum attinentiae vinculum ex diversis omnino causis pro diversitate sacramentorum

(1) S. Alph. *VI, n.* 187.
(2) Sanchez *VII, LVIII, n.* 4. Reiff. *IV, XI, n.* 25. Giovine *I*, § 215, *n.* 8.

Digitized by Google

vel personarum profluat, duplex enascitur cognationis vinculum ». Quod si quis plures ejusdem personae filios ex sacro fonte levavit, vel tenuit in confirmatione, una tantum est compaternitas et impedimentum : quod et Clem. VIII declaravit. Hinc quando petitur dispensatio super compaternitate, sufficit exprimere in instantia quod orator oratricis *prolem* ex alio viro susceptam tenuit, licet plures tenuerit filios (1).

750. Hoc impedimentum esse juris ecclesiastici tantum, ideoque Ecclesiam posse in eodem dispensare evidens est. In paternitate difficilius dispensatur (2), quia revera matrimonium longe indecentius est, et nonnisi ex causa urgentissima, e. g. ob vitae periculum oratoribus ex carnali copula imminens (3). Fagn. in *cap.* 8 *cit. tit. n.* 16 refert S. C. C. declaravisse contractam fuisse cognationem a puella novem annorum, quae puerum de sacro fonte levavit, et deinde cognationis immemor eidem nupsit, sed dispensationem esse concedendam ; quam tamen Greg. XIII concedere noluit ; ac deinde rigidus auctor minime probat hanc dispensationem concedi ob dotis incompetentiam, licet fateatur id aliquando factum fuisse. S. Poenitentiaria, teste De Angelis *IV, XI, n. ult.*, concedens Ordinariis indultum dispensandi, excipere solet *levantem* et *levatum* ; quae exceptio est etiam in facultatibus quae Vicariis Apost. dari solent (4). In compaternitate autem vel commaternitate facile ex quacumque justa causa dispensatur. Hinc alias diximus in instantia exprimi debere an agatur de paternitate vel compaternitate ; an cognatio una sit vel multiplex ; an tandem oriatur ex baptismo vel confirmatione.

3°. — *Cognatio legalis in sensu stricto* (5).

751. Est *propinquitas personarum quae oritur ex adoptione legitima idest facta ad normas civilis legis.* Cum enim

(1) De Justis *II, V, n.* 43. Giovine *l. c. n.* 4. Reiff. *IV, App. n.* 201.
(2) Fridericus Schulte *Manual. Jur Mat. Cath.* affirmat pluribus Germanis hanc dispensationem nuperrime concessam fuisse.
(3) Schmalz. *IV, XI, n.* 57. Giovine *I,* § 217, *n.* 1 *sequ.* De Justis *II, V, n.* 72. Sanchez *VIII, XXV, n.* 15.
(4) Collect. Paris. *n.* 31.
(5) Vide canonistas *in tit. De cognatione legali XII, lib. IV Decret.*

Digitized by Google

adoptio legitima sit extraneae personae in filium vel nepotem legitima assumptio (1), patet exinde enasci personarum propinquitatem, quae dicta est *cognatio legalis* ut a naturali distingueretur, quaeque constituit impedimentum matrimonium dirimens inter personas propinquas. Ratio autem praecipua, qua hoc dirimens impedimentum fuit introductum, ita exponitur a S. Thoma *l. c. a.* 2: « Lex divina illas personas praecipue e matrimonio exclusit quas necesse est cohabitare, ne, ut Rabbi Moyses dicit, si ad eas liceret carnalis copula, facilis pateret concupiscentiae locus, ad quam reprimendam matrimonium est ordinatum; et quia filius adoptatus versatur in domo patris adoptantis sicut filius naturalis, ideo legibus humanis prohibitum est inter tales matrimonium contrahi, et talis prohibitio est per Ecclesiam approbata, et inde habetur quod legalis cognatio matrimonium impediat ».

752. Ut hoc canonicum impedimentum exponamus, principii loco animadvertimus Ecclesiam cognationem legalem cum impedimento matrimoniali eo prorsus modo quo a jure civili Romano statuta fuerant, canonizavisse, ut dicitur, pro fidelibus. Id eruitur ex responso Nicolai I ad consulta Bulgarorum, quod refertur in *can.* I, *c.* 30, *q.* 3 in Decreto: «... nec inter eos, qui natura, et eos, qui adoptione filii sunt, venerandae Romanae leges matrimonium contrahi permittunt. Si ergo inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio jungit, quanto potius..... » Hinc cit. titulus in Decretalibus Greg. IX *De cognatione legali*, in quo sub *cap. un.* est aliud fragmentum ejusdem responsi Nicolai I ad Bulgaros ex § 2 *Inst. De nuptiis* desumptum: « Si qua per adoptionem mihi soror esse coeperit, quandiu durat adoptio, inter me et ipsam nuptiae consistere non possunt ». Et concinit Paschalis II *can.* 5, *c.* 30, *q.* 3 in Decreto, si tamen hic canon Paschalem II habet auctorem. Tandem haec est unanimis omnium sententia. Audiatur Ben. XIV *De Syn. IX, X, n.* 5: «... et cognationem legalem et ea quae ex ea ad nuptias profluunt obstacula, eo prorsus modo quo a jure

(1) S. Thomas *in* 4 *dist.* 42, *q.* 2, *a* 1 cum communi. Ast de facto adoptio fieri non solet nisi in filium.

Digitized by Google

civili statuta fuerant, universim recepit approbavitque Nicolaus I..... Quamobrem si quaestio incidat sive in tribunali ecclesiastico sive etiam in synodo an in hoc vel illo casu adsit *impedimentum cognationis legalis*, *necessario recurrendum erit ad leges civiles*, *atque ad earumdem normam controversia decidenda* ». Quando autem doctus Pontifex nominat *jus civile* vel *civiles leges*, intelligere jus civile vel civiles leges Romanorum non est dubium. Videamus igitur quandonam adsit jure Romano cognatio legalis nuptias irritans, et toties adesse quoque dicendum erit canonicum impedimentum.

753. Sed in primis notandum est adoptionem Romani juris post Justinianum aliam esse *perfectam* seu *plenam*, et aliam *imperfectam* seu *minus plenam*. Haec rite intelligi nequeunt, nisi aliquid ex Romano jure de adoptione enarremus.

Ante Justinianum cujusque adoptionis essentialis effectus erat ut adoptatus transiret in familiam et potestatem adoptantis ad instar filii naturalis et legitimi, et consequenter suam familiam desereret, et a potestate patris naturalis eximeretur ; quippe ex inconcusso Romanorum principio nemo poterat ad duplicem familiam pertinere, aut plurium potestati subesse. Distinguebatur autem *arrogatio* et *adoptio in specie* ; illa erat adoptio personae sui juris, haec erat adoptio personae alieni juris ; quae duae adoptiones et solemnitatibus et effectibus differebant. Pro arrogatione necessarius erat non solum consensus adoptantis et adoptati (1), sed etiam consensus populi Romani, arbitris pontificibus, in comitiis curiatis, quia haec adoptio graves mutationes secumferebat in civitate et in religione. Hinc nomen *arrogationis*. « Dicitur arrogatio, quia et is qui adoptat, rogatur idest interrogatur an velit eum, quem adoptaturus sit, justum sibi filium esse ; et is qui adoptatur, rogatur an id fieri patiatur ; et populus rogatur, an id fieri jubeat » ait Cajus *I*, 29. Popu-

(1) Hinc impuberes arrogari non poterant ne interveniente quidem auctoritate tutoris; ut enim ait Gellius *lib. V, C.* 19, tutoribus fas non est, ut caput liberum fidei suae commissum alienae ditioni subjiciant. Antoninus Pius tandem arrogationem eis concessit, servatis servandis.

Digitized by Google

lus autem suum consensum non dabat, nisi probantibus pontificibus. Curiatis deinde comitiis in desuetudinem abeuntibus, in eorum locum suffecti sunt triginta lictores (1), coram quibus apud pontifices arrogationes fiebant. Tandem imperii tempore, cum imperator jura omnia usurpavisset, haec adoptio fieri coepit rescripto imperatoris. At arrogatio eosdem semper produxit effectus; nempe arrogatus, familiam arrogantis ingressus, in ejus veniebat potestatem, eidem aliisque sub ejus potestate agnascebatur, nomen illius sumebat, et in illius sacra transibat; dum e contrario sua familia extinguebatur, et dii lares sine cultore remanebant. Adoptio in specie peragebatur ordinaria forma *mancipationis* et subsequentis *manumissionis* apud eum, qui legis actionem habebat, scilicet Romae apud praetorem, in provinciis apud praesides earum: et quidem si de filio masculo et primi gradus in suitate ageretur, trina requirebatur mancipatio; secus una sufficiebat (2). Quo posito, adoptionis iidem erant effectus ac arrogationis quoad terminum *ad quem*; sed quoad terminum *a quo* familia non extinguebatur, et ideo dii domestici suos cultores conservabant, imo adoptatus nomen familiae retinebat leviter inflexum, e. g. Caesar dictus est *Octavianus* quia de *Octavia familia*.

Justinianus arrogationem personae sui juris in suo statu reliquit, sed in adoptione personae alieni juris duplicem mutationem invexit. Suppressis illis obsoletis mancipationis et manumissionis ritibus, jussit hanc adoptionem fieri per simplicem declarationem apud competentem judicem factam a patre, qui filium adoptandum concedit, praesente eo qui adoptatur et non contradicente, nec non eo qui eum adoptat (3). Ac insuper constituit personam alieni juris adoptatam ab extraneo nec transire in familiam et potestatem adoptantis, nec e familia et potestate patris naturalis exire; sed hoc unum commodum ex adoptione habere, ut succederet adoptanti ab intestato. Verba Justiniani in § 1 *Inst. De adoption.* haec sunt: « Adoptio autem duobus modis fit aut

(1) Cic. *De leg. agrar. contr. Rullum II*, 12.
(2) Gai *I*, 134.
(3) *L.* 11 *C. De adoptionibus.*

Digitized by Google

Principali rescripto aut imperio Magistratus. Imperatoris auctoritate adoptare quis potest eos easve, qui quaeve sui juris sunt ; quae species adoptionis dicitur arrogatio. Imperio magistratus adoptamus eos, qui quaeve in potestate parentum sunt, sive primum gradum liberorum obtineant, qualis est filius, filia, sive inferiorem, qualis est nepos, neptis, pronepos, proneptis. Sed hodie ex nostra constitutione cum filiusfamilias a patre naturali extraneae personae in adoptionem datur, jura patris naturalis minime dissolvuntur, nec quidquam ad patrem adoptivum transit, nec in potestate ejus est, licet ab intestato jura successionis ei a nobis tributa sint. Si vero pater naturalis non extraneo, sed avo filii sui materno, vel si ipse pater naturalis fuerit mancipatus, etiam avo paterno, vel proavo simili modo paterno vel materno filium suum dederit in adoptionem ; in hoc casu quia concurrunt in unam personam et naturalia et adoptionis jura, manet stabile jus patris adoptivi et naturali vinculo copulatum et legitimo adoptionis modo constitutum, ut et in familia et in potestate hujusmodi patris adoptivi sit ».

Post hanc Justiniani legem adoptio merito partita est in *perfectam* seu *plenam*, quae est adoptio vel personae sui juris (arrogatio), vel personae alieni juris facta ab ascendente seu paterno seu materno ex Principis rescripto, qua adoptatus ita transit in potestatem et familiam adoptantis ut, perinde ac filius naturalis ac legitimus, fiat ejus haeres necessarius tam ab intestato quam ex testamento ; et in *imperfectam* seu *minus plenam*, quae est adoptio personae alieni juris ab extraneo, qua adoptatus nec eximitur a familia et potestate patris naturalis, nec transit in familiam et potestatem adoptantis, sed eidem ab intestato succedit, licet praeteriri possit in testamento (1).

754. Hoc posito, si quaeratur inter quas personas cognatio legalis jure Romano contrahatur, regulam generalem dat jurisconsultus Paulus *l.* 23 *ff. De adoption.* his verbis : « Qui in adoptionem datur *iis quibus agnascitur, cognatus fit, quibus vero non agnascitur, nec cognatus fit* :

(1) Ben. XIV *De Syn. IX, X, n.* 4. D'Annibale *I*, § 51.

Digitized by Google

adoptio enim non jus sanguinis sed jus agnationis affert ». Omnes interpretes ac periti juris civilis eadem repetunt (1). Ita Donellus *II*, *XXII*, *n.* 24 haec habet : « Qui adoptatur a parente naturali, ut agnascitur patri adoptivo, ita omnibus agnatis itidem et ipse fit agnatus eodem jure eodemque ordine quo agnatus esset, si natus esset ex legitimis nuptiis. Sic enim necesse est, si pro legitimo et naturali filio habetur. Quod et pro confesso sumitur *l. qui in adoptionem D. eodem*..... Ac quibus agnascitur filius adoptivus eisdem et cognatus efficitur ; quibus vero non agnascitur, non fit cognatus. Adoptio enim non jus sanguinis sed agnationis affert, ut, hac praecedente, sequatur cognatio, quoniam omnes agnati sunt cognati *l. jurisconsultus*, § 1, *l. non solum*, § 1 *D. De grad. et affin.;* hac non praecedente, cognatio nulla sit ». Proinde patet cognationem legalem jure Romano intercedere inter omnes qui vi adoptionis sunt agnati, idest de adoptantis familia sub ejus potestate (2).

755. Ex his autem jam apparet legalem cognationem jure Romano non enasci ex adoptione imperfecta, quia taliter adoptatus non transit in familiam et potestatem adoptantis, ideoque eidem aliisque sub ejus potestate non fit agnatus, ac proinde nec cognatus. Unde in casu impedimentum matrimoniale *cognationis legalis* jure civili et canonico ne concipi quidem potest (3). Non pauci censent etiam hanc adoptionem producere ecclesiasticum impedimentum, quia canones de adoptione simpliciter et in genere loquuntur (4).

(1) Vinnius *ad Instit. tit. X, De nuptiis*, § 3 in fine. D'Annibale *I*, § 65.

(2) Notum est *agnatos* jure Romano esse omnes qui ad familiam pertinent sub potestate patrifamilias, vel pertinerent, si hic viveret ; hos, inquam, agnatos esse tum patrifamilias tum aliis omnibus de familia sub ejus potestate ; *cognatos* vero esse consanguineos qui extra familiam erant e. g. filius emancipatus. Cf. Ortolan *Législation romaine*, *p. I, tit. I, n.* 64. *Explic. hist. des Instituts, n.* 86, 194. At cognationis vocabulum aliquando et cognatos et agnatos continebat.

(3) D'Annibale *I*, § 65. S. Alph. *VI*, *n.* 1027. Sanchez *VII, LXIII, n.* 9. Schmalz. *IV, XII, n.* 19. Pirhing *n.* 4. Ben. XIV *De Syn. IX, X, n.* 5 hanc quaestionem dicit indecisam et decidendam ex solis juris civilis sanctionibus.

(4) Reiff. *IV, XII, n.* 10. Pontius *VII, IV, n.* 1. Clericat. *XXVIII, n.* 27. Barbosa in *cit. tit. De cognatione legali.* Glossa in *c.* 1, *c.* 30, *q.* 3 *v. Quod autem.* Vecchiotti *III*, § 94.

Digitized by Google

Respondemus hos canones, cum loquantur de impedimento *cognationis legalis*, esse intelligendos de illa tantum adoptione, quae legalem cognationem parit. Caeterum an matrimonium inter personas propinquas adoptione imperfecta irritum sit jure civili ob alias causas praeter cognationem legalem, definiri non potest ex legibus ante-Justinianeis, quae agunt de sola perfecta adoptione; sed haec impedimenta matrimonialia, etsi evincantur, numquam afficient fideles, quia Ecclesiam a jure Romano impedimentum legalis cognationis legitur recepisse, non autem haec alia impedimenta.

756. Ex adoptione vero perfecta cognatio legalis jure Romano oritur.

1° Ad instar *paternitatis* in linea recta inter adoptantem et adoptatum vel adoptatam; item inter adoptantem et adoptati liberos sub ejus potestate quocumque gradu, quippe qui una cum paterfamilias adoptato transierunt in familiam et potestatem adoptantis, a quo censentur adoptati *l.* 15 *D. De adoptione*, et ideo eidem agnati et cognati fiunt. Hinc paternitas legalis, sicut naturalis, habet gradus; e. g. inter adoptantem et adoptatum est paternitatis cognatio in primo gradu, inter adoptantem et filiam adoptati in secundo..... Haec autem cognatio in quocumque gradu jure civili ideoque et canonico irritat nuptias ex *l.* 55 *ff. De ritu nuptiarum*, cui consonat § 1 *Inst. De nuptiis*, quam expresse recipit et probat Nicolaus I relatis verbis (n. 752) pro fidelibus (1). Quod impedimentum perdurat etiam soluta adoptione aut patria potestate per emancipationem. « Itaque eam, quae tibi per adoptionem filia vel neptis esse coeperit, non poteris uxorem ducere quamvis eam emancipaveris » ait Justinianus cit. § 1 *Inst. De nuptiis*. Et pariter adoptans nequit uxorem ducere filiam adoptati emancipatam post adoptionem, et ita porro. Heic admonendi sumus mulierem jure Romano adoptare non potuisse ex § 10 *Inst. De nuptiis*,

(1) Nonnulli censent impedimentum legalis paternitatis jure canonico restrictum fuisse ad quartum gradum ex *cap.* 8, *De cons. et aff.*; sed immerito, cum hoc caput de una linea transversa consanguinitatis et affinitatis agat. Caeterum quaestio practica non est.

Digitized by Google

quia adoptio erat fons patriae potestatis, cujus mulieres erant incapaces. At rescripto principis poterant reddi capaces patriae potestatis et adoptionis activae, et tunc inter mulierem adoptantem et virum adoptatum hujusque liberos erat agnatio et cognatio legalis nuptias, ut supra, irritans tum jure civili tum proinde jure canonico (1).

757. 2° Ad instar *fraternitatis* in linea obliqua inter adoptatum vel adoptatam et liberos adoptantis sub hujus potestate sive naturales et legitimos natos seu ante seu post adoptionem, quod nemo negat (2), sive legitimos tantum idest adoptivos, quidquid nonnulli dixerint (3), cum ii omnes pertineant ad familiam adoptantis sub ejus potestate, ideoque agnati et cognati sint; non autem naturales tantum, quippe qui non sint de familia sub patris potestate. AA. communiter docent non esse legalem fraternitatem inter filios duorum adoptatorum sub eorum et postea sub adoptantis potestate (4). Id quidem falsum est, si proprie loqui velimus, quia evidenter et ii sunt agnati ideoque et cognati, sed verum est hanc legalem fraternitatem neque civili neque proinde canonico jure irritare nuptias inter eos ob rationem mox afferendam, et ita illa sententia communis explicatur. Etiam fraternitatis cognatio legalis, ad instar naturalis, suos habet gradus; e. g. Titius adoptatus cognatus est computatione civili in secundo gradu cum filiis adoptantis, in tertio cum ejusdem nepotibus descendentibus ex eisdem filiis, in quarto cum pronepotibus..... Et matrimonium jure civili irritat, sicut naturalis cognatio in linea obliqua, usque ad tertium gradum inclusive; et ita etiam jure canonico, quod hac in re jus civile Romanum sequitur. Hinc matrimonium consistere non potest tum jure civili tum jure canonico inter adoptatum vel adoptatam et liberos adoptantis legitimos et

(1) Sanchez *VII, LXIII, n.* 12. D'Annibale *III,* § 303.

(2) Cum adoptio concessa fuisset in solamen eorum qui filiis carebant, adoptare jure Romano non poterant qui filios habebant aut habere poterant, nisi ex speciali principis licentia.

(3) Reiff. *IV, XII, n.* 8. Schmalz. *IV, XII, n.* 34. Sanchez *VII, LXIII, n.* 28.

(4) Schmalz. *n.* 35. Sanchez *n.* 29.

Digitized by Google

naturales usque ad tertiam generationem ex *l.* 17 *ff. De ritu nuptiarum* et § 3 *Inst. De nuptiis*, quam expresse recipit et probat Nicolaus I et Paschalis II locis relatis : item nec inter adoptatum et adoptatam ex *l.* 23 *C. De adoption.* At inter filium et filiam duorum adoptatorum matrimonium jure civili permittitur ex *l.* 3 *ff. De ritu nuptiarum* et § 4 *Inst. De nuptiis*, quia sunt in quarto gradu civilis computationis, ideoque matrimonium permittitur etiam jure canonico. At impedimentum matrimoniale ex hac fraternitatis cognatione proveniens jure civili ideoque et canonico eo ipso cessat, cessante adoptione vel patria potestate. « Sed et si qua per adoptionem sorór tibi esse coeperit, quamdiu quidem constat adoptio, sane inter te et eam nuptiae consistere non possunt, cum vero per emancipationem adoptio sit dissoluta poteris eam uxorem ducere. Sed et si emancipatus fueris, nihil est impedimento nuptiis » Justinianus § 2 *Inst. De nuptiis.*

758. 3° Commune est inter DD. adesse quoque legalem cognationem, ad instar cujusdam *affinitatis*, irritantem matrimonium inter viduam adoptantis et adoptatum, inter adoptantem et viduam adoptati. Id indiget declaratione. Certe matrimonium jure Romano inter has personas esse non potest, etiam soluta adoptione, ob publicam honestatem ex *l.* 14 *ff. De ritu nuptiarum :* « Adoptivus filius, si emancipetur, eam quae patris adoptivi uxor fuit, ducere non potest, quia novercae locum habet. Item si quis filium adoptaverit, uxorem ejus, quae nurus loco est, ne quidem post emancipationem filii ducere poterit, quoniam aliquando nurus ei fuit ». Sed cognatio legalis, ideoque impedimentum legalis cognationis inter illas personas est necnę? Quaestio huc redire debet, an jure Romano uxor sit de familia mariti sub ejus potestate ; si enim affirmative, manifeste sequitur viduam adoptantis adoptato, et viduam adoptati adoptanti agnatam esse et proinde cognatam ; si negative, haec agnatio et cognatio nulla est. Jam vero si uxor in *manum mariti convenerat usu*, *farreo*, *coemptione*, erat de familia mariti sub ejus potestate. At haec omnia jam longe ante Justinianum abrogata fuisse vel in

Digitized by Google

desuetudinem abiisse interpretes juris Romani docent (1). Praeter hunc casum uxor vi stricti juris Romani non erat de familia mariti sub ejus potestate, proinde nec uxor adoptantis adoptato, nec uxor adoptati adoptanti agnata et cognata. Id expresse affirmat jurisconsultus Paulus in *cit. l.* 23 *ff. De adoption.* ; nam post verba relata n. 754 subdit : « Ideo et si filium adoptaverim, uxor mea illi matris loco non est, neque enim agnascitur, propter quod nec cognata ejus fit ». Hinc in *l.* 4 § *penult. ff. De grad. et affin.* legitur : « In ea familia, ad quam (adoptatus) per adoptionem venit, nemo est illi cognatus praeter patrem eosve quibus agnascitur ; affinis autem ei omnino in ea familia nemo est ». Haec, inquam, vi stricti juris Romani ; nam etiam ante Justinianum, suppressa ob influxum Christianae religionis maritali potestate, maritus obtinuit auctoritatem maritalem in uxorem, quae adeo pertinuit et pertinet ad familiam mariti, ut post ipsum fuerit et sit secundarium familiae caput. Tunc igitur uxor adoptantis evasit et est agnata et ideo cognata adoptato, sicut uxor adoptati agnata et cognata adoptanti. Proinde impedimentum quoque cognationis legalis matrimonium inter ipsos irritavit et irritat sicuti jure civili ita et canonico (2). Confirmatur ex responsione S.C.C. in *Hortana* 26 *Sept.* 1734. Nam Antonius Menicacci adoptavit Valentinum infantem expositum et quidem adoptione perfecta, ut videtur, quippe illum apud se recipiebat uti filium proprium legitimum naturalem (3). Valentinus uxorem duxit, eoque demortuo, Antonius viduam in uxorem ducere cupiebat. Propositis dubiis : « 1° An constet de impedimento cognationis legalis in casu de quo agitur ? Et quatenus affirmative ; 2° An sit consulendum Ssmo pro dispensatione ? », S. C. reposuit *ad utrumque affirmative.*

759. Praeter quam cum iis personis, cognationem lega-

(1) Ortolan *Explic. hist. des Instit. n.* 130 *sequ.*

(2) Pirhing *IV, XII, n.* 2. Reiff. *n.* 9. Schmalz. *n.* 12. Engel *n.* 5. Sanchez *VII, LXIII, n.* 13. Gonzales *cit. cap. un. cit. tit.* contra D'Annibale *I,* § 65, *not.* 21.

(3) Ben. XIV *l. c.*

Digitized by Google

lem adoptatus cum aliis jure Romano non contrahit ; ideoque nec impedimentum legalis cognationis jure seu civili seu canonico. Matrimonium cum nonnullis aliis personis jure Romano permissum est, cum aliis prohibitum non ratione cognationis legalis, sed publicae decentiae ac honestatis. Ita cognatio legalis non est inter adoptantem aut ejus filium et filiam etiam legitimam adoptatae, quia haec est extra potestatem matris ideoque non agnascitur adoptanti ejusve filio, qui potest eam ducere uxorem « quia neque naturali neque civili jure tibi conjungitur » § 3 *Inst. De nuptiis.* Pariter inter adoptantem et filiam illegitimam adoptati nec cognatio legalis est, quia filii naturales tantum non sunt sub patris potestate § 12 *Inst. De nuptiis*, nec matrimonium ullatenus vetatur. Idem dicatur de adoptato vel adoptata et filia vel filio naturali tantum aut emancipato viri adoptantis, aut filia vel filio etiam legitimo mulieris adoptantis ex Principis licentia, cum non sint sub ejus potestate. E contrario inter adoptatum et matrem adoptantis nulla pariter cognatio legalis est ex cit. *l.* 23 *De adoption.*, cum mater sit extra filii familiam, sed matrimonium, durante adoptione, consistere non potest « propter reverentiam quam matri patris adoptivi propter patrem debeo quamdiu in familia ejus sum, et tetrum esset me patris mei, licet adoptivi, fieri vitricum » ait Vinnius in § 1 *Inst. De nuptiis.* Idem repetas de adoptato et amita adoptiva (sorore adoptantis) aut matertera, magna amita, magna matertera ex *l.* 12 *ff. De ritu nuptiarum, l.* 55 *ff. De nuptiis*, § 5 *Inst. De nuptiis* ; idemque de adoptata ac fratre adoptantis..... At cum inter omnes has personas impedimentum cognationis legalis non adsit, licet nuptiae aliis de causis jure Romano prohibeantur, sequitur jure canonico matrimonium inter eas esse validum et licitum, quia Ecclesia illa alia impedimenta non recepit.

760. Quae huc usque diximus satis declarant impedimentum cognationis legalis jure Romano inductum et ab Ecclesia receptum. Quaesitum est an canonicum impedimentum oriatur etiam ex adoptione juxta recentiores legislationes. Pauci generaliter negant (1) ; alii generaliter affir-

(1) Romani, Manzo apud Giovine *I*, § 221, *n.* 2.

Digitized by Google

mant, dummodo adoptio lege civili recepta, et ad ipsius civilis legis normam perfecta sit (1): nos cum aliis (2) distinguimus : Si haec adoptio respondet quoad essentialia perfectae Romanorum adoptioni, affirmamus, quia jus canonicum recipiens jus Romanum ad essentialia respexisse dicendum est, et ideo recepisse quoque illam adoptionem ; secus negamus, etsi illa adoptio constituat civile impedimentum, quia Ecclesia hac in re jus Romanum approbavit. Hinc regula Ben. XIV tradita verbis relatis n. 752: « Si quaestio incidat sive in tribunali ecclesiastico sive etiam in synodo an in hoc vel illo casu adsit impedimentum cognationis legalis, *necessario recurrendum erit ad leges civiles* (intellige Romanas) *atque ad eorumdem normam* (intellige quoad essentialia) *controversia decidenda* ». Essentiale autem perfectae adoptionis hoc unum videtur esse, quod adoptatus in familiam et potestatem adoptantis transeat ad instar filii naturalis et legitimi, ideoque fiat ejus haeres necessarius ; tunc enim agnatio oritur et cognatio. Proinde putamus, salva meliori sententia, ex adoptione juxta recentiores legislationes impedimentum canonicum oriri, si adoptatus dispositione civilis juris transeat in familiam et potestatem adoptantis ; secus non oriri, quia nullatenus est adoptio Romana producens impedimentum, et nec ratio impedimenti verificatur (n. 751) (3). Neque dicas rationem impedimenti etiam in his adoptionibus verificari, cum adoptatus in domum adoptantis de facto recipi soleat et ibidem commorari ; nam id est per accidens, non ex lege, sed ex moribus, et nec semper verum est : nos autem ad legem ipsam attendere debemus. Caeterum si admittatur impedimentum etiam ex his adoptionibus produci, valedicendum erit principio ab omnibus usque modo recepto, scilicet quod Ecclesia hac in re canonizaverit impedimentum cognationis legalis juris Romani. Retento hoc principio, censemus impedimentum ad has adoptiones extendi non posse nisi decreto pontificio, quia

(1) De Angelis *IV, XII, n.* 3. Vecchiotti *III*, § 94. Santi *IV, XII, n.* 10.
(2) Instructio Austriaca § 28. Giovine *l. c.* D'Annibale *I*, § 65, *not.* 32, quamquam in *3ª edit.* sententiam suam mitiget.
(3) Lehmkuhl *II, n.* 759.

Digitized by Google

interpretatio foret extensiva. « Sed optandum est ut haec S. Sedis oraculo definiantur » ait merito D'Annibale *I*, § 65, praesertim cum responsiones contrariae habeantur. Modo nonnullas legislationes percurramus, de quibus actum fuit.

761. « In *Bulgariae* provincia mos est, ut patresfamilias aliquando sibi in filios adoptent absque ulla juris solemnitate aliquos pueros vel puellas. Hujusmodi adoptati communiter inter catholicos ibi commorantes veluti filii legitimi reputantur adeo ut in haereditate etiam succedant. R. D. Roveranus missionarius..... S. C. de Prop. Fide humiliter supplicavit ut declarare dignaretur an talis adoptio impedimentum pareret cognationis legalis. Eadem S. C. instantiam remisit ad S. C. S. Officii. Deinde in Congreg. Generali habita coram Ssmo D. N. *feria V*, *die* 16 *Apr.* 1861 Ssmus declaravit praefato in casu nullum existere impedimentum » (1). Juxta exposita lex civilis adoptionem regens deesse videtur, ideoque haec responsio juxta omnes nullam praesefert difficultatem.

762. Eidem S. C. de Prop. Fide propositum fuit dubium : « An habenda sit pro impedimento canonico matrimonium dirimente adoptio *in regno Tonkini*, quando juxta leges et consuetudines ejusdem regni persona nondum sui juris adoptare potest, neque requiritur ut adoptans major sit XXV annis, sicut parum curatur utrum sit masculus an foemina, ipsi quoque eunuchi adoptare valent, neque habetur ratio aetatis adoptantis relative ad personam adoptatam, neque etiam requiritur personae adoptatae praesentia, vel ejusdem in adoptione consensus ita ut etiam parvuli et puellae absentes ac veri consensus incapaces in filios et filias adoptari possint ». S. C. *die* 14 *Jan.* 1802 reposuit *negative* (2). Sane haec adoptio, licet juxta leges civiles vigentes perfecta, nimis ab adoptione perfecta juris Romani abhorret.

763. E contrario de adoptione in *Imperio Austriaco* Instructio Austriaca § 29 haec habet : « Adoptio juris Austriaci intra praefatos terminos matrimonium dirimit, quoties adoptatus paternae adoptantis potestati subjiciatur, vel

(1) Ferraris *v. matrimonium, art.* 2, *additio ex noviss. edit. rom.*
(2) Ex Collect. Paris. *n.* 869.

Digitized by Google

in ejusdem domum filiorumfamilias ad instar cohabitaturus recipiatur. Quod si autem neque paternae adoptantis potestati subjiciatur, neque in ejusdem domum cohabitaturus recipiatur, adoptio juris Austriaci imperfectae aequiparanda est, et nullum matrimonii impedimentum involvit ». Juxta *art.* 182 codicis Austriaci adoptatus a patris sui naturalis potestate eximitur, et juxta *art.* 183 transit in potestatem adoptantis : quae perfectae Romanorum adoptioni quoad essentialia consona sunt.

764. An adoptio codicis Gallici hoc impedimentum pariat, DD. inter se non conveniunt. Alii affirmant (1) innixi praesertim auctoritati S. Poenitentiariae. Nam D. Lasserre Vicarius Generalis Petrocorensis proposuit dubium : « Cum in eodem regno Galliae adoptionis jus modo legaliter sit receptum, quaeritur an canonicum impedimentum adoptionis dirimens locum etiam habere debeat ». S. Poenitentiaria respondit 17 *Maii* 1826 : « Affirmative, si res sit de adoptione legitime inita ». Alii negant (2), quia haec adoptio longe distat a perfecta juris Romani adoptione. Sane jura patris naturalis non minuuntur ex *art.* 372, 384, 389 ; nec adoptatus a patris sui naturalis potestate eximitur ex *art.* 349 ; nec in adoptantis potestatem ex *art.* 348, 349, aut familiam ex *art.* 314 transit. Hoc unum perfectae Romanorum adoptionis haec adoptio habet, quod scilicet adoptatus censeatur perinde quasi filius legitimus et naturalis ex *art.* 350, qui proinde succedit ab intestato et praeteriri non potest in testamento. Si igitur verum est Ecclesiam hac in re recepisse impedimentum juris Romani, cum hujusmodi adoptio codicis Gallici a perfecta Romanorum adoptione in substantialibus differat, dicendum est non parere canonicum impedimentum. Ad auctoritatem vero S. Poenitentiariae dici potest cum Secretario S. C. C. (n. 728) S. Poenitentiariam sua responsione potius casibus practicis tutiori via consulere voluisse. Saltem in casu impedimentum legalis co-

(1) De Angelis *l. c.* Santi *l. c.* Vecchiotti *l. c.* Scavini *III*, *n.* 785, Giovine *I*, § 221.

(2) Gury *II*, *n.* 809. André, Courbier, Lehmkuhl *l. c.*

Digitized by Google

gnationis dubium est, ideoque nullum (1). D'Annibale *I*, § 65, 3 *edit.* putat inter adoptantem et adoptatum impedimentum canonicum oriri, quia hic illi agnascitur, quatenus scilicet habet jura successionis. Sed, salva reverentia doctissimo Cardinali, agnatio ad normam Romani juris, si proprie loqui velimus, in casu non intelligitur. Nam, ut supra diximus, agnatus Romano jure est ille qui pertinet ad familiam sub potestate patrisfamilias, qui agnatus deinde veluti per consequens habet jura successionis ; atqui in casu nostro adoptatus, licet ex lege habeat successionis jura, tamen non transit in familiam et potestatem adoptantis ; ergo vere ei agnatus non est, nec proinde cognatus. Inter fratres vero censet cit. Auctor *l. c.* impedimentum canonicum oriri non ex jure, sed ratione juris, quae adest, cum de facto adoptatus in domum et familiam adoptantis transeat. Sed, aliis omissis, hac lata, imo extensiva interpretatione ex ratione legis praesertim in odiosis uti non licet.

765. « Ipsa S. C. S. Officii, prout habetur authenticum exemplar in *tom.* 23, *n.* 249 *Actor.* S. Poenitentiariae, in *Neapolitana* ad dubium : *an adoptio celebrata in forma praescripta a codice civili Regni Neapolitani producat necne impedimentum canonicum cognationis legalis dirimens matrimonium* respondit sub die 23 *Febr.* 1853 *affirmative* » De Angelis *l. c.* Jam vero atendum est adoptionem codicis Regni Neapolitani cohaerere adoptioni Gallicae, et nominatim ex *art.* 272 adoptatum remanere in sua familia naturali, et in ea omnia sua jura conservare.

766. Tandem de dispensatione ab hoc impedimento brevis est sermo. Patet hoc impedimentum esse juris ecclesiastici tantum, ideoque Ecclesiam posse in eodem dispensare. At in paternitate difficillime et nonnisi ex causa gravi dispensat (2). In affinitate facilius (3), cum ex Nicolao I in *cit. can.* 1, *c.* 30, *q.* 3 cognatio spiritualis fortius matrimonium impediat, in qua tamen dispensatio haud difficile ex juxta aliqua causa conceditur. Tandem in fraternitate dis-

(1) Ballerini-Gury *l. c.*
(2) Giovine *I*, § 222. De Justis *II, VI, n.* 51. Schmalz. *IV, XII, n.* 37.
(3) Folium S. C. C. in cit. *Hortana*.

Digitized by Google

pensatio peti non solet, cum per emancipationem hoc impedimentum evanescat (1).

SCHOLION

DE CASU, UTI VOCANT, PERPLEXO.

767. Quaeritur quomodonam sese gerere debeat parochus aut confessarius deprehendens aliquod dirimens impedimentum, quando omnia parata sunt ad nuptias et matrimonium differri nequit sine magno scandalo et gravibus incommodis. Hic casus dicitur *perplexus*, quia magnas parere solet perplexitates.

768. Ad parochum quod attinet, si impedimentum resciverit ex confessione, patet posse et debere matrimonio assistere, quia in foro externo illud ignorat. Si extra confessionem, distinguendum est. Vel impedimentum est publicum sive notitia sive natura, et tunc parochus non assistat, sed rem deferat ad Ordinarium. Ad rem Synodus Albanensis cit. *p. II, a. IX :* « Si quando contingerit aliquod impedimentum dirimens detegi ipso die quo contrahendum sit matrimonium, dum omnia ad nuptias sunt parata earumque celebratio differri non potest sine gravi incommodo, tunc si impedimentum est publicum idest vel notorium, vel quod in foro externo probari possit, parochus nullo modo admittere potest sponsos ad contrahendum, remque totam nobis aut Vicario nostro Generali sine mora significet ». Vel impedimentum est occultum ita ut neque probari possit in foro externo, et tunc si tempus non est consulendi Ordinarium, parochus assistat, et deinde omnia Ordinario enarret. Nam Synodus Albanensis post relata verba addit : « Si vero impedimentum sit occultum quodque in foro externo probari non possit, nolitque pars impedimenti conscia turpitu-

(1) Necesse non est animadvertere *alumnatum* et *unionem prolium* immerito cum adoptione confundi. Alumnatus habetur, cum quis puerum assumit unice eo fine, ut alat, sustentet et instituat. Unio prolis est ub conjuges conveniunt prolem ex prioribus nuptiis susceptam eodem prorsus succedendi jure fruituram, quo fruetur proles suscipienda e nuptiis quae actu contrahuntur. Nulla huic duplici facto impedimenti vis est. Vecchiotti *III*, § 94. Schmalz, *n.* 35 *sequ.*

Digitized by Google

dinem suam alteri manifestare, adeo ut nuptiae impediri aut differri absque gravi scandalo nequeant, donec dispensatio legitima obtineatur; parochus iis in angustiis constitutus, sequatur doctrinas probatorum AA. et praesertim S. Alphonsi de Ligorio ». In nota autem citatur *Theol. Mor. lib.* 6, *n.* 613, ubi S. Doctor eorum sententiam refert, qui putant impedimentum in casu non urgere.

Sed ut rem intimius scrutemur, distinguamus inter impedimentum in quo R. P. potest et solet dispensare, et impedimentum in quo non potest aut non solet dispensare, e. g. impedimentum affinitatis in primo gradu lineae rectae ex copula illicita, semper in hypothesi quo matrimonium impediri aut differri nequeat sine magno scandalo et gravissimis incommodis.

In primo casu si sponsi sunt in bona fide ignorantes impedimentum, omnes facile admittunt cum D. Alphonso *l. c.* parochum posse assistere, quin sponsos moneat; deinde statim petet dispensationem, quam conjugibus communicabit, vel sanationem in radice. Si sponsi nunc quidem impedimentum cognoscunt, sed ab initio matrimonii bona fide illud non revelaverunt, nec dispensationem ab eo petierunt, e. g. quia illud ignorabant, sententia est vere ac certe probabilis impedimentum non urgere. Plures graves AA. eam tradunt (1), et nemo eam dicit improbabilem. S. Alphonsus de ea loquitur pluribus in locis, nempe *cit. lib. VI, n.* 613 et 1122; *Hom. Ap. tract. XVI, n.* 114, et *tract. XVIII, n.* 8; *Praxis Confessarii n.* 8, *et n.* 84, et eam quidem refert sub nomine suorum AA., sed numquam eam ullo modo reprobat, imo ea ratione refert ut potius consulere tacite videatur. Proinde impedimentum in casu saltem dubium est dubio juris, ideoque nullum. Addunt tamen omnes AA. post initum matrimonium petendam quantocius esse a S. Poenitentiaria dispensationem aut sanationem in radice pro majori securitate ac reverentia erga Ecclesiae leges. Si sponsi mala fide impedimentum cognoscentes non revelaverunt, nec dispensationem ab eo petierunt, praecedens doctrina

(1) D'Annibale *III*, § 324. Scavini *III*, *n.* 903. Gury *II*, *n.* 771. Roncaglia *De matr. VI, I.* Pignatelli *III, Cons.* 33, *n.* 3 *sequ.*

Digitized by Google

difficilius admitti poterit; quia non praesumitur Ecclesiam talibus impedimentum relaxare, cum nemo ex propria malitia commodum habere debeat. Attamen parochus, sponsis frustra monitis, eorum matrimonio assistere potest ad instar matrimonio indignorum (n. 475 sequ.), praesertim si una tantum pars in mala fide fuit, et deinde statim petere a S. Poenitentiaria dispensationem aut sanationem in radice. Utrum haec solutio bona sit, DD. videant.

In altero casu impedimentum numquam cessat. At si ambo sponsi sunt in bona fide ignorantes impedimentum, parochus assistere potest, quia non tenetur malum materiale impedire cum tanto populi scandalo et tantis incommodis; e. g. si sponsus rem habuit cum matre sponsae ignorans exinde oriri impedimentum, et ipso nuptiarum mane, cum omnia parata sunt, peccatum parocho extra confessionem enarrat, et nec impedimentum revelari, nec matrimonium alio praetextu suspendi potest sine magno scandalo, rixis etc. Imo putamus, salva meliori sententia, parochum in his angustiis assistere posse eorum matrimonio, licet ambo sint in mala fide, veluti matrimonio indignorum juxta superius dicta, et multo magis si alteruter tantum est in mala fide.

769. Quoad *confessarium*, si impedimentum est publicum, ut supra, exigat a poenitente ut a matrimonio interim desistat, donec impedimentum removeatur, utque parocho vel sibi extra confessionem (si ipse confessarius sit parochus) illud impedimentum revelet; renuenti autem his obtemperare deneget absolutionem. Si impedimentum est occultum, rursus distinguimus: vel impedimentum tale est in quo R. P. potest et solet dispensare, vel e contrario tale est in quo R. P. non potest aut non solet dispensare.

In primo casu si poenitens impedimentum ignorat, non est inquietandus, sed confessarius statim petat dispensationem cum sanatione in radice. Si poenitens impedimentum modo cognoscit, sed bona fide antea illud non revelavit nec dispensationem petiit, confessarius uti potest sententia vere et certe probabili, de qua n. praec., et ita poenitentem absolvere, eidem dicens impedimentum in casu non urgere: deinde

Digitized by Google

statim petat dispensationem cum sanatione in radice ad cautelam, ut supra. Si poenitens impedimentum dignoscit et mala fide illud celavit, solutio est difficilior, cum improbabile videatur impedimentum cessare ; hoc autem posito, manifestum est et matrimonium esse nullum et poenitentem non posse neque petere neque reddere. Celebrare matrimonium simulato consensu in his circumstantiis non est illicitum (n. 796), sed petere aut reddere debitum conjugale grave foret. Proinde si poenitens serio promittit se debitum nec petiturum nec redditurum, donec dispensatio cum sanatione in radice obtenta fuerit (quod nostris diebus longum tempus non requirit), confessarius absolvere ipsum potest eique permittere ut ad matrimonium accedat : secus absolutionem recuset. Si etiam altera pars impedimentum noscit, poenitens in promptu habet rationem negationis debiti, scilicet ipsum impedimentum, quod tamen quantocius removeatur ; si altera pars impedimentum ignorat, quod eidem revelari nequit, poenitens utetur aliqua licita mentali restrictione.

In altero casu, si poenitens impedimentum ignorat, confessarius poterit nonnumquam ipsum in sua bona fide relinquere, nullam de impedimento mentionem faciens. Si autem poenitens impedimentum cognoscit, plerumque confessarius ab eodem exiget ut matrimonio valedicat ; nam cohabitatio uti fratris et sororis practica esse non solet, et aliunde peti nequit declaratio nullitatis, cum versemur in hypothesi occulti impedimenti, a quo R. P. non potest aut non solet dispensare.

Imp. G. Saint-Aubin et Thevenot, Saint-Dizier (Hte-Marne). 30, Passage Verdeau, Paris.

Digitized by Google

INDEX SYNOPTICUS VOLUMINIS I

CAPUT I. **De sponsalibus** 1

ART. I. *De sponsalium notione* 1
ART. II. *De requisitis pro sponsalium valore* 7

§ 1. De primo requisito, nempe ut matrimonium futurum sit validum et licitum 7
§ 2. De altero requisito, nempe ut partes verum consensum habeant 11
§ 3. De tertio requisito, nempe ut consensus exterius exprimatur 18

ART. III. *De accidentalibus sponsalium* 25

§ 1. De sponsalibus cum carnali copula 25
§ 2. De sponsalibus sub conditione, modo, demonstratione, causa 30
§ 3. De arrhis et poenis sponsalibus appositis 37

ART. IV. *De effectu sponsalium* 40

ART. V. *De solutione sponsalium* 45

§ 1. Mutuus consensus 46
§ 2. Violatio fidei sponsalitiae 50
§ 3. Casus superveniens, aut ignotus innotescens quo sponsalia inita non fuissent 52
§ 4. Susceptio perfectioris status 58
§ 5. Impossibilitas ineundi nuptias 62
§ 6. Dispensatio Romani Pontificis 65

SCHOLION I. *De practica agendi ratione circa sponsalia* 66
SCHOLION II. *De sponsalibus in Galliis* 69

CAPUT II. **De iis quae matrimonii celebrationi praeire debent** 72

ART. I. *Baptisma et confirmatio* 72

ART. II. *Processus pro libero sponsorum statu comprobando* . 74

§ 1. De examine testium pro statu libero 75
§ 2. De investigatione a parocho facienda 82
§ 3. De publicationibus seu bannis matrimonialibus . . 86

Digitized by Google

I. Origo, gravitas, vis legis et formula publicationum 86
II. Verba legis explicantur 92
III. De fidelium obligatione revelandi impedimenta. 100
IV. De dispensatione in publicationibus matrimonialibus 104
V. Quid peractis publicationibus fieri debeat. . . . 109

ART. III. *Instructio ad sponsos a parocho habenda, et sacramentorum susceptio* 113

CAPUT III. **Generales matrimonii notiones** 117

ART. I. *Quid sit matrimonium* 117
§ 1. Notio matrimonii juxta naturae legem 117
§ 2. De matrimonii elevatione ad dignitatem sacramenti inter Christianos 130

ART. II. *Quotuplex dicatur matrimonium* 135

CAPUT IV. **De personis habilibus ad matrimonium ineundum, seu de impedimentis matrimonialibus** . . 141

SECTIO I. *De impedimentis in genere* 141
ART. I. *Notio et divisio impedimentorum* 141
§ 1. Quid sit impedimentum 144
§ 2. Quotuplex sit impedimentum 144
ART. II. *Quinam ferre possit impedimenta matrimonialia.* 157
§ 1. Quinam ferre possit impedimenta matrimonialia inter baptizatos 159
§ 2. Quinam ferre possit impedimenta matrimonialia inter infideles 168
ART. III. *Quinam impedimentis matrimonialibus teneantur* 183
ART. IV. *Quinam revocare possit impedimenta matrimonialia* 186
§ 1. De abrogatione et derogatione impedimentis matrimonialibus 187
§ 2. De dispensationibus in impedimentis matrimonialibus praesertim dirimentibus 191
I. De dispensationibus ab ipso Romano Pontifice concessis 192
1° Organa per quae Romanus Pontifex dispensat 193
2° De causis propter quas dispensationes matrimoniales a Romano Pontifice conceduntur. . . 212
3° De instantia ad dispensationem a Romano Pontifice obtinendam, et praesertim de iis quae in eadem exprimi debent 220
4° De forma dispensationis a S. Sede concessae, et praecipue de clausulis quae continere solet . 230

Digitized by Google

5° De fulminatione dispensationis a S. Sede concessae 244
II. De dispensationibus ab Episcopo aliisve infra Romanum Pontificem concessis. 253
1° De dispensationibus ab Episcopo aliisve concessis potestate ordinaria. 254
2° De dispensationibus ab Episcopo aliisve concessis potestate delegata 262

SECTIO II. *De impedimentis in specie* 283

ART. I. *De impedimentis impedientibus in specie* 283
§ 1. De impedimento voti 285
§ 2. De impedimento mixtae religionis 290
§ 3. De impedimento indignitatis ratione peccati, aut censurae, aut ignorantiae catechismi 316
SCHOLION. *De matrimonio filiorum sine consensu parentum* 325

ART. II. *De impedimentis dirimentibus in specie* 328
§ 1. De impedimento aetatis 329
§ 2. De impedimento impotentiae. 342
§ 3. De impedimento raptus 364
§ 4. De impedimento voti. 390
§ 5. De impedimento ordinis sacri 398
I. In Ecclesia Occidentali. 400
II. In Ecclesia Orientali 406
§ 6. De impedimento disparitatis cultus. 410
§ 7. De impedimento ligaminis 430
§ 8. De impedimento erroris conditionis servilis 438
§ 9. De impedimento criminis. 441
§ 10. De impedimento cognationis 458
I. Cognationes naturales. 458
1° Consanguinitas 458
2° Affinitas. 476
II. Cognationes legales 495
1° Justitia publicae honestatis 518
2° Cognatio spiritualis. 532
3° Cognatio legalis in stricto sensu. 547
SCHOLION. *De casu, uti vocant, perplexo*. 547

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google